BSB Bayerische StaatsBibliothek

Münchener DigitalisierungsZentrum
Digitale Bibliothek

Rossi, Gian Vittorio

Iani Nicii Erithraei Pinacotheca Imaginvm, Illvstrivm, doctrinae vel ingenii laude, Virorvm, qui, auctore superstite, diem suum obierunt

Bd.: 3

Colon. Agrippinae//Köln// 1648
999/Hist.lit.10(2
urn:nbn:de:bvb:12-bsb11093346-1

Copyright

Das Copyright für alle Webdokumente, insbesondere für Bilder, liegt bei der Bayerischen Staatsbibliothek. Eine Folgeverwertung von Webdokumenten ist nur mit Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek bzw. des Autors möglich. Externe Links auf die Angebote sind ausdrücklich erwünscht. Eine unautorisierte Übernahme ganzer Seiten oder ganzer Beiträge oder Beitragsteile ist dagegen nicht zulässig. Für nicht-kommerzielle Ausbildungszwecke können einzelne Materialien kopiert werden, solange eindeutig die Urheberschaft der Autoren bzw. der Bayerischen Staatsbibliothek kenntlich gemacht wird.

Eine Verwertung von urheberrechtlich geschützten Beiträgen und Abbildungen der auf den Servern der Bayerischen Staatsbibliothek befindlichen Daten, insbesondere durch Vervielfältigung oder Verbreitung, ist ohne vorherige schriftliche Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig und strafbar, soweit sich aus dem Urheberrechtsgesetz nichts anderes ergibt. Insbesondere ist eine Einspeicherung oder Verarbeitung in Datensystemen ohne Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig.

The Bayerische Staatsbibliothek (BSB) owns the copyright for all web documents, in particular for all images. Any further use of the web documents is subject to the approval of the Bayerische Staatsbibliothek and/or the author. External links to the offer of the BSB are expressly welcome. However, it is illegal to copy whole pages or complete articles or parts of articles without prior authorisation. Some individual materials may be copied for non-commercial educational purposes, provided that the authorship of the author(s) or of the Bayerische Staatsbibliothek is indicated unambiguously.

Unless provided otherwise by the copyright law, it is illegal and may be prosecuted as a punishable offence to use copyrighted articles and representations of the data stored on the servers of the Bayerische Staatsbibliothek, in particular by copying or disseminating them, without the prior written approval of the Bayerische Staatsbibliothek. It is in particular illegal to store or process any data in data systems without the approval of the Bayerische Staatsbibliothek.

2

IANI NICII
ERYTHRÆI

PINACOTHECA
TERTIA,

IMAGINVM,

Virorum, aliqua ingenii & eruditionis fama illustrium,

qui, auctore superstite, è vita decesserunt.

COLONIÆ VBIORVM;
Apud IODOCVM KALCOVIVM
& Socios. cIↃ IↃcxLVIII.

Etiam Pinacotheca hæc tertia prælum subeat, & in publicum prodeat. Colon. Kal. Octobr. cIↃ IↃ CXLVII.

Henricus Francken Sierstorpffius, SS. *Theol. Doctor*, *librorum Censor.*

REVERENDISSIMO PATRI,

D. ANDREÆ FOSSÆ,

CANONICO REG. LATERANENSI ET ABBATI.

BEne atque præclare, Andrea ſapientiſſime, de Repub. mereri mihi videntur, qui egregia hominum ingenia, quæ ſua ætate floruerunt, quorumque memoriam, ſicut alia omnia, vetuſtas obrueret, omnium ſeculorum poſteritati commendare, atque ab oblivione vindicare nituntur; ut eorum imagines ingenii, in ſuis libris, tanquam in aliqua tabula, docta atque diſerta oratione, quaſi coloribus picta, penè oculis ſubjiciantur. Nam quid eſt tam utile, atque adeo neceſſarium, quam eos, qui nullo rerum uſu nullaq; experientia imbuti, hujus curriculum vitæ ingrediuntur, in quo tam multi turpiter labuntur ac corruunt, poſſe, tan-

quam in ſpeculum, in eorum vitas, qui illud ante ipſos confecerunt, inſpicere, atque ex iis ſumere exemplum ſibi? videlicet, ut, quod illis iter ad laudem aperuit, in eo omnes nervos ætatis induſtriæque ſuæ contendant; quod autem eiſdem datum eſt vitio, omni ope ſtudioque defugiant. Atque hic mortuorum memoriæ propagandæ labor multo magis eſt ſuſcipiendus ob eos, qui, dum mortalem hanc vitam incolerent, quum ſapientia atque doctrina ceteris anteirent, ſive inertia, quod ſcribendi laborem effugerent, ſive animi demiſſione atque modeſtia, quod memoriam in poſterum ingenii ſui nullam deſiderarent, nihil omnino ſcripſerunt, vel, cum ad ſcribendum ſe contuliſſent ea, quæ ab ipſis eſſent inventa & excogitata divinitus, poſt ipſorum mortem, cognatorum vel negligentia, aliquo in angulo, pulvere ſituque marceſcerent, aut muribus blattiſque cibum præberent, vel eorundem avaritiâ, ea quibus nullum ſatis dignum con-

conſtitui precium poteſt, exigua mercede ad cetarios pomarioſque advolarent. Sed ex iis, qui, quum divinitate quadam ingenii præſtarent, atque eximiæ cujuſdam facultatis auctores exiſterent, nullum tamen à ſe librum, unde, quantum doctrina abundarent, colligi poſſet, paſſi ſunt egredi, unus fuit Socrates. hic enim, eruditorum quidem teſtimonio, & judicio Græciæ, cùm prudentia & acumine & venuſtate, tum vero eloquentia, varietate & copia, eorum, qui ante ipsũ docuerant, habitus eſt facile princeps; & nullam tamen literã ipſe reliquit. quamobrem, quantum æquum eſt nos debere Xenophonti, ac Platoni in primis, qui niſi Socratis ingenium, varioſq; ſermones, ſuis ſcriptis immortalitati mandaſſent, illum vetuſtas, ut alios fortaſſe multos, oblivione obruiſſet; &, quod magis dolendum eſſet, ea nos Philoſophia carere contingeret, in qua de bonis rebus & malis, deque hominum vita ac moribus diſputatur. etenim ab eo Philo-

ſophia, quæ antea in naturæ obſcuritate, & in cæleſtium rerum contemplatione peregrinabatur, è cælo deducta eſſe dicitur, & in hominum cœtus ſocietatemque traducta. Quem ego morem ſequutus, id quod etiam alii ante me fecerunt, duobus jam voluminibus, eorum, qui me ſuperſtite occiderunt, ingeniorum imagines ſum conatus exprimere; horum præſertim, qui ex ſcriptis ipſi ſuis, quales fuerint, cognoſci non poſſunt: nunc autem ſuperioribus duobus tertium addo, conflatum ex iis, vel qui poſt eos, quos recenſui, mortem obierunt, vel qui tum, cum ſcriberem, è memoria fugerant. Neque fuit mihi diutius in ea deliberatione cunctandum, quis nam potiſſimum eſſet deligendus, in cujus nomine hoc poſtremum opus exiret. nam ea jampridem meum animum cogitatio ſubit, ut aliquid inveniam, quo, ſi non pari tuis meritis, grato tamen munere, ſignificem, quantum me tibi debere profitear. Etenim, tua ſponte nec alicujus

cujus perſuaſione vel gratia impulſus, mea omnia, quæ adhuc ſunt typis impreſſa, legiſti, miris in cælum laudibus extuliſti, tum antea me penè, quam aſpiceres, ſingulari amplexus es benevolentia, incredibili conjungendæ mecum amicitiæ cupiditate flagraſti; deinde, cum ſummum in tua clariſſima religioſa familia magiſtratum gereres, ultro, non ſemel ſed bis, ſalutandi mei gratia, domum ad me veniſti, ibique, efficaciſſimis verbis, quæ non ſimulati cujuſquam officii ratio vix vi exprimeret, ſed quæ intimus cordis affectus expromeret, te tuaque omnia mihi detuliſti; præterea, domi tuæ, ample magnificeq; convivium exornaſti, large munera contribuiſti; denique, cum Ravennam Româ ad comitia Abbatis generalis profectus eſſes, ſimul ac patriam attigiſti, elegantibus ſane literis, pleniſſimis amoris, humanitatis & officii, prior me ſalvere juſſiſti. Quamobrem gaudeo, mihi, ad te remunerandum, id eſſe oblatum, quod tibi gra-

tum fore non dubito, quum te liberalium horum ſtudiorum, quibus nos à pueris operam dedimus, te in primis cupidum præbeas; quod non poteſt ſine ſumma excelſi & elegantis animi magnitudine amœnitateque contingere. Sed ego ſtultus, qui, dum veteris obligationis nexu me conor exſolvere, novis atque arctioribus beneficii alterius vinculis me tibi conſtringi non ſentio. nam dando, multo à te plus accipio, quam eſt id, quod emetior. ego tibi munus, ex ſua exiguitate ac tenuitate parvum ac leve exhibeo; tu, illud accipiendo, auctoritate, qua præſtas, aliquid eidem magnitudinis ac ponderis acquiris. ego tibi opus, nulla fere, ex ſua vi, luce clarum atque conſpicuum, trado; tu mihi illud, tui nominis, cui dicatur, claritate perfuſum illuminatumque, reſtituis. Etenim tam magnus in te meritorum numerus confluit, ut iis non ſolum ipſe niteas, ſed nitorem etiam lumenque tuum refundas in eos, qui tuo ſe decorari nomine,

postulent. primum, nobilitas generis, quæ multos jam annos viget in vestra familia: siquidem anno clɔ cccxxx iv Iacobus Fossa, I.C. ut temporibus illis eximius, electus est judex unus ex omnibus, qui ortas, inter Genuenses ac Savonenses, lites controversiasque dirimeret, & æquo jure componeret; & Marcus Fossa, una cum aliquot aliis, oratoris functus est munere, missi ad Carolum V, quo tempore in Liguriam venit; ut Imperatorem illum, tot victoriis clarum, omni officiorum genere prosequeretur, Reip. nomine, quo ad ille per Liguriam faceret iter. &, quoniam mos est vestræ nationis, propter angustos ejus agri fines, ut civium suorum opera in mercatura vortatur, nemo ex Fossiorum familia in aliqua sordida vel illiberali arte versatus invenitur, ut ex ea quæstum faceret; in quo genere numerantur opifices omnes, iique qui mercantur à mercatoribus, quod statim ipsi divendant: verum, quicunque animum ad mercaturæ stu-

dium adjunxit, non ea usus est vi-
li nec tenui, sed nobili, magna, at-
que copiosa; ut videlicet holosericas
vestes, in Germaniam, Galliam, Hispa-
niam, & ad Indos usque, comportaret,
& ab illis multa referret, quorum ma-
gna est in iis regionibus, nulla autem
ferme in nostris, annona. Quamquam
te hoc genere laudum minime dele-
ctari comperio, quas non nobis ipsi
peperimus, sed vel naturæ vel majori-
bus nostris acceptas referimus, sed to-
tum abjicere, ac pro nihilo ducere. ii
magnifice, fumosarum imaginum fidu-
cia subnixi, se inferant, in quibus, præ-
ter formam & genus, nihil unquam sa-
piens laudavit. Alia sunt in te, tua pro-
pria, quæ veram in se laudem conti-
nent; quod videlicet ingentis spem
lucri, quæ ex mercatura se objiciebat,
generosa quadam contumacia, à ma-
gnitudine animi ducta, contemseris.
itaque non navem parasti qua merces
vectares undique, vel in Hispaniam
potius aveheres, quò te parentes desti-
nave-

naverant; sed incredibili sapientiæ amore ac perfectæ probitatis studio inflammatus, cum vix à pueris excessisses (decimum enim quintum annum attigeras) Mediolani dedisti nomen in laudatissimam Lateranensium regularium Canonicorum familiam, ut ibi, rerum omnium humanarum curis expeditus, otiosus ab animo, utrique rei operam dares, & literarum studiis &, quod tibi magis erat cordi, vitæ morumque sanctitati. transacto tyrocinio, studiorum gratia profectus es Patavium, quæ urbs semper est habita scientiarum omnium domicilium; ibique, ea animi alacritate & contentione, bonarum artium, Philosophiæ, Theologiæ, ac sacrorum in primis Canonum cursum es ingressus; labore, assiduitate, diligentia ut æqualium tuorum, qui in eodem curriculo versarentur, studia præcurreres. itaque, emenso earum disciplinarum spacio, cum eam jam tibi vim doctrinæ cõparasses, ut ceteris præesse posses, qui vellent

earun-

earundem disciplinarum cursum ac spacium inire, doctoris in illis atq; magistri potestatem, omnium concessu, obtinuisti. Verum, tua illa egregia ad eloquentiam indoles, ad quam omnia à natura studioque adjumenta habebas, templa, suggesta concionesque spectabat. jam omnes illustriores Italiæ civitates, tui theatrum ingenii fieri poscebant: omnia sunt enim in te, quæ solent perfecti oratoris speciem exprimere; formæ dignitas, quæ maximam, ad voluntates omnium sibi conciliandas, vim habet, latera, vires, eaque alia, quæ nemo sibi potest, nisi à natura tradantur, affingere; actio singularis; quæ si præsertim in vocem gestumque dividenda sit, vox est plena, canora, suavis, distincta, quæ nec literas exprimat putidius, neque obscuret negligentius; gestus, qui nihil habeat ineptiarum, nec verba exprimat, sed cum verbis sententiisque conveniat. illa vero tua vis dicendi sublimis atque magnifica, ut est copiosa, gravis ac vehemens!

mens! ut ſenſus ac dolores habet! ut in animos hominum influit, eoſque, quamcunq; in partem cauſa poſtulet, agit, flectit, permovet, atque compellit, ſive ſit opus ad ſpem, ſive ad timorem, ſive ad odium peccatorum ac virtutis amorem, ſive ad rerum humanarum omnium contemtum! orationis vero genus, quam purum, enucleatum, ſplendidum! ita tamen, ut naturalis, non fucatus, in eo nitor eluceat; quam exſculptum, comtum, ornatum! ita tamen, ut rerum gravitate, & majeſtate verborum refertum, non autem inanibus puerilium ſententiarum floſculis conſperſum, totum appareat; ut quandam nobilis cujuſpiam matronæ venerandam quaſi caſtimoniam præferat, non autem illecebroſas meritricis blandicias objiciat; quemadmodum faciunt oratores ii, qui nihil ad animorum utilitatem, ad voluptatem tamen aurium omnia, referunt. tua igitur hæc vox, tam docta, tam gravis, tam elegans, tam eruditis auribus digna, totos

tri-

triginta ferme annos, audita est, in illustrioribus, ut diximus, Italiæ civitatibus, tanquam cælum (hoc enim nomine sanctus Spiritus, in sacris literis, concionatores appellat,) tonare, fulgurare, atque improbos sceleratosque tangere, ferire, atque pervertere. & quod rem continet, non tam oratione, id quod faciunt ii, qui ab eo, quod verbis docent, moribus discrepant, quam exemplo es assecutus, ut improbos percelleres, & ad frugem, ut dicitur, revocares. Sed, num quid is, qui tantam semper utilitatem omnibus attulit, nulli, Congregationi suæ, usui fuit? immo Reipub. regendæ scientissimus tu in tua, ubi tanquam jubar quoddam lucidissimum nites, per omnes honorum gradus ad summum in ea dignitatis culmen ascendisti. Etenim Prioris, Abbatis, Concionatoris privilegiarii, Procuratoris in Romana aula primarii, Visitatoris, Definitoris, denique Abbatis Generalis functus es munere. quin etiam, quo tempore aula tuam, in negotiis

gotiis tuæ Congregationis, Procuratoris Generalis nomine expediendis conficiendisque, fidem, diligentiam, assiduitatemque intuebatur laudabatque, S. P. Q. R. tuorum virtutum fama compulsus, non solum honorificentissimo diplomate Romana te civitate nobilitateque donavit, verum etiam in senatum cooptavit, ac beneficiis officiisque omnibus cumulavit, quibus illi ornari solent, quorum maxima atque ampliſſima extant in universam Rempub. merita. neque id quod tibi à summis tuis occupationibus reliquum erat temporis, voluisti (quod facere tuo jure poteras) quieti & cessationi concedere; neque aves imitatus es, quæ, ab operis labore defessæ, libere hac illac volitare cernuntur; sed placuit etiam tibi, aliquam omnibus ocii tui rationem constare. itaque duo magna & egregia volumina confecisti, quorum uni titulus est, Pentachordum Caritatis, alteri Amussis viri probi, ad librum Tobiæ. quæ quidem opera, ne ad-

adhuc, typis impreſſa, in eruditorum manus pervenerint, duo fuerunt in mora: primum, modeſtia tua, qua, licet virtutum omnium ornamentis inſtructus, verecundaris in publicum prodire; tum, acerrimum illud judicium, quo præſtas; ad cujus exactam rationem ſi placeat omnia dirigere, nihil tibi poſſit ſatisfacere. Sed erit illud tempus, cum, tuum ad arbitrium abſoluta atque perfecta, nihil hominum conſpectum lucemque refugient, ſed ſuæ omnibus ſuavitatis, elegantiæ, doctrinæque quantum quiſque velit, impertient. Quæ cum ita ſint, patere, à tui nominis, tantis meritis, tanquam luminibus, clari fulgore, meum iſtud opus, ex ſe obſcurum, lucis aliquid mutuare. Hoc mihi gratius facere nihil poſſes.

IANI

IANI NICII
ERYTHRÆI
PINACOTHECA
TERTIA.

I. IVSTVS LIPSIVS.

VSti Lipſii, hominis, noſtra ætate, doctrinæ & eruditionis fama clariſſimi, imaginem deſcripturus, quam potiſſimum viam inſiſtam, prorſus ignoro. nam, ſi, quæcumque ille ſcripſit edidit-que, quorum non parvus eſt numerus, velim ſigillatim oratione referre, ſunt ea mihi temporibus diſtinguenda, & loca notanda, & occaſiones ſuo ordine enumerandæ, quibus eſt ad ſcribendum impulſus. quod ſi perfecero, non tam eum videbor ex quibuſdam quaſi delineamentis, quo fuerit ille à natura factus ingenio, oſtendere, quam vitam ejuſdem exponere; quod eſt ab inſtituto meo alienum: ſin autem, pleriſque omiſſis, in aliquorum enarratione verſabor, vereor, ne iis, qui eum nunquam noverunt, minus lucide appareat, quantum vir ille omnium artium præclariſſimarum laude præſtiterit. Itaque, utrique rei occurram, quantum potero; atque, iis tantum, quæ magnam in primis, ad eum, qualis fuerit, exprimendum, vim habeant, afferendis, ſatietati medebor, eorumque ignorationi, quos tanta vis virtutis effugerit, conſulam. Ac duabus præſertim rebus clarum ac nobile ſuum nomen effecit: primum, ſingularis eruditionis laude, qua nemo illi anteceſſit, qui una eſſet ætate; nam plures veterum Latinorum libros recognovit, caſtigavit, atque eorum partim doctiſſimis ſuis commentariis, omni eruditione refertis, partim animadverſionibus, partim notis illuſtravit, complures etiam libros de ſuo,

non minus docte quam scite eleganterque, composuit. nam, qui illi annus propemodum aditum ad vitæ curriculum dedit, idem quoque scribendi initium attulit. anno enim nono, qua homo ætate, cum jam ratione uti valeat, vere incipit vivere, poëma scripsit; tum, annos natus duodecim, orationes composuit, atque etiam habuit, quæ magis spe & expectatione, quam re ipsa, quamvis sententiarum verborumque splendore non careant, laudantur: atque ab hac indole, consequentibus annis, usque ad exitum vitæ, alia deinceps, ut videbimus, maturiora ac præstantiora prodierunt. sed, ab incunte ætate, dilexit atque admiratus est, ex omnibus auctoribus plurimum, Cornelium Tacitum; utpote qui omnino in illud dicendi genus, cui non absit quidquam neque superfit, naturâ ferebatur; quem usque eò in amoribus habuit, ut ad verbum edisceret. Audivi de eo, qui sermoni se interfuisse narrabat, in Germania, cum esset apud principem nescio quem virum, ac die quodam injiceretur mentio de Tacito, gloriantem Lipsium dixisse, se aureum illud volumen adeo memoria comprehensum habere, ut nihil ex ea unquam exciderit; qui etiam sponsionem lacessivit, ni ita esset ut diceret; atque: Agite, inquit, statuite hic aliquem cum pugione, ac, si, Cornelium totum recitans, verbum unum peccavero, non recuso quin eo me ille pugione confodiat; ac sponte jugulum vel pectus, quod ferire posset, apeciam. Deinde, sibi gloriam famamque quæsivit, ac multorum in se studia, dictionis novitate, convertit. illud enim Latine scribendi genus induxit, quod proprium est suum, nec aliorum: &, quemadmodum Ciceronis studiosi, Ciceroniani vocantur, ita etiam, qui ad Lipsii stylum se exercent, Lipsiani appellantur. Genus orationis est breve, concisum, verbis inops, crebrò incidens, nunquam fere circuitum, & quasi orbem verborum, apta atque eleganti compositione conficiens. quæ scribendi ratio ac modus, avide primum ab auditoribus suis est abreptus. nam, quid tam cupiunt adolescentes, quàm se magistrorum suorum esse quam simillimos? Sed fit etiam, communi quodam vitio, ut ea magis, quæ facilliora sunt, aut etiam insignia ac pæne vitiosa, consectemur imi-

mitando, quam ea, quæ maxime excellunt in eo, quem mitamur. ideo illius auditores, doctrinæ & eruditionis nervos, qui in illo erant, non assequebantur, dum subtile, attenuatum, incisum ac breve orationis genus imitabantur. Quod ille animadvertens, sui ipsius conscius, auctor illis erat, eosque hortabatur in primis, ut hac una in re ab ipsius similitudine se, quam maximè possent, abstraherent, ac tota mente Ciceronem, atque omni animo, intuerentur. Hæc nova dicendi scribendique ratio, à discipulis, multoque magis è scriptis Lipsii, ex Belgio translata est in Italiam, multorumque studia cepit; eorum nimirum, qui, Tullianam illam scribendi varietatem & copiam se assequi posse, diffiderent. itaque hanc sermonis jejunitatem sterilitatemque, in qua se posse excellentes evadere non dubitant, sunt amplexati; & quia tantum quisque laudat, quantum se assequi posse non desperat, hanc unam solum ad eloquentiam viam, in cœlum efferunt, eamque, quasi formam figuramque dicendi, omnibus elegantiorem prædicant, quam in suis ille scriptis expressit. Varia studiorum suorum domicilia habuit. Sexennis, Bruxellis, ejus erudionis, quæ deinde, tanquam ædificium aliquod, in eam altitudinem, quam videmus, excrevit, fundamenta jecit, apud ludimagistrum: atque ea celeritate, prima illa rudimenta Grammatices, quæ ab illo tradebantur, acripiebat, ut magister, quo condiscipulorum tarditatem, illius studio, incitaret, suis impositum genibus, ea recitare juberet, quæ illi ediscenda mandaverat. Tum, Coloniæ Agrippinæ, in scholis Patrum Soc. Iesu, iis disciplinis excultus est, quibus puerilis ætas impertiri solet. Sed adolescentuli docilitas, & rectum ad virtutem ingenium, (nondum enim purum integrumque animum reliqua vitiorum labe contaminaverat,) Patrum erga illum studia mire commoverunt; quibus ille, Societati nomen dando, respondisset, nisi id parentibus obloquisset; qui eum statim Lovanium evocarunt, ubi ex illorum arbitrio ac voluntate, cum Iuri civili, atque, in Gymnasio Lilienſi, Philosophiæ, multum operæ dedisset; ab earum artium tanquam portu, ingenii quasi navim solvit, eoque vela dedit, quo jampridem sua eum

naturalis inclinatio propenſioque vocabat ; nimirum ad humaniſſima ac liberaliſſima ſtudia ; præſertim cum parens, qui poſſet obſiſtere, Bruxellis , quam ille urbem, præfecti prætorio munere , adminiſtrabat , interiiſſet. Neque diu otii ſui fructum à ſe expectari paſſus eſt. etenim , Variarum Lectionum librum , Cardinali Granvellano dicatum, edidit. qui liber, Cardinali in primis operam dante, latum illi aditum in Peretani domum aperuit, ac multas ſimul commoditates objecit ; ut Romæ videlicet , cum illo , cui erat ab epiſtolis , eſſet ; ut urbis, quondam nationum omnium reginæ , atque ibi imperii majeſtatiſque, reliquias, etiam nunc hoſtibus terribiles admirandaſque, conſpiceret, contemplaretur, & honore cultuque proſequeretur ; ut inſculpta marmoribus, veterum Imperatorum, beneq; de Repub. meritorum civium , elogia oculis luſtraret , manuque deſcriberet ; ut M. Antonium Muretum, omnium eloquentiſſimum, in Gymnaſio Romano eloquentiæ præcepta tradentem , audiret ; ut P. Franciſcum Bencium, in Gymnaſio ſuæ Societatis , juventutem optimis diſciplinis inſtituentem, eo ſibi amoris nexu conſtringeret, ut in fratris germani lôco diligeret ; ut Carolum Sigonium, Petrum Victorium, Hieronymum Mercurialem, omnis eruditionis doctrinæque principes , fama ſibi antea notos, aſpiceret, audiret, cum eiſque colloqueretur. Sed, diſceſſu ab Vrbe , neſcio quomodo , à ſeſe diſceſſit nonnihil, & voluptatibus, quibuſcum antea inimicitias gerebat, quaſi indulſit, ac Lovanii paululum animo obſequutus eſt ſuo : verum Leodii, Caroli Langii, viri doctiſſimi, ac veteris amici, admonitionibus, ad ſe ipſum rediit, ac totus ſibi diſplicens, libros de conſtantia compoſuit. Neque ita multo poſt, Viennam Auſtriæ , & in Maximiliani II aulam venit, compluribus doctiſſimis viris ornatam ac refertam ; à quibus eſt honorifice ac peramanter exceptus. ſed, cum jam patriam ac domum animo conceptam haberet , nullis conditionibus adduci potuit , ut ibidem , ad illius ornamentum aulæ decuſque, conſiſteret, ac literatorum illum numerum & chorum expleret ; quem numerum chorumque , cujuſmodinam viri conflabant ? ii , qui , omnium eruditorum judi-

udicio, omnem rerum præclariſſimarum ſcientiam ani-
no concluſam habere exiſtimarentur; Augerius Giſle-
ius Buſbequius, Ioannes Cratonus, Nicolaus Bieſius,
Ioannes Sambucus, Stephanus Pighius. Adhuc nemini
e ad docendum dederat; ſed, per fines Saxoniæ iter fa-
iens, accepto Belgico tumultu, & acerba bonorum
uorum direptione, re neceſſaria cogente, compulſus
eſt, Ienæ hanc provinciam accipere, eamque annum &
eo amplius obire. Sed jam ex illis integumentis diſſimu-
lationis, quibus tegebatur, evolutus artifex, amplius la-
tere non poterat. quamobrem, cum jam Coloniæ Vbio-
rum Annam Colſtriam, nobili loco natã, ac viduam, ex
qua nunquam liberos ſuſcepit, uxorem duxiſſet, & An-
tiquas lectiones, ac Notas ad Cornelium Tacitum ſcri-
pſiſſet, quem poſtea uberioribus commentariis illuſtra-
vit auxitque; evocatus eſt Lugdunum Batavorum ab ejus
Reipub. Ordinibus, honorificis ſtipendiis, ut redundan-
tem effluentemque vim illam eruditionis doctrinæque,
qua pectus completum habebat, in alios refunderet, qui
eam vellent excipere. quod ille munus, ſibi delatum,
tum accepiſſet, tredecim in eo annos ſumma eſt cum
aude verſatus; adeo ut ejus nomen, toto orbe terra-
um, omnium linguis ac literis celebraretur. quod fuit
auſæ, ut, cum clam inde ac furtim, religionis, ut ajunt,
cauſa, ſe ſubduxiſſet, ubi id palam eſt factum, nullus to-
a Europa fuerit vir princeps, nullus Rex, nulla Reſpub.
ulla paulo illuſtrior civitas, nulla Academia, quæ non
umma vi illum expeteret, ac certatim, maximis ad ſe
ræmiis, evocarent; Guilielmus, Boiorum Dux; Erne-
us, ejus frater, Vbiorum Eburonumque Antiſtes;
Volfangus Theodoricus Saliſburgenſium, Iulius Her-
ipolenſium, Præſules; Chriſtianus, Saxoniæ Dux;
Clemens VIII, Pont. Max.; Henricus IV, Galliæ
Rex; Ferdinandus, magnus Dux Etruriæ; S. P. Q. Ve-
etus; Patavini; Bononienſes; aliique, quos longum
eſſet omnes referre. Sed omnium iſtorum, quos enu-
meravimus, ſtudia, Lovanii amor evicit, Brabantiæ Or-
dinibus ſumma eum benignitate evocantibus; quibus
& ſuos de Cruce libros dicavit. Scripſit etiam, ibidem
cum eſſet, hæc omnia: Facem hiſtoricam, qua obſcuras

Græcorum Romanorumque res perluſtrare cupientibus, tanquam cereum lucet ; tum, volumen in Senecam Philoſophum , quod etiam, eleganti epiſtola , Pauli V Pont. Maximi nomini dicatum , emiſit ; cui epiſtolæ adoleſcentulus ego reſpondi , Marcelli Veſtrii Barbiani rogatu, cui Pontifex , ſuo nomine reſpondendi , partes mandaverat ; erat enim illi à Brevibus. Sed totius ſcribendi curſus quaſi meta fuerunt Lipſio, Deiparæ Virginis, Sichemenſis & Hallenſis, res novæ atque admirabiles ; cui Virgini Hallenſi , moriens , lacernam ſuam pelliceam teſtamento legavit. in quo , non potuit, quin facetorum hominum urbanitatem incurreret ; qui quidem ridicule, ſed non admodum religioſe , ideo lacernam pelliceam Virgini illi relictam ajebant , quod ejus miracula , quæ tantopere in cœlum laudibus efferebat , frigerent ad populum. Stomachabatur in eos , qui , ſuperbia & ambitione ducti , judicium de aliorum ſcriptis ferre, ſeque Criticos appellare, audebant ; quorum audaciam inſolentiamque conatus eſt Satyra Menippea, quam adverſus eos armaverat, labefactare atq; confringere ; cum contra ipſe nunquam præponeret ſe aliis, ſed omnes vereretur ac diligeret. & tamen tam multa ſcripſerat, eaque, quorum commemoratio & fama non iiſdem, quibus vita illius, finibus terminata ſunt , ſed progreſſa longius, atque etiam nunc vigent , eorumque vitæ curſus cum omni futuri temporis ſpacio adæquabitur : ut ſunt, Commentarii ad Polybium, ad Panegyricum Plinii , aliaque opera ; ut libri Saturnaliorum, &, in pauca ut conferam, ea omnia, quæ numerantur ab iis, qui ejus vitæ ſeriem, ſuis ſcriptis, poſteritati mandarunt. Hepatario morbo laboravit ; cujus curandi gratia, in Eburones, ad Spadanos fontes acidos , profectus eſt. Sæpius in vita , manifeſtum vitæ diſcrimen adiit ; ter in puerili ætate, quæ non raro adverſis caſibus ſolet eſſe obnoxia ; nam parum abfuit , quin à nutrice , forteſſe dum altiori ſomno oppreſſa eſt , ſuffocaretur , vel in aquam merſus , vel crurifragio , interiret. deinde , lethali morbo pæne ſublatus eſt Dolæ , quæ Sequanorum eſt Academia ; ubi , quum luculenta oratione Victorem Giſelinum , inter medicos allectum , laudaſſet,

ac

ac ſtatim deinde, opiparo convivio exceptus eſſet, in quo, ut mos eſt illarum regionum, convivæ invitare ſe pluſculum ſolent, & in ſeſe largius merum invergere, repente, inſolito horrore correptus, cum febri domum rediit; cui niſi, præſtantiſſimorum medicorum auxiliis, itum obviam mature fuiſſet, eo celeriter conſumto, elegantiſſima politiſſimarum artium ſtudia, tot egregiis operibus carerent, quæ poſtea, cum vita ſuppeditaſſet, ab ejus ingenii fonte emanarunt. Poſtremo, anno cIↃ IↃc v, annos natus unum de ſexageſimo, ex vehementiſſima tuſſi, ac diſtillatione, à capite defluente, x Kalend. Aprilis interiit; cum antea ſacro perunctus *Oleo*, ac Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramentis bene viaticatus, illud iter eſſet ingreſſus, quod ſuſcipiendum eſt omnibus.

II. IACOBVS MERLO HORSTIVS.

COgitantibus nobis, tranſalpinis regionibus relictis, quo nos, Iuſti Lipſii imaginis referendæ gratiâ, cupiditatis quidam ardor adduxit, domum, hoc eſt, ad noſtros, redire; paululum moræ objicit Colonia Agrippina, Vbiorum urbs longe clariſſima; viri optimi, ac, tum doctrinæ, tum, quod refert, ſanctitatis apud ipſos fama notiſſimi causâ; nec feſtinantes nos vult antea dimittere, quam ejus iconem, quam maxime ad ſimilitudinem veri deſcriptam, nobiſcum afferamus, ceteriſque illuſtribus viris adjungamus, qui, in noſtra Pinacotheca, delectationem inſpicientibus afferunt, commemoratione hominum & cognitione formarum. Et ſane *jus* poſtulat. nam quamvis, ut David Rex inquit, ille, qui juſtitiam ac pietatem coluit, rectiſſimum tenuerit iter ad gloriam, nec cujuſquam oratione ac ſcriptis, ab oblivione hominum ſe vindicari deſideret; attamen omnis exſuperantia virtutis, jure ſuo, debitum laudis præconium efflagitat, ſuique memoriam nominis, rerumque geſtarum, literis cuſtodiri ab eo depoſcit, qui id ullo modo præſtare vel aſſequi valeat. Atque is, qui adeo noſtrum ad ſe ſtudium atque operam attrahit, eſt Iacobus Merlo Horſtius; in quo non minimus extitit

Catholicæ religioni apud Vbios ſplendor ac decus. Hic, viginti & unum annos, Eccleſiæ S. Mariæ in Paſculo, Parochi jure ac nomine, ita præfuit, ut non ſolum ceteris Parochis, ſed longe ſuperioris etiam ordinis hominibus, debeat eſſe exemplo, quemadmodum commiſſa ſibi à Deo animarum regendarum provincia ſit gerenda. Primum, ne minima quidem in eo cogendæ pecuniæ cupiditas ac ſtudium exarſit, nulla innatæ eidem avaritiæ ſuſpicio ſe prodidit, ut, quemadmodum à pluribus committi videmus, locupletioribus ſemper ſacerdotiis inhiaret, ac, tenuioribus valere juſſis, pinguiora invaderet; in quibus juſtiſſima illa Dei querela conſumitur, qui, avida iſtorum ingenia verberans, Prophetarum ore eos, ait, non greges ſibi commiſſos paſcere, quemadmodum paſtores æquum eſt facere, ſed ſe ipſos alere, neque quidquam curæ illis eſſe, ne populi, cæleſtis pabuli inopia enecti, depereant, ſed omni mente in ea cogitatione curaque verſantur, ut opibus divitiiſque circumfluant, quibus quotidie laute ſplendideque convivium exornent, abacum argento optime facto inſtruant, quod in conviviis exponant, pretioſam ſupellectilem comparent, Attalicis peripetaſmatis parietes ædium ſuarum veſtiant, canes, pane ex Chriſti pauperum ore, quibus debetur, erepto, educent expleantque, quibus in venationibus utantur. At iſte, de quo loquimur, eo ſacerdotio, ad quod ſemel eum Deus vocaverat, quamvis exiguum, contentus, in eo regendo adminiſtrandoque, omnes, ut par eſt, nervos ætatis, ingenii, induſtriæque exſeruit. &, quia fortaſſe non deerant, qui ejus cupiditatem ſtudiumque, ad majora concupiſcenda, inflammarent atque incenderent, quo poſſet abundantius vivere, eos Davidico illo rejiciebat, *Dominus regit me, & nihil mihi deerit*; *in loco PASCVÆ, ibi me collocavit*; ad eccleſiæ ſuæ nomen alludens, quæ S. Mariæ, ut diximus, in Paſcuo appellabatur; in quo, modico, ut dixi, contentus, non avidi, non appetentis animi ſigna præbebat. Tum, in ſuo munere recte laudabiliterque tuendo, nullus eum major labor ſolicitudoque torquebat, quam illa, ne quid detrimenti Catholica fides caperet, in hac cuſtodia ſemper permanebat, ab eaque ne tan-

tantulum quidem oculos dejiciebat, etiamsi omnes mortales sibi capiundos esse inimicos non dubitaret. Sed quum tanto Catholicæ religionis studio teneretur, fortasse non poterat iis, quos in fide erudiendos susceperat, doctrinæ inopiâ, satisfacere. immo erat apprime eruditus ac doctus, & Theologicis præcipue disciplinis instructus: nam in iis numerabatur, quos Theologiæ Licentiatos appellant. Itaque, festis diebus, doctâ atque igne caritatis incensâ oratione, studebat, ex animis hominum, vitiorum radices evellere, & contrarias illis virtutes inserere; privatis vero sermonibus, non cessabat, suis opem afferre, afflictos consolari, errantes in viam reducere, peccata in odium adducere, pacem componere, ac discordiarum causas, si quas inter aliquos intercedere noverat, funditus tollere. Quæ oratio eò apud suos gravior habebatur, quod cum ejus vita mirabiliter congruebat. Vivens, in assidua mortis meditatione versabatur, in eaque magnam inesse vim ad bene vivendum, non immerito existimabat; ac propterea, ut ceterorum hominum studia ad eandem exercitationem commoveret, quam tanto sibi usui fuisse cognoverat, libellum composuit, quem etiam, extremum spiritum agens, sua manu conscripsit, quem *Epitaphium hominis Christiani*, vitæ ejusdem regulam exprimens, appellavit: in quo hominem, vita functum, & conditum in sepulcro, cum viatore loquentem inducit, eumque amice ac perhumaniter admonentem de statu hominis post mortem, tum quod ad corpus tum quod ad animum pertinet; ac præsertim de ratione dictorum factorumque omnium, quam Deo severissimo judici reddit; quæ, quo altius mentis memoria in animo hæreat, potest unusquisque ad res suas revocare, (nam ad id demum redeundum est omnibus,) seque jam esse mortuum, ac prædicere ea aliis, effingere. Verum melius ex aliis ejus scriptis agnoscitur, quali ipse ingenio fuerit. plura enim scripsit, pleniſſima eruditionis ac pietatis. Multum etiam operæ ac laboris, in D. Bernardi operibus illustrandis tribuit. Sed nimis celeriter evocatus est à Deo, ad laborum suorum fructus percipiendos. etenim, annos natus, non amplius septem ac quadraginta, XII Kal. Aprilis CIↃ IↃC XLIV, à vita recessit. MAR-

III. MARTINVS BONACINA.

EX iis omnibus, qui generi hominum consulere deque eo bene mereri laborant, iis non immerito palmam esse dandam existimo, qui ita literarum studiis operam navant, ut aliquid ex se pariant, cognitione & scientia dignum, quod deinde editum, ad communem omnium utilitatem hominum proferant. Etenim ii, vehementi cuidam cupiditati, unicuique à natura insitæ, occurrunt, ut aliquid semper addiscat, ac præstantissimam illam animi facultatem, nempe intelligendi vim, rerum pulcherrimarum notitia augeat, alat, ac nutriat. Omnes, Aristoteles inquit, homines, ad aliquid intelligentia scientiaque comprehendendum, naturali quodam impetu incitati feruntur. Verum, illi quoque non minus, immo multo etiam, ut opinio mea fert, magis, hominum in se studia voluntatesque merentur, qui ea literis tradunt, quibus ii, in quorum manus ea pervenerint, meliores fiant, atque animi morbos erroresque depellant, quos si evelli exstirparique contingat, quanta à Rebuspub. quanta à privatis hominibus vis infortunii abesset! atque ex contrario, quantum eisdem pacis & tranquillitatis bonum accederet! Vnde, obsecro, bellorum, seditionum, discordiarum, ac litium semina oriuntur, nisi ex hominum cupiditatibus? Eas tolle; simul etiam litium controversias, bellorum certamina, unde illa promanant, eripies. itaque homines inter se amice ac concorditer viverent, nihil quisquam ex alterius bonis concupisceret, nemo alterum injuria vel damno afficeret. quo quid potest generi hominum felicius accidere? Atque ei rei pro sua virili parte dant operam ii, qui in eo sunt omni cura & cogitatione intenti, ut libris, à se editis, animi vitia, quæ mali tantum, quantum diximus, afferunt, noscantur, curentur, ac depellantur. At utraque in re Martinus Bonacina Mediolanensis, ut magno generi hominum esse usui posset, multum studio atque labore perfecit. nam libris acutissime scriptis, tum ea, quæ ad ingenium excolendum alendumque, & ad sciendi sitim explendam, valerent, exposuit, cum etiam,

iam, quæ ad mores, prolapſos, erigendos, ad cupiditas, longius progreſſas, revocandas, ac rectam vitæ raonem inſtituendum, ſunt neceſſaria, quam plura, Moalis Theologiæ nomine inſcripta, edidit; quæ, inuam, omnia ad utilitatem diriguntur eorum, quos in ita errare contingit, vel, ſi nunquam ab officio diſceſerunt, quemadmodum in eo permanere ad extremum ſque ſpiritum poſſint. Quæ tantum commendationis abuerunt, ut laudibus, non ſemel ſed ſæpius, non uno tantum in loco, ſed in pluribus ab ipſo aucta & locupletata, ſint typis excuſa. neque omnibus in rebus fecit deſideriis eorum ſatis, qui ſciendi cupiditate ſtudioque tenentur. multa enim ſunt, quæ nihil vel parum nos ſcire expediat; ſed eas vel tantum recognoſcendas illis objecit, quas, quoad fas eſt, homini, ſcientia perceptas ac memoria comprehenſas nos habere, conveniat; ut Chriſti Domini incarnationem & cæleſtis gratiæ preſidia. nam de re utraque accuratiſſime ſcripſit voluminibus aliquot: quibus &, quæ divinitus de inexplicabili illo myſterio traduntur, quo Deus, Dei Filius, communem hominum naturam aſſumſit, eamque ſibi arcano atque à nemine intellecto unius hypoſtaſis nexu conjunxit; & quæ nos de divinis auxiliis ſentire oporteat, quibus ad ea, unde æterna noſtra ſalus continetur, ſuſcipienda excitamur, proſequenda juvamur, perficienda confirmamur, eſt perſecutus. Cujus egregia virtus atque doctrina eo gratior ac probabilior videbatur, quod erat cum ſumma morum ac vitæ probitate innocentiaque conjuncta. nam iſti, ſi diis placet, vitæ morumque magiſtri, ſi ſecus vivant quam docent, ſi legibus, quas aliis indicunt, continentiæ virtutumque omnium ipſi non obtemperent, magna ex parte, quod in ipſis eſt, doctrinæ, quam tradunt, commendationem videntur evertere, ac ſuis doctiſſimis ac ſapientiſſimis vocibus, ne commeare in animum poſſint, audientium aures obſtruere. Hanc igitur ampliſſimam omnium artium, bene vivendi diſciplinam, Bonacina, non ſolum literis, verum eſt etiam moribus proſecutus. Neque id diſſimulatum eſt ab iis, qui eodem tempore, in ſimili, Moralis videlicet Theologiæ tradendæ argumento verſati

ſati ſunt : quos ille, non uti mos eſt eorum, qui idem opus urgent, adverſarios aut obtrectatores laudum ſuarum, ſed ſocios potius & conſortes laudabilis ejuſdem laboris, habuerat ; qui fere omnes, in ſuis libris, honorificis ſane verbis, vitæ eidem ſancte ac laudabiliter actæ teſtimonium dederunt. Atque ejus hanc ſingularis probitatis doctrinæque famam arbitror fuiſſe cauſam, quæ Vrbani VIII Pont. max. ſtudium incenderit, ad inſignis cujuſdam civitatis Epiſcopatum illi demandandum. Quod utinam Vrbano Pont. non veniſſet in mentem. non enim, in medio fere ſpatio, fuiſſet interruptus illius ad ſummæ doctrinæ gloriam curſus, multique, ad ſtudioſorum utilitatem, ejus ab ingenio, fructus perveniſſent, quos omnes mors illis, tanquam calamitas aliqua, intercepit. etenim, dum anno cIↃ IↃc xxxi, æſtate media, ac ſummis caloribus, diſcedens ab Vrbe, in Germaniam properat, prius quam Viennam attingeret, eſt conjectus in morbum, qui cum in dies fieret amplior, ſenſit, ſibi mortem inſtare, ac multis veræ pietatis ſignis editis, animam Deo, unde acceperat, reddidit ; non quidem inanem ac nudam, ſed tanquam talentum, quod, ut in eo negotiaretur, accepiſſet, magno cum fœnore auctam locupletatamque. Ac præter libros, quos diximus, ab eo relictos, edidit etiam alios duos ; unum, de electione ſummi Pontificis, de beneficiis alterum.

IV. ROBERTVS VBALDINVS.

MAgna profecto vis ineſt in prima illa puerili inſtitutione, ad reliquum vitæ curſum ſimiliter peragendum. nam ſi illa, ex ſanctiſſimis legibus atque ex optima diſciplina conſtiterit, conſimilis etiam illi vitæ curſus conſequetur : ſin autem ex otio, inertia, deſidiaque confletur, quis dubitet, quin, qualis ſementes fuerit, tale ſit etiam id, quod ex ea metatur ? At, inſtituendi formandique, in ætate prima, puerorum animos ad majorum inſtituta, ac probatiſſimos mores, adeo ad parentum, eorumque in quorum poteſtate illi ſunt, curam ac ſolicitudinem pertinet, ut, quamcumque illi in par-

artem se dederint, sive ad virtutes sive ad vitia contu-
erint, non tam puerorum illam esse laudem vel cul-
am, quam eorum, quorum illi disciplina continentur.
Recte Diogenes, ut Cynicus, cum videret, adolescen-
ulos quosdam ante præceptoris oculos scurriliter quid-
piam agere, non illos verborum objurgationibus ver-
beravit, sed elato baculo, quo nitebatur, aliquot magi-
stro, cujus illi culpa delinquebant, plagas imposuit; Sic,
inquiens, doces? Perspicuum est, quam longe paren-
tum in libros indulgentia prodierit, qui eos à teneris,
ut Græci ajunt, unguiculis assuefaciunt, quidquid inci-
derit in animum, velle, victui, vestitui ac cæteris re-
bus, supra vires indulgere, sermone uti immodesto ac
procaci, multa in eis, pudenda dictu, conspicere. Fac,
in istis esse Franciſci vel Dominici indolem, jam tota,
hac disciplina, corrumpetur atque delebitur. Contra,
da illis ingenium malum, & ad pejora omnia pronum,
quodnam est facinus tam audax, quod non illi, cum
adoleverint, concepturi? quodnam scelus tam atrox ac
sævum, quod non susceturi etiam sint, si causa peccan-
di se dederit? At ex contrario, si non mollis, prima illa
puerorum educatio fuerit, si nulla cæca atque sopita
parentum socordia interceſſerit, si disciplina quam ma-
xime severa non defuerit, quid non boni sperari pote-
rit ab iis, quos pietas, frugalitas, pudor in ea domo a-
luerit? Talis erat illa domus, in qua educatus est Ro-
bertus Vbaldinus ex M. Antonio Vbaldino & Lucretia
Gherardeſcha, Leonis XI, Pont. max. sororis filiâ,
natus. Aberat ab ea domo luxuria, improbitas, perfi-
dia, fraus; vigebatque in ea, castitas, modestia, tem-
perantia, simplicitas, fides. Eruditus est in scholis Pa-
trum Soc. Iesu, una cum aliis fratribus, tum literis hu-
manis tum philosophicis. cujus ea erat ingenii docili-
tas, ea in accipiendo, quæ à magistris tradebantur, ce-
leritas, ut clare inter ceteros condiscipulos exsplende-
sceret. Et, quia Perusii, ubi parens suus plurima ac ma-
xima negotia habebat, magnam ineuntis ætatis partem
exegit; factum est, ut, quemadmodum alios doctos vi-
ros, ita etiam Balthasarem Ansideum, Græcis doctum
literis & Latinis, ita consuetudine sua sibi devinxerit, ut

fere

fere nemo illi fuerit carior, neque jucundior. Legi ego aliquot Anſidei ad ipſum & ad fratres epiſtolas, quibus eos ad ſtudium eloquentiæ adhortatur ; quæ epiſtolæ tantam viſæ mihi ſunt habere Latini ſermonis puritatem ſuavitatemque , ut appareret , in eis nativum quendam leporem , ac proprium Romani generis, eſſe, non autem aſcitum. Verum, cum Robertus à magiſtris ſuis didiciſſet , atque etiam ipſe legiſſet , neminem ſibi ſoli natum eſſe, ſed multo magis generi hominum, quibuſcum naturæ ejuſdem ſocietate conjunctus teneretur, ſimulque accepiſſet , eam Philoſophiam procul abeſſe ab eo viro, qui aliis eſſe uſui poſtulet, quæ nos avocat à curia , à foro , à negotiis publicis ; ſtatuerat, eas artes, quas adhuc didicerat, non domi otioſas, voluptatis ſuæ gratia habere , ſed foras educere, & ad communem utilitatem uſumque transferre , atque , cum primum per ætatem poſſet, Rempub. capeſſere. Sed, quomodo ad eam auderet accedere , niſi antea leges & inſtituta majorum , quibus recte ea adminiſtraretur, noſſet ? Itaque utrumque Ius didicit, tum civile, tum Pontificium ; &, poſtquam , ſapientiſſimis illius præceptis, ſatis pectus impleſſet , Piſas ſe contulit , ut ibi, ex legibus ſuæ patriæ , Doctoris ſibi nomen ac poteſtatem adſciſceret. Tantus adoleſcentis in ſtudiis literarum atque in omnibus bonis artibus profectus, incredibili Alexandrum Mediceum, magnum ejus avunculum, voluptate afficiebat , cui ob egregiam virtutis indolem , quam in eo admirabatur , carus erat in primis : jamque conſtituerat animo, atque etiam , parentibus ejuſdem audientibus, dixerat , ſuam eum in aulam excipere , ut ſibi ab epiſtolis , ac particeps conſiliorum omnium , eſſet ; ſed non ante , quam ille paululum ætate proceſſiſſet ; erat enim eum admodum adoleſcens : quod , arbitror , fuit cauſa, cur eum ſecum in Galliam non duceret, quo Legatus proficiſcebatur à Clemente VIII Pont. max. miſſus ad Henricum IV Regem , qui nuper cum Romano Pont. & cum Eccleſia Catholica in gratiam redierat , ut palam hæreſin, in qua fuerat, deteſtantem exſecrantemque , ab iis eum cenſurarum eccleſiaſticarum laqueis explicaret, in quas ſe induerat. Qui poſtea Cardina-

nalis, legationis illius munere, ſibi tradito, diligen-
er obito, cum è Gallia in Vrbem ſe recepiſſet, invenit
Robertum, in iis ſtudiis, in quæ fuerat ingreſſus, cupi-
ius ſe continentem, quam reliquerat; cepitque ex ea
e voluptatem. Ac illi, aliquot jam annorum acceſſio-
ne, magna ex parte, elegantis illius formæ nitor decre-
erat, quem ineuntis ætatis flos ſolet afferre; jamque
barba genas obſederat: cum, ſui memor promiſſi, am-
plexus eum eſt, cœpitque ejus operâ uti, quam magno
ſibi uſui ornamentoque eſſe ſentiebat. Interim Cle-
mens VIII, ſive morbo corporis, ſive ægritudine ani-
mi, ut quidam ajebant, exceſſit è vita. habita ſunt novi
Pont. comitia. nè multa; non varie, ſed cunctis ſen-
tentiis, Alexander Card. Mediceus, in demortui Pont.
locum ſufficitur. Magna tum ac certa Roberto ſpes
honorum atque opum affulſit; in quam etiam, Pont.
Leonis XI nomine appellatus, eum vocaverat: ſed
vix ea illuxerat, cum extincta celeri Pontificis obitu
eſt. nam ex tanto faſtigio, po. ſeptem & viginti dies,
quam illud conſcenderat, corruit. Tantum domeſticæ
amplitudinis (ſi ille diutius vixiſſet) damnum Rober-
tus æquiſſimo animo ſuſtulit. ſed continuo ſpes ejus,
quæ viſæ fuerant à radice revulſæ, majore vi repullula-
re cœperunt. etenim Paulus V qui Leoni ſucceſſerat,
ſive hominis miſericordia motus, quem repente de tan-
ta tamque florenti fortuna dejectum cernebat, ſive mul-
to magis ſingulari ejuſdem virtute compulſus, cubiculi
ſui Pontificii præfectum ſibi delegit; qui honoris lo-
cus, in ſummorum Pont. aulis, honeſtus atque honora-
tus in primis habetur. At Pontifex, ejus fide & indu-
ſtria cognita, cœpit illum ad res multo graviores ad-
hibere, intimum ſuis conſiliis habere, &, ſi quando ma-
joris momenti res incidiſſet, de qua ad Reges alioſque
ſummos in Rep. Chriſtiana Principes accurate eſſet di-
ligenterque ſcribendum, ceteris, quos ſcribæ loco ad
manum habebat, repudiatis, eas illi partes demanda-
bat; quod diceret, ſe neminem invenire, qui majori
ſententiarum gravitate, ac verborum ſplendore, animi
ſui ſenſa complecteretur. Idque mihi narrare ſolitus
erat Marcellus Veſtrius; qui tectam ejus in ſcribendo

pru-

prudentiam, & ſingularem Latini ſermonis elegantiam, miris in cælum laudibus efferebat; ac fidei faciendæ gratia, oſtendebat mihi aliquot ejus brevia, quibus, mea etiam ſententia, nihil poterat eſſe præſtantius. Quibus rebus cum magnam Pontificis benevolentiam aſſequeretur, non minorem aulicorum invidiam excipiebat; eorum in primis, qui arctiſſima Pontifici cognatione implicabantur; quod illum unum pluris quam ſe omnes fieri animadvertebant. itaque excogitant rem ſingularem. mittendus erat in Galliam à Sede Apoſtolica Nuncius: perſuadent Pontifici, temporum rationem, in quibus tum res Galliæ verſabantur, expoſcere, ut is eò mittatur, qui nobilitate, ingenio, prudentia & auctoritate, plurimum præſtet; ſe autem neminem videre, qui in his omnibus virtutibus Roberto Vbaldino, Pontificii ſui cubiculi præfecto, antecedat. hoc eò faciebant, ut non ſolum abeſſet ab aula, verum etiam libenter & cum magno honore beneficioque abeſſet, ipſi autem, remoto & ablegato eo, cujus conſilio multum movebatur Pontifex, quemque ſibi anteponi, indigne ferebant, primum apud eum locum tenerent amicitiæ, auctoritatis, atque conſilii. Pontifex, quamquam ægre eum, cui maximam fidem rerum ſuarum habebat, à ſe divelli pateretur, tamen communem utilitatem privatæ anteponendam eſſe duxit; atque miſit eum Nuncium in Galliam. Vbi talem ſe præbuit, cujuſmodi illi, Pontifici confirmaverant, ac Pont. ipſe non dubitabat. nam ſapienter, atque ex Sedis Apoſtolicæ dignitate omnia geſſit. Verùm, qui adeo liberales in eo laudando extiterant, iidem, in ipſo, debitis ejus virtuti præmiis, exornando, nimis parci inveniebantur. Obtinuit jam ferme conſuetudo, ut ii, qui ad ſummos Reges Nuncii mittuntur, ſi munus illud fideliter diligenterque adminiſtraverint, confecto triennio, in ampliſſimum Cardinalium Senatum legantur: at illi, quibus Roberti virtus, & apud Pont. gratia, inviſa erat, dederunt operam, ut in Cardinalium comitiis nulla ejus ratio haberetur, ejuſque electio in nonum annum protraheretur; quod dicerent, nullam eſſe rationem, tum, cum minime opus eſſet, è Gallia eum removere, ſed exſpectandum, quo-

ad

d Henrici Regis filius regnum obtineret, præsertim
um ejus opera graviſſima fideliſſimaque uteretur. Le-
gi ego ejus epiſtolam, diſerte quidem ac prudenter, ut
unquam non aliàs, è Gallia ad Scipionem Card. Bur-
gheſium ſcriptam; ubi, qua erat animi æquitate prædi-
us, nequaquam ægre accipit, in Cardinalium comitiis
e fuiſſe prætermiſſum, quum cæteris apud Reges alios
Nunciis idem fuiſſet honor impertitus; ſed ea tantum
ibi cauſa dolere, quod Regni proceres, in contemtum
Regni illius Majeſtatis id factum eſſe, graviter conque-
rerentur; id ſibi acerbum & grave videri. Sed tandem
Cardinalis factus, venit ad Vrbem; ubi benigne quidem
& humaniter exceptus eſt, iiſque auctus beneficiis, &
eccleſiaſticis opibus, quibus tantam ſuſtinere dignitatem
ſatis commode poſſet. Interim Pont. Paulus gravem in
morbum implicitus, ab eoque oppreſſus, vivendi finem
fecit. Agitur de ſubrogando novo Pont. atque à demor-
tui cognatis, iiſque quorum maxime intererat, eum ſibi
dari Pontificem, quem ſcirent, à ſuis rationibus alienum
non fore, eum in locum adducta res erat, ut, cum tot
ſuffragia haberent in poteſtate, quot eſſent ad creandum
novum Pontificem ſatis, neceſſario ſummum illud Sa-
cerdotium ad eum eſſet venturum, quem illi vellent. At-
que adeo id erat omnibus exploratum, ut Auguſtinus
Maſcardus orationem, quæ ad Cardinales, eo ipſo die
quo conclave ingrediuntur, haberi ſolet, non dubitave-
rit hac ſententia concludere: Vivat adhuc ac perſeveret
in Petri ſucceſſoribus Petrus; hoc enim nomine is ap-
pellabatur, cui illi ſuffragabantur. Sed eorum conatibus
fortiter acriterque reſtiterunt Card. Vbaldinus aliique
nonnulli; quibus indignum videbatur, per hunc mo-
dum perpetuari dominationem. atque ridicule eorum
quidam reſpondiſſe fertur illi, qui priores in illis comi-
tiis partes habebat, cum Petri, cui ſuffragabatur, meri-
ta nimis exaggeraret, eaque eſſe diceret maxima, in-
gentia, immortalia. Tace, inquit; nullam ego majo-
rem in ejus virtutibus laudem invenio, niſi eam quod
docti ſciteque Oeconomi tui munus adminiſtraverit. at
poterat ille, ſi tantum ingenii à natura habuiſſet, hanc
reſponſionem alia reſponſione eludere, ac dicere: ideo

Oeconomum illum ſuum ſatis eſſe dignum, cui Eccleſiæ univerſæ adminiſtratio committeretur, quod privatam domum recte adminiſtrare didiciſſet. nam ex Apoſtolo Paulo, cujus auctoritate nihil eſt gravius, Quomodo is, qui domui ſuæ præeſſe neſcit, Eccleſiæ univerſæ, & Chriſtianorum omnium quaſi familiæ, gubernandæ provinciam accipiet? jugulaſſet profecto ille hominem hoc dicto. Sed, ut ſeſe res habeat, nunquam Pontificatus max. ab eo, quem ipſe volebat, abiiſſet, ſi id egiſſet quod agebat, nec tempus maluiſſet in altercando conſumere. nam ſi Pontificio illum in ſolio collocaſſet, certatim, perterriti, accurriſſent omnes, ut Pontificem eum agnoſcerent ac venerarentur. ſed illi conſilium atque animus defuit. Verum, non poteſt præteriri ſilentio, incredibilis illius, qui ad tantas opes dignitatemque vocabatur, magnitudo animi atque conſtantia; qui, cum ſibi Pontificatus ereptus è manibus eſſet, non abjecit animum, non deſpondit, non deſperatione fractus ac debilitatus, non ex dolore de mentis ſtatu dejectus eſt, vel ex ægritudine de vita depulſus; ſed ne vultum quidem mutavit; ac vixit uſque ad extremam ſenectutem. Ex quo licet arguere altum quendam & exaggeratum, ac ſuperiorem humanis rebus omnibus, animum. Cum igitur, de eo Pontifice eligendo, ſuffragatorum inertia, occiſa ſpes eſſet, converſa ſunt hominum ſtudia in Alexandrum Card. Ludoviſium, Bononiæ Archiepiſcopum; atque ea ipſa nocte, ſumma omnium voluntate, creatus eſt Pont. In quo præſertim Roberti opera ac ſtudium enituit. Neque vero hoc fugit Gregorium (hoc enim nomine appellatus eſt novus Pontifex;) nam multis in rebus, gratum ſuum erga illum animum oſtendit; inprimis, quod illuſtrem Bononiæ Legationem per illum adminiſtrari voluerit. ac Card. Ludoviſius, fratris ſui filius, villam in Tuſculano magnificam eidem tradidit, ut ea, quoad vita ſuppeditaret, uteretur frueretur. Cujus egregiæ erga ſe voluntati dum parem gratiam referre contendit, quo illius ſtudiis obſequeretur, magnum rerum ſuarum diſcrimen adiit; atque, eo tempore amicus aberat, cui ſua omnia conſilia credebat, quique nimios illos

erga

rga hominem de se bene meritum grati animi impe-
us, magna ex parte, retardare potuisset. Sed animus
generosus ac præstans ægre beneficiis vinci se patitur,
atque antea ex nimia indulgentia obsequioque deside-
ari in se mavult prudentiam suam, quam ut aliquid il-
i, cui se debere profiteatur, à se petenti recuset. Incre-
libili optimarum elegantissimarumque artium studio
& cupiditate flagrabat: & in primis illustrium tum ve-
terum tum sui ævi poëtarum lectione expleri saturari-
que non poterat; habebatque selectos quosdam amicos,
doctos & honestos viros, quibus cum eos lectitare, lau-
dare, admirari, &, si quid incideret, quod præ ceteris
extaret ac promineret, clamores efferre, consueverat.
Erat literatis viris deditus, eorumque inopiam large
sua pecunia sublevabat; ut de Augustino Mascardo nar-
ratur, quem alieno à se animo esse, non ignorabat,
quemque sciebat, in conventibus amicorum, in aulis
Principum, multa nec recte in ipsum loqui. nam, Tu-
sculi cum esset in ea villa quam diximus, audissetque,
Mascardum, gravi implicitum morbo, in lecto decum-
bere, præterea destitutum ab iis, quos in cælum laudi-
bus efferebat, omnium rerum inopia laborare, ultro eum
adiit, humanissimis verbis consolatus est, & nummis
aureis centum donavit, quorum præsidio ex eo morbo,
unde nunquam sine illis se expediviset, evasit. Item ille
auxilium nummarium Francisco Balduccio, poëtæ in-
signi, in pannis & inopia vitam agenti, attulit. nam, ut
idemmet Balduccius mihi narrare solitus erat, die quo-
dam, cum jejunus, & affectus fame, nescio quod illi
carmen recitaret, Cardinalis aperuit ipsi arculam quan-
dam, nummis aureis plenam, rogavitque eum, ut tan-
tum inde sumeret, quantum ejus voluntas ac necessitas
pateretur: quod cum ipse renuisset facere, ille tan-
tum auri, quantum manus capere posset, exceptum,
in ejus sinum rejecit. At homo, gratus, atque af-
fluens omni lepore ac venustate, ne versum quidam
unum in eum, quod certe in ejus libris appareat, fecit,
cum tot laudum maximarum in illo argumenta suppe-
terent. Omnes fere, alicujus, sui ævi, nominis poëtas
arctissima sibi habuit familiaritate conjunctos, Ioan.

Baptiſtam Marinum ; ad quem elegans ſcripſit carmen Etruſcum ; cui Marinus non minus eleganter politeque reſpondit ; Franciſcum Bracciolinum , ſummum , poſt Torquatum Taſium , epici carminis artificem ac magiſtrum ; Porphyrium Felicianum, Fulginatium Epiſcopum, epiſtolarum ad ſummos Principes ſcriptorem , ac poëtam clariſſimum, qui etiam, extrema ſua ſenectute , librum illi Odarum dicavit , in quibus tum præteritæ ſuæ vitæ peccata deflet , tum fallaces ſpes , & inanes cogitationes , quas ad ſeſe falſæ honorum ſpecies fragileſque fortunæ attraxerant , acri ac vehementi incuſatione atque querela proſequitur , tum Deum ſibi propitium facere ſtudet ; quibus nihil mihi videtur purius , nihil gravius , nihil elegantius , nihil doctius ; de quo opere interrogatus quidam , qui non poëticæ ſolum facultatis, ſed mille etiam aliarum artium princeps habetur, quænam ejus eſſet ſententia , reſpondit , luteum illud eſſe negotium , nec ſatis dignum , quod , typis editum , communem hominum lucem aſpiceret. Quod ſi ille nihil laude dignum exiſtimat , niſi quod immanibus , ingentibus , longiſſimeque petitis tranſlationibus , ita in altum feratur , ut oculorum aciem effugiat , niſi , quod vibrantibus nec ſatis apertis ſententiolis conſtructum , paucorum , judicio carentium , approbatione legatur ; fateor , Porphyrium longe ab hac laude abeſſe : ſi verò illud ſemper eſt habitum optimum ſcribendi genus , in quo Petrarcha , Bembus , Caſa, Guidiccionus, aliique hujus notæ poëtæ verſati ſunt, neſcio , cur Porphyrius , qui ſuis eos veſtigiis perſecutus eſt , nullo, ut ille ajebat , in numero ſit habendus , ac propterea ineptus exiſtimandus , quod careat ineptiis. Reliquit ipſe Odas, Etruſco ſermone, cui nunc ſermoni magnus honor eſt , ſcriptas , quamvis non ita multas. non enim homini, in Repub. gerenda occupatiſſimo, multum ſolet eſſe otii ad ſcribendum ; ſed tanta verborum elegantia , tanto ſententiarum ſplendore , ut neminem videam, ex iis, qui nihil aliud in vita egerunt , qui ſe illi debeat anteponere. Et , quò majorem illi laudem , quàm ceteris , eſſe tribuendam ſcias , non inaniſſimos mulierum amores, non brevem atque caducum illarum pul-

ulcritudinis florem tractandum celebrandumque sus-
epit ; de quo argumento, ob multitudinem eorum, qui
n illo versati sunt , nihil est faciliùs scribere ; sed in eo
laboravit , in quo plurimum prodesse legentibus pos-
et ; nimirum de fugiendis voluptatum illecebris, de se-
landis opum divitiarumque cupiditatibus , de contem-
nendis honorum dignitatumque muneribus , de supre-
no judicio , de inferorum suppliciis , in memoria ha-
bendis ; quas res asperas, inamœnas, omnisque voluptа-
tis expertes , tanto lepore , tantaque amœnitate tracta-
vit, ut , severius tamen id ipsum atque à sensu homi-
num abhorrens , suave omnibus ac jucundum videatur.
Symphoniacis ac musicis , quorum plures domi alebat,
non mediocriter delectabatur ; quorum vocibus cantu-
que, à negotiis publicis aut privatis , vel sua voluntate,
feriatus , vel satietate defatigatus , illam ex animo ,
quam intus conceptam habebat , miseriam exspueret.
Familiam suam , pane , vino, obsonio , atque omnibus
aliis in rebus , large liberaliterque habendam curabat.
nam solitus erat dicere (nec injuria) bonam aut malam
dominorum, in animis hominum , existimationem , ex
sermonibus pendere, quos illorum familiares , vel bene
vel male in omni victu tractati , de ipsis in vulgus dis-
sipassent. Neque solum ejusmodi se præstabat iis, qui,
honestioris ordinis , præcipua domi suæ munera exer-
cerent , sed infimæ etiam sortis hominibus , cujusmodi
sunt , circumpedes , rhedarii , mediastini : nunquam
enim, ne ab eo quidem ordine , passus est desiderari of-
ficium suum, neque in secunda neque in adversa vale-
tudine : nam ægrotos eos invisere , consolari , ut nulla
re , ad valetudinem recuperandam necessaria, egerent,
curare ; cum sacra illis Eucharistia deferretur , adesse ;
atque alia ejusmodi pia Christiani Principis officia præ-
stare, quæ ego aliis in domibus fieri non vidi. Sed pie-
tatem in Deum suam , multo magis in morte ostendit ,
cum, matre , lectissima ac præstantissima fœmina , præ-
termissa , cum fratris , moribus , ingenio , ac religione
insignis, oblitus, Congregationem de propaganda fide,
omnium bonorum suorum , quæ erant maxima atque
ampliſſima, hæredem instituit. non est passus, plus apud

se valere matris vel alterius ex cognatis propinquitatem, quam in Deum pietatem. Hunc quam diuturna lucis usura perfrui, hunc Pontificem max. factum oportuit. Vnius tamen propinqui, Leonis videlicet XI, Pont. max. magni sui avunculi, memoriam non abjecit; cujus egregia in Rempub. Christianam merita nolebat, temporis diuturnitate, in hominum oblivionem adduci, sed perpetuo in oculis omnium hærere. itaque, regium eidem è marmore sepulcrum, cum ejus statua, item è marmore, egregii artificis manu elaborata, in Æde S. Petri in Vaticano faciendum ornandumque mandavit, quod esset insigne grati ac benevolentis sui erga illum animi monumentum. Denique, ut est humanæ vitæ conditio, in dolore cruciatuque, calculi morbo, decessit.

v. PAVLVS PALETTVS.

SI ex me quæratur, quid sit illud, in quo nobis elaborandum magnopere censeam, quodque, si daretur optio, eligendum, ut ceteris hominibus anteire possimus; responderem, illud esse, in quo homines ceteris animalibus antecellunt. Quidnam est illud, in quo homines ceteris animantibus, infinito penè intervallo, se superiores esse gloriantur, nisi rationis facultas, ac vis eloquendi, qua animi sui sensa, dicēdo, possint exprimere, & audientium animis, tanquam oculis, verbis, quasi coloribus, depicta subjicere? Quamobrem, si quis inveniatur, qui planius, limatius, politius, quam ceteri, præstare id possit, quid jam fateri nos prohibet, multo hunc longius ab animalibus mutis abesse, quam eos, qui rem quidem norint, sed eam graviter, & ornate, & hominum mentibus ac sensibus accommodate, proferre non possint? neque ferat moleste, se habitasse in hac una ratione bene dicendi rectèque scribendi, aliis rerum cognitiones reliquisse; nam de illis ipsis rebus, quarum illi notitiam usurparunt, cum opus erit, multo iis ipsis copiosius ac splendidius dicet. immo, si ita res exigat, ut ea, quorum ipsi sunt domini atque magistri, paulò dilucidius atque ornatius explicata, sint in vul-

vulgus edenda, ad ejus, ut ita dicam, officinam confugiendum eſt, qui ſit artifex faciendæ poliendæque orationis; hic enim ea, ad ſe delata ac tradita, ſuo artificio ita verbis aptis atque illuſtribus circumveſtiet ac ſepiet, ut non ab altero accepiſſe, ſed ſuo ex ingenio parta, aliis tradidiſſe exiſtimetur. Omnino ſe rem habere ſic ſtatuo, ut eloquens, ea, quæ ex aliorum diſciplinis tractanda ſuſceperit, pæne melius, quam illi qui in eis principes habeantur, ſcire videatur. Atque, ut ad exempla veniamus: mitto veterem illum Aratum, qui, ut conſtat inter doctos, ignarus Aſtrologiæ homo, totam de cælo ſtelliſque rationem optimis elegantiſſimiſque complexus eſt verſibus: mitto Nicandrum Colophonium, hominem item ab agro remotiſſimum, qui de rebus ruſticis, non ruſtico quodã modo, ſed ſummo verborum ſententiarumq; ſplendore & apparatu, tractavit: mitto etiam peripateticum illum Phormionem; qui, cum nunquam hoſtem, nunquam caſtra, vidiſſet, multas horas copioſe, præſente Hannibale, de Imperatoris officio atque de omni re militari tractavit; quamvis contumelioſe admodum idemmet Hannibal, levitatis illum ſenem ſtultitiæque crimine accuſaverit, quod auſus eſſet, ſe audiente, de ea arte verba facere, in qua eſſet hoſpes ac rudis, ipſe verò peritiſſimus exercitatiſſimuſque: quaſi vero homini eloquenti, cujus facultas nullis circumſcripta terminis continetur, ſed jus illi eſt libere evagandi quàm velit, non liceat, de eo quod ipſe expertus non ſit, ſed ab eo, qui illius uſum habeat, acceperit, longos ſermones & elegantes intexere. Sed fortaſſe Hannibalem puduit, ſe, hominem imperatorem, qui tot annos de imperio cum Populo Romano certaſſet, à ſene umbratili, qui nunquam hoſtium vultum aſpexiſſet, in tradendis explicandiſque ejus artis præceptis, in qua ipſe princeps haberetur, eloquentiâ vinci; præſertim cum Græcas literas didiciſſet, uſus doctore, Soſilo Lacedæmonio, quem habuit ſemper in caſtris, cum eoque quamdiu fortuna paſſa eſt, conjunctiſſime vixit. Veteribus igitur exemplis omiſſis, ut ad recentia veniamus, nonne paulò ſupra noſtram ætatem, cum Catechiſmus eſſet conficiendus, in quo, eleganti ſtylo,

& ad imperitorum intelligentiam accommodato, quatuor illa capita explicarentur, quibus omnis vis & ratio Christianæ doctrinæ continetur, videlicet Apostolorum Symbolum, Sacramenta, Decalogus, & Oratio Dominica; nonue ad eorum facultatem confugiendum fuit, cujus facultatis proprium existimatur, ac revera est, lumine orationis illustrare, quæcunque quavis in arte traduntur? nimirum ad Paulum Manutium, Iulium Poggianum, Cornelium Amaltheum, quorum tum eloquentiæ laus vigebat in primis. at eorum quisque in pervolvendis Ciceronis aliorumque eruditorum libris dies noctesque occupatus, sacrarum literarum scientiam ne à limine quidem, ut dicitur, salutaverat; Cornelius etiam medendi artificio se tuebatur; qua arte à studiis Theologiæ nihil esse potest alienius. Et tamen, quæ in scholis Theologorum subtiliter arguteque disputantur, adeo eleganti, ornata, copiosaque oratione complexi sunt, ut ea quodammodo magis ipsorum esse propria, magis & ad ipsos pertinere videantur, quam ad eos, à quibus illa, tenui, perplexo, & exiguo sermone, disputantur. At, quorsum, inquies, hæc tam alte repetita oratio? Eò nimirum, ut omnes, quicunque eloquentiæ cupiditate studioque tenentur, incitatiore ad ejus laudem cursu ferantur, neve ceterarum magnitudines artium pertimescant, cum, aliquo monstrante capita earum & fontes, possint in eas ingredi, ac tantum inde haurire, quantum sibi sit satis, idque dilucidius atque elegantius explicare, ut diximus, quam ii, à quibus, in illis cognoscendis tractandisque, omne suæ ætatis tempus videmus esse contritum. Intellexit hoc Paulus Palettus Spoletinus, qui non solum toto, ut ajunt, pectore, eloquentiæ complexus est studia, è quibus tantas percipi utilitates posse non ignorabat, verum etiam aliis ducem, ad ea persequenda, se præbuit, ac Spoleti, ludum, quasi quandam eloquentiæ officinam, aperuit; cœpitque, prima illa puerili institutione, puerorum ingenia, tanquam dolare, atque ad eloquentiam effingere: ex quo ludo omnes planè prodiere, quicunque tum Spoleti, tum in Vmbria, non vulgarem eloquentium ac doctorum hominum famam sunt adepti.

In

In iis, qui se eidem in disciplinam tradiderunt, numerantur in primis Franciscus & Antonius Barberini Cardinales, qui eo tempore, quo Maphæus Card. illorum patruus, Spoletinam Ecclesiam administravit, eidem se excolendos exercendosque dediderunt; ac Franciscus etiam, patruo ad summum Pontificatus max. culmen evecto, memor hominis, & virtutis, & diligentiæ in ipso instituendo erudiendoque, annuis pecuniis de suo attributis, inopem ejus senectutem sustentavit, ac non minimum ex ejus morte dolorem accepit. Accuratum ille quoddam scribendi & exquisitum afferebat genus, quod arte limabat expoliebatque. Ita enim mihi narratur ab iis, quibus, ex illius scriptis; judicare de ejusdem ingenio ac literis contigit. nihil enim mihi venit in manus, unde ego, quantum utraque in re ille præstiterit, affirmare liquido possim. certe M. Antonius Bonciarius, qui non postremum inter eruditos ac disertos hujus ævi viros locum obtinuit, omnibus fere sui seculi scriptoribus eum anteponit, orationis cultu ac nitore; ac præsertim in scribendis epistolis: unum illi atque alterum præfert, ex antiquis Ciceronem, ex recentioribus Paulum Manutium. qui Bonciarius, cum per amicum sibi esset allata à Paletto epistola, nec suis eam posset oculis, quia cæcus esset, excurrere, alteri legendam tradidit, ut videlicet, saltem auribus animo traderet: sed auditione, tanta sensit se voluptate perfundi, ex styli amœnitate elegantiaque concepta, ut non semel audivisse contentus fuerit, sed eam sibi jusserit iterum ac tertio relegi, ac ne tum quidem expletus saturatusque discesserit. Summa denique huc redit: in ea illum sermonis elegantia cultuque, ajunt, fuisse versatum, qui esset illius proprius, neque cum aliquo alio communis; adeo ut, si sine illius nomine aliquid ab eo scriptum legeretur, ex politissima scribendi ratione, atque adeò ex colore ipso ac sono, ejus esse, agnosceretur. Id quod Vrbano VIII, Pont. max. contigisse narratur; cui cum regularis quidam Canonicus Lateranensis, nescio quem librum, ejus nomini dicatum attulisset, placuit, auctore præsente, epistolam, præfixam operi, legere; ac confestim in suspicionem venit, eam ex Paletti officina

cina fuiſſe profectam, accurata ac diligenti Latine ſcribendi elegantia ductus ; neque tacitum illud habuit, ſed palam iis, qui aderant, fecit. Denique, hunc quoque, ſicut ceteros, in quorum commemoratione verſamur, communis conditionis æſtus abripuit, ac morti, cui nos noſtraque omnia debentur, addixit.

VI. MARCELLVS SACCHETTVS.

SÆpius, in animantibus brutis, quam in hominibus ratione præditis, accidit, ut patres, filios ſibi ſimiles, gignant. illa enim ſuos in filios, ſi ſint fortia, fortitudinem, ſi imbellia, timiditatem, quaſi jure naturæ, tranſmittunt. nam *bonis*, ut Horatius inquit,

Eſt in juvencis, eſt in equis, patrum
Virtus; nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

At contra, in hominum genere, nonne interdum vidimus, ex ignavis, timidis, atque inertibus parentibus eos eſſe liberos ortos, quos natura à paternis vitiis ac probris abſtraxit? Neminem nominabo; ne cum filiorum laudibus, parentum præterea dedecus jungam. Quam multos contra, doctos, egregios ac bellica præſertim laude præclaros viros audivimus vel legimus, qui, pro ſe, Reipub. ſui ſimiles filios ſubſtituerint, ac non potiùs in contrariis ipſorum virtutum vitiis inſignes ediderint? Quis ad incredibilem admirationem non efferatur, cum de Scipione, Africani illius nunquam ſatis laudati filio, audierit, tanto illum inertia, timiditate, improbitateque nobilem extitiſſe, quanto parens ſuus fortitudine, ſapientia, ac magnitudine animi, celebre ſuum nomen, omnis poſteritatis memoriæ commendarit? quis non ad eandem admirationem rapiatur, cum legerit, Q. Fabium Maximum, Allobrogi filium, eam claritatem, quam parens, ex devictis hoſtibus, atque ex omnibus, difficillimi illius belli adminiſtratione ſibi pepererat, neglexiſſe, ſibique famam ex omnibus turpiſſimis flagitioſiſſimiſque voluptatibus, in quarum cæno volutabatur, collegiſſe? Nec minorem nobis admirationem incutiet M. Cicero, M. Tullii illius

lius eloquentiſſimi progenies, qui non in eo omnem ſuam operam ac ſtudium ſibi eſſe collocandum duxit, ut parentis, qui omnibus, quicunque fuerunt, quique futuri ſunt, longe multumque dicendi gloria præſtitit, laudem æmularetur; ſed id ſibi putavit eſſe palmarium, ſi binos uno ſpiritu congios exhauriret, & in ventrem invergeret, aliaque, ex temulentia, turpia dictu, committeret. Ignavo igitur ac timido patri gnavus ac fortis, contra navo, prudenti, ac forti, improbus & ignavus filius poteſt exiſtere. Verum, qui ſex vel ſeptem ex uxore ſua liberos ſuſceperint, ſi eos omnes navos, induſtrios, ac rectos ad ingenium bonum habeant, in rebus rariſſimis, ac miraculo proximis, numerandum id eſt. Semper enim eorum aliqui vel plures, ab aliorum ſimilitudine ſe abſtrahent, & ad probrum, damnum, flagitiumque appellent. Atqui, ne aquilarum quidem generoſiſſimis, haliæetis nomine, hæc felicitas accidit, ut pullos ſuos omnes eadem, qua ipſi, clariſſima oculorum acie præditos habeant: nam eorum aliqui, coacti, adverſus ſolis radios, oculorum aciem intendere, connivent, eorumque fulgorem ferre non poſſunt; itaque hos illi, tanquam degeneres, è nido præcipites agunt, reliquos, quorum acies contrà firma ſteterit, educant. At ætas hæc noſtra, id, quod antea vix fieri poſſe credidimus, in Vrbe, omnium regina, Romæ, inquam, in tribus patribus familias, ſummo genere natis, aſpexit, atque admirata eſt, quorum unuſquiſque fuit & numero, & optimorum claritate filiorum fortunatiſſimus. Hi ſunt, Virgilius Creſcentius, M. Antonius Vbaldinus, & Io. Baptiſta Sacchettus. Ac de duobus ſuperioribus non eſt hic ſcribendi locus. Io. verò Baptiſta, ex Franciſca Altovita, fœmina lectiſſima, ſummæque inter ſuos nobilitatis uxore, plures filios ſuſcepit, quorum neminem communia adoleſcentium vitia tranſverſum egerunt, ſed, ad unum omnes, directum illud ad virtutem iter, ad veræ ac germanæ probitatis laudem commendationemque, perduxit. Sed antea quam Marcellum conor exprimere, meum ad ſe ſtylum attrahit Iulius frater, cogitque, ut ejus, quantumvis viventis, imaginem leviter adumbrem, ac Marcelli tabulæ,

tan-

tanquam aliquam appendicem, adjungam. Hic ingenio, eruditione, doctrina, &, quod refert, moribus ac vita, præclarus, impulit Vrbanum VIII, ipso ejus penè Pontificatus initio, ut se in ampliſſimum Cardinalium collegium cooptaret. videbat enim ſapientiſſimus ille Pont. ſi tali viro eminentiſſimum illum ordinem auxiſſet, quanto eidem ille decori ornamentoque futurus eſſet. deinde, non magis illuſtrem, quam arduam atque difficilem, Bononiæ legationem per ipſum adminiſtravit; quam ille diligenter ſummaque Pontificis cum approbatione obivit: in multis præterea graviſſimis honeſtiſſimiſque muneribus ac negociis, eſt ejus conſilio atque opera uſus; quam ſibi ſemper opportunam ac fidelem invenit. Atque, Vrbano extincto, nihil propius eſt factum, quam ut in illius locum ſubrogaretur. erat enim ſumma eorum voluntas, qui magnam in illis comitiis auctoritatem habebant, niſi ætas hominis, adhuc viridis, ob recentem ejus Pontificis memoriam, qui unum & viginti atque eo amplius regnaverat annos, eum procul ab illo faſtigio habuiſſet, quod videbatur (ut habebat quorundam ſermo,) non minus diuturnum illius imperium fore, quam Pontificis nuper extincti fuiſſet. tanquam ſi graviſſimum laborioſiſſimumque omnium onus ac munus, decrepitis tantum ac capularibus ſenibus ſit demandandum, quorum corpus, annis infirmum, tot laboribus ſubeundis par eſſe non poteſt; vel, tanquam ſi virtus, in juvenili ætate inventa, non ſit regendis imperiis idonea. At ille prudentiæ, vigilantiæ, probitatis, virtutumque omnium laudibus, jam pridem tanto faſtigio maturus extiterat; nunc autem, cum conſcientia optimæ mentis, tum uſurpatione doctrinæ (habet enim apud ſe, exculti ſſimos literis viros,) hilaris ac jucundus, Signaturæ juſtitiæ Præfectus, ſummam dat operam, ne quid detrimenti, juſtitia, improborum hominum aſtu, accipiat. Iam verò, ut omiſſis ceteris fratribus, de quibus alius fortaſſe dicendi locus ſe dabit, ad Marcellum veniamus; qui ingenii acumine, animi magnitudine, rerum uſu, doctrinæ non vulgaris præſtantia, dignus eſt, cujus imago conſuetudinis ac vitæ, literarum præſidio expreſſa,

omnis

omnis posteritatis memoriæ commendetur. Hic Romæ, anno cIↃ IↃ LXXXVI natus, quum sacro Baptismatis fonte ablueretur, susceptorem, vel patrinum, ut nunc vocant, sortitus est Io. Baptistam Cardinalem Castaneum, qui postea, Vrbani VIII nomine, factus est Pontifex; qui patri multis audientibus dixit, semper se id patrini munus refugisse, neque voluisse cuiquam baptizato sponsorem accedere, nisi duobus, Infantæ Isabellæ, & Marcello Sacchetto; cui Marcelli nomen indidit, ex Ecclesiæ nomine, cujus titulo cognominabatur. A teneris, ut Græci ajunt, unguiculis, maximam habuit indolem ad picturam, ut sine aliqua magistrorum ope, non inscite neque ineleganter multa suo marte delinearet describeretque, nonnulla etiam coloribus ornaret ac vestiret. atque, ut audivi dici, plures ejus tabulæ proferuntur, in quibus amœnissimarum regionum situs, collesque arboribus vestiti, ac liquoribus perlucidis fontium irrigati, egregie sua manu depicti, cernuntur. quod si hominibus nobilissimis laudi datum esset, quod pingerent, proxime ad eorum famam accessisset, qui feruntur in primis; at ille, majoris gloriæ cupidus, hanc aliis recte pingendi laudem honoremque concessit, & solum, cum libebat, cum erat commodum, pingebat, eaque honesta oblectatione multas animi solicitudines curasque ponebat. Sed mirum ac singulare, quod in eo vigebat, ingenium, incredibili poëseos amore studioque flagrabat; in quo admirabilis extitit, atque versibus Etruscis fabulam scripsit, quam etiam in nuptiis Thaddæi Barberini & Annæ Columnæ, populo spectandam præbuit; præterea volumen Etruscarum odarum, Francisci Petrarchæ carminibus par mole, confecit, in quo, qui viderunt, enarrant licere conspicere, quantum vir ille ingenio, eruditione, ac poëticæ artis facultate præstiterit. Omnino, in illud genus eum, Ioannis Casæ, quem ceteris præferebat, magnificum atque præclarum poëmatis genus, natura ducebat, quod etiam feliciter imitando effingebat exprimebatque. Verum, tanta vis virtutis & ingenii, primo, totis sex mensibus, peregrinata, absuit ab urbe domoque, ac totam fere peragravit Europam, atque Gallos, Hispanos, Germanos, Batavos,

tavos, Anglos, est circumvectus, regali propemodum sumtu. nam in tabulas, quas conficiebat, retulit, in hoc itinere multa aureorum millia fuisse expensa. Est etiam occasionem nactus, quam arripuit, plures, in illis exteris regionibus, viros principes adeundi, ac perpetua sibi amicitia usuq; conglutinandi; à quibus est perhumaniter exceptus, & officiis beneficiisque maximis exornatus; plures etiam insignes doctrina & eruditione viros, quorum nomen, libris editis, tota erat Italia celebratum, arcte sibi conjunxit, ad quos, incredibili discendi cupiditate incensus, tanquam ad fontes adibat, unde, qua æstuabat, sitim expleret. Rebus domesticis, atque familiæ universæ, præfuit, eaque animi magnitudine ac magnificentia domum suam instructam habuit, ut etiam equos & canes venaticos aleret, qui Principum virorum aliorumque venationibus usui essent. neque ulla alia in re ita cum aliquo, quam beneficentia ac liberalitate certabat; neque rei cujusquam rationem minus habebat, quam pecuniæ, si in amico, qui ejus esset egens, insumeretur; ac lucrum sibi esse objectum existimabat, si qua amico commodandi occasio sese dedisset. quo fiebat, ut non solum expetitus ac rogatus, dubiis, egenis, ac penè perditis aliorum, inopum in primis, rebus, cum posset, opitularetur, verum etiam ultro, nec postulatus, se illis inferret, ac rationem, qua faciles, expeditæ, opiparæque redderentur, offerret. Atque ex eo sæpe auditum est, cum diceret, nunquam se diem perdidisse, quo die, afflictis miseri cujuspiam rebus, consilio, opera, ac re ipsa, præsto esse potuisset. Cujus liberalem ac munificum animum Io. Baptista pater admirans, cum caput illi, ut parentes, liberorum studiosi, faciunt, demulceret, iis, qui aderant, diceret, in eo, filii sui, capite, multos Reges inesse. In paupere verò quatenus liberalitate progrederetur, satis est, unum ejus factum afferre, ex quo liceat intelligere, non solum in illos liberalem eum, verum etiam profusum ac prodigum extitisse. Narravit mihi testis locupletissimus, qui ipse vidisset, non autem ex auditu argueret; cum Sacerdos quidam ex Cong. Oratorii Romani, à S. Philippo Nerio instituta, Ludovico nomine, subsi-

dium

dum à Marcello nummarium, ad præsentem inopis cujusdam calamitatem sublevandam, expeteret. erat Ludovicus hic, quem dico, singulari in pauperes Christi amoris famâ præclarus, ut id unum dies noctesque studeret, quomodo eos, quibus egestas imperaret, ab inopia auferret. Hic, inquam, cum, die quodam, insignis cujusdam pauperis necessitatibus, præsenti pecunia, esset occurrendum, ac non modo in suis nullis nummis, sed etiam in magno ære alieno inveniretur, à Marcello, cujus eximiam in se atque in pauperes liberalitatem fuerat expertus, scuta sexcenta mutua petiit, cum antea ejus postulati causam exposuisset. cui Marcellus: Deus bone, inquit, quid tibi venit in mentem, à me mutuum petere? quasi ego soleam mutuitanti aliquid credere, ac non potius pecunias meas fœnori locare! Fœnori, ait Ludovicus, quoniam fieri aliter non potest, & quavis usura, accipiam. At, scin', respondit Marcellus, quid sit pecunias fœnerari? eas est paueri dono dare; nam, qui dat pauperi, fœneratur. eademque opera, multo plus quam ille poscebat, enumeravit. Longum esset, sigillatim omnia, quæ in hoc genere benigne ac liberaliter fecerit, enarrare, cum, ceteris in rebus, interdum parcus inveniretur. Neque minorem maximi regalisque animi significationem exhibuit in villis ædificandis. etenim unam ad Ostia Tiberina mari proximam excitavit, amplitudine magnificentiaque cum veterum Romanorum villis conferendam, quam, egregiis signis ac picturis, summorum artificum manu elaboratis, ornavit. cujus præceptis ibidem Petrus Cortonienſis prima fere picturæ rudimenta posuit; ille enim argumenta dabat, ille rationem ostendebat, qua graphice ea, quæ essent coloribus illustranda, describerentur. Quid multa? ejus nunc opera institutisque Petrus in summis pictoribus numeratur. Alteram etiam magnificentissimam fundavit villam, Vrbi proximam, edito amœno ac salubri quodam loco, valli imminentem, quam vulgo, credo quia magnam depressa in altitudinem est, infernum appellant; quam non potuit absolvere; sed Matthæus frater perficiendam absolvendamque nunc curat; ubi Petrus idem pictor, qui jam

ma-

maturitatem adeptus eſt ſuam, & Marcelli memoria, & Iulii Card. fratris ejuſdem gratia, quantum pingendi artificio valeat, totum expromit. Sed, præter agricolarum artem, vel potius voluptatem, quibus ille mirifice delectabatur, nec minores inde fructus percipiebat, præter mercaturæ rationem, cui quo tempore, ex more Florentinæ nobilitatis, ſtudium ſuum dabat, Vrbanus octavus Depoſitarium Cameræ Apoſtolicæ & ſanctioris ærarii Quæſtorem eum fecit, idque ſponte ſua, & à nemine rogatus: præter, inquam, has artes, erat ſciens Reipub. multumque conſilio atque prudentia in iis, quæ ad eam recte gerendam pertinent, præſtitit. quo fiebat, ut magno apud eundem Vrbanum eſſet in amore & gratia, & arcanorum multorum conſcius: neque alius fere quiſquam erat, cui majorem rerum ſuarum fidem haberet, neque, cui libentius conſilia fere ſua omnia crederet. quam egregiæ ſuæ fidei opinionem, adverſus eum eoſque qui tum imperabant, non alia re magis tuebatur, quam, nihil ſibi ſuiſque petendo, ſed fideliter diligenterque mandata faciendo; neque unquam imperavit ipſemet ſibi, ad colligendam hominum potentiorum gratiam, quidquam aſſentari, ſed aperte ac modeſte, quidquid eſſet in unaquaque re, quæ in deliberationem veniret, vitii vel incommodi, aperiebat; neque, ſi quempiam, cui alia mens eſſet, offenderet, quidquam penſi habebat; adeo erat diligens veritatis. Denique omnibus in rebus, alti, præſtantis, ac liberalis animi ſigna præbebat: atque in negotiis graviſſimis, nactus eſt occaſionem, de Leopoldo Archiduce Auſtriæ bene merendi; apud quem, Pontificis juſſu atque mandato, multa ſæpe tractaverat. itaque facile fuit Marcello, ſua, in agendo, dexteritate atque prudentia, viri illius principis animum ſibi ac ſtudium adjungere. Sed momento penè temporis, ex optima valetudine, graviſſimum incidit in morbum, unde cernendi audiendique omnem ferme vim & facultatem amiſit. Hujus tam repentini morbi cauſam ſuſtinuiſſe, quidam ajebant, illius ardens, in negociis, à Pontifice ſibi commiſſis ac traditis, rite expediendis conficiendiſque, ſtudium ac ſolicitudinem. nam, dum ille, nulla valetudinis ſuæ habita

bita ratione, fere quotidie, hyeme ſumma, imbribus maximis, ſermones cum eo ad multam noctem produceret, ac ſtatim deinde è loco calido in aërem frigidiſſimum exiret, fit veriſimile, ut lethalem illam pituitam contraheret, quæ à capite in aures defluens, earum aditus obſtrueret, ne aliorum in ipſas dicta commearent; tum vias, ab oculis ad animum perforatas, occluderet. Sed, quæ animi illius magnitudo ac ſplendor in contemnenda pecunia, atque in rebus humanis omnibus pro nihilo habendis, eluxerat, eidem, in tam dubio difficilique morbo, æquo animo perferendo, prorſus enituit; ac ne minimum quidem unquam de fortis ac conſtantis viri gravitate, ac de ſua in Deum fiducia deceſſit. Quamobrem, de medicorum ſententia, coactus eſt, Neapolin ſe conferre, atque à calidis Puteolanis aquis auxilium expetere; quarum ope quamvis à principio, paululum viſa ſit vis morbi conſiſtere, paulo poſt tamen eo impetu in totum corpus curſum cœpit arripere, ut cunctos, qui aderant, cogeret, de illius ſalute ſpem omnem abjicere. ſed cum majore periculo in dies eſſet, à Priore Navo factus eſt certior, ſupremam ipſi vitæ horam inſtare; & ſimul admonitus, ut, ſi res poſceret, æternæ ſuæ ſaluti proſpiceret. quo nuncio accepto, nullum perterriti, nullum commoti animi, ſignum dedit, ſed dulciſſimis amplexibus, & gratiarum actionibus, eum excepit, quod veri ac fidelis amici munere functus eſſet. ac ſtatim ad Franciſcum Card. Barberinum, ad fratres, alioſque, literas dedit, plenas amoris, elegantiæ, officii. Habebat hoc etiam à natura, ut animi ſui ſenſa, diſertâ, copiosâ, & propriis aptiſque verbis rem explicanti oratione, ut quivis alius, exprimeret. Quibus actis, fortiter ac viriliter animam Deo, à quo acceperat, reddidit, in complexu viri nobiliſſimi ſibique amiciſſimi, Io. Caroli Gavotti Savonenſis, qui officii amicitiæque eum cauſa, Roma egredientem, Neapolin uſque fuerat proſecutus. Defunctus amplo magnificoque elatus eſt funere, proſequentibus amicis Neapolitanis, qui mœrore, quem vultu præ ſe ferebant, ſuam in illum benevolentiam ſignificabant.

VII. STEPHANVS TVCCIVS.

QVa ratione comparatum sit nescio, ut nemo fere, pluribus in studiis harum artium maximarum, perfectus & absolutus existat, sed bene cum illo agatur, si, cum omnia conatus fuerit, sit in earum aliqua princeps. Multos inveni, eo ingenii acumine præditos, ut, cum se mente & cogitatione in aliquam scientiam conjecissent, quæcunque in intimis ejus penetralibus abdita atque constructa continerentur, mentis acie scrutarentur, ac cernerent; ubi verò se ad ea verbis explicanda conferrent, continuo se ab eloquentia deseri, fatererentur, eaque, quæ acute invenissent, diserte eleganterque tractandi aliis laudem, sua confessione, concederent. In hoc fortasse numero reponendus est Socrates; qui, cum Philosophiam, è cælo deductam, in hominum cœtus transtulisset, literam ipse nullam, ut ajunt, scripsit, sed suos sermones, Platonis, omnium ejus ætatis eloquentissimi, scriptis, immortalitati mandandos reliquit. Virgilius, summus, omnium concessu, quibus recta mens constat, Poëta, si pascua, si rura, si bella, versibus canenda suscepisset, facile omnes superabat; si verò præstantissimum ingenium ad dicendum contulisset, indisertus ac plane inscius inveniebatur. M. Tullius Cicero, cui tanta eloquendi vis inerat, ut antea avibus cantus, fontibus aquæ, defuturæ viderentur, quam ipsi verborum flumen ac copia; cum poësin conaretur attingere, quid aliud assequebatur, nisi ut de se ludos inimicis daret? qui ejus identidem versus ad irridendum arripiebant. Sed istuc magis ab illis lingua, quam animo, dictum fuisse, percipio: nam versus illius sunt, ut mihi videntur, lepidissimi nitidissimique, pace D. Hieronymi dixerim, qui M. Tullium vim Græci sermonis, in vertendo, parum feliciter assecutum fuisse contendit, quos è Græco in Latinum convertit: me enim magna quadam voluptate, cum lego, afficiunt; tum, quia perspicui, tum quia dulces, meum sese in animum fundunt. quod mihi non contingit in iis, qui, hanc bene interpretandi laudem suam esse propriam, ajentes,

ita

ita perplexe, ita insuaviter, ita inamœne loquuntur, ut celeriter fastidio & satietate à se homines abalienent. Fitne verisimile, ut Græci sermonis proprietatem ignoraverit ille, qui navigarit in Græciam, qui à Græcis doctoribus declamare didicerit, qui, ut ab illis corrigi & doceri posset, commentabatur, Græce declamitans, qui ex longo usu & exercitatione ita Græco sermone uteretur, ut in ea lingua natus & educatus esse videretur? Sed D. Hieronymus à communi consuetudine usuque hominum se abripi sivit, qui nolunt eundem pluribus rebus extollere. utinam, quæ isti parum feliciter ab illo ex Græcis Latina facta cavillantur, omnia existerent; profecto, ita illis essem contentus, ut meliora non quærerem. Sed ad illud caput revertamur, unde tota hæc fluxit oratio. Omnino queri posse videtur de natura sua genus humanum, quod industriæ hominum certos quosdam fines præscripserit, intra quos, in artium maximarum studiis persequendis, sese contineat, nec progredi longius queat. vix enim Iovi concessum esse, veteres ajebant, ut in pluribus eorum ita præstet, ut sit omnium, qui in unoquoque sigillatim elaborarunt, facile princeps. Quid verbis opus est? Ad deterrenda hominum ingenia, ne in plura studia distrahantur, negant, fas esse cuiquam, pluribus in artibus excellentem evadere; sed debere unumquemque ad earum aliquam, ad quam à natura factus sit, se se conferre, in eaque omnes ætatis industriæque conatus collocare. Verum, si cuipiam nostra ætate contigit, ut, non unius tantum, sed plurium doctrinarum laude, peræque floreret, haud scio, an alius proferri possit, qui felicius sit id assecutus, quam Stephanus Tuccius, Siculus, è Soc. Iesu. Hic, mirum est, quantam quamque perfectam disciplinarum pene omnium, ingenii docilitate, sit scientiam cognitione complexus. Primum, longe multumque præstitit sacrarum divinarumque rerum studio, quod Theologia appellatur à nostris; quo studio vera, nec obscura, quantum homini fas est, Dei notitia percipitur: tum, ingenii acumine, prout Siculus; tum differendi subtilitate, cum esset, in capiendo adversario, mire versutus; tum ea, quæ ipse dicicisset, alios docen-

di facilitate ; quia in rebus penitus à ſe perſpectis ac cognitis verſaretur. Sed in ea præcipue Theologiæ parte excelluit , quæ rationem hominibus oſtendit , qua animum à peccatis , quorum conſcientia conſtricti tenentur, expediant , ac ſaluti ipſorum in perpetuum conſulant. itaque magnum onus, à Superioribus ſibi ſuis traditum, ſuſtinebat, iis reſpondendi, qui ejuſmodi de cauſis conſultum eum veniſſent. Tum princeps erat ex illis, qui in literis periculum eorum faciunt , qui aut Eccleſiaſticis ſacris initiandi, aut ad aliquod munus admovendi ; ſive illud animarum ſive aliquam aliam curam ac ſolicitudinem haberet adjunctam : ab eoque puerulus, annos natus non amplius decem , cum ad Eccleſiaſticos ordines mihi aditum , quem primam tonſuram vocant, aperiri poſcerem , ſum probatus , an literas ſcirem : quod eo memini magis , quoniam eodem pene temporis momento, quo in me periculum facturus erat, maximo viſcerum dolore abreptus eſt , ut haberent neceſſe , qui aderant, in proximum ibi cubiculum eum inter manus deferre, ac pro ſe quiſque ſedulo facere , quo eam illi moleſtiam leniret. Erat in primis à philoſophia inſtructus , tum ab ea , qua , mentis acie , rerum omnium vis & natura perſpicitur , tum ab ea, quæ de moribus eſt. Concionator numerabatur in primis ; ſed verſatus eſt in quodam genere , ſevero , gravi , & ad commovendos animos apto , atque ab ineptiis ſententiarum, fucoque puerili , omnino abhorrenti. eripiebat illi concurſum populi F. Franciſcus Panicarola , qui aliud orationis ſectabatur genus , lætum, exhilaratum , amœnum, profluens, omnium ſententiarum verborumque luminibus conſperſum , verba aperte transferens , paria paribus referens, adverſa contrariis, ſæpiſſimeque ſimiliter extrema definiens , quique tum temporis maxime placens , in ſuggeſtis , in concionibus dominabatur. Atque ego, etiam tum puer , in æde nominis Ieſu, domui profeſſæ , ſuæ Societatis , ubi tum conciones ad populum habebat , illum audivi , cum graviter vehementerque in eos interpretes rerum divinarum inveheret , qui , picta atque omni florum varietate conſperſa oratione , imperitæ multitudinis aures demulcere conaban-

bantur. quid enim aliud esse, verbum Dei adulterare, nisi eodem pigmentis prope meritriciis delibuto, ad famam eloquentiæ aucupandam, ad inanes vulgi rumores colligendos, ad hominum sibi studia concilianda, denique ad sua commoda & utilitates, abuti? Neque illa acri ac vehementi incusatione aliquid proficiebat. nam simul ac erat auditum, illum, quem non erat obscurum, ea oratione designari, verba esse facturum, maximi ad eum concursus fiebant. Adfui etiam, cum, sumta occasione ex Alexandri Cardinalis Farnesii morte, quæ omnibus improvisa acciderat, quod antea nulla de ejus ægrotatione fama exisset, tanto animi ardore, tanta vi vocis & orationis, cœpit de hominum vitæ brevitate, de rerum humanarum inconstantia, de fallaci hominum spe, de inanibus nostris contentionibus, de divini judicii severitate, ad quam nobis veniendum esset, è qua nulla nos vis posset eripere, non magnitudo divitiarum, non splendor generis, non amplitudo honorum, non Demosthenis, non Ciceronis eloquentia, sed tantum, recte factorum dictorumque conscientia, salvos ab ea esset præstitura; atque de aliis ejusmodi rebus; tanta, inquam, vi cœpit disserere, ut omnes, qui aderant, vehementer commoverentur, nec lacrimas tenerent. In aliis vero humanissimis liberalissimisque studiis, Latinæ videlicet eloquentiæ ac poësis, sic eminebat, ut difficile sit judicare, in utra earum majorem sit laudem assecutus. Multas scripsit orationes, multas habuit; in his duas, De Christo pro nobis crucis morte affecto, in Sacello Pontificio, ad Gregorium XIII, Pont. max. ni fallor; quarum illa, quæ est brevior, tantam habuit commendationem, ut sit omnibus magistra, qui in illo augustissimo orbis terræ theatro, apud Pontifices max. & amplissimum Cardinalium Senatum, sunt verba facturi. Ad poësin vero, difficile memoratu est, quantum à natura instrumenti habuerit. nam poëticam locutionem, tanquam molissimam ceram, quocumque vellet, torquebat, ac flectebat. Tria (quod quidem ad notitiam meam pervenerit) ex sacris literis argumenta desumta, & elegantissimis versibus comprehensa, deduxit in actus, & populo ad spectandum proposuit. primum,

mum, ſupremum illud judicium, in quo Filius hominis, cui omne judicium dedit Pater, ab omnibus, quī ſunt, qui fuerunt, quique futuri ſunt, rationem vitæ repoſcet: tanto rerum apparatu, tanta actorum multitudine, ut omnes, quotquot tunc erant in Seminario Rom. in cujus ædium aula nobile illud drama dabatur, ſive clerici ſive contubernales, quos convictores appellant, actores adhiberentur, atque omnes principum virorum ſuppellectiles, ad eoſdem exornandos, exhaurirentur, itaque Cives Rom. qui nullum, ante illud tempus, ſpectaculum tale conſpexerant, amentium ſimiles, ſe domibus ſuis proriperent, & illuc accurrerent, ut ſpectaculi illius ſpecie, quam majorem eſſe, quam erat, mente conceperant, oculos paſcere, & animum ſaturare liceret: atque ejuſmodi erant hominum concurſus, ut, ad turbam cohibendam ſummovendamque, nullæ Helvetiorum, nullæ aliorum militum, cuſtodiæ ſufficerent. verum, quia in iis comparandis, quæ ſunt ad ſcenam neceſſaria, &, actoribus exercendis, multum temporis neceſſe eſt ponere, quod totum ſtudiis eripitur; dicitur Gregorius XIII Patribus Soc. Ieſu, quorum erat ſtudioſiſſimus (ut videre licet ex Gymnaſio, quod, regali ſumtu magnificentiaque, illis exſtruxerat,) auctor fuiſſe, ut ejuſmodi inutilibus laboribus ac ſolicitudinibus parcerent, quibus nihil ipſis, niſi comœdorum nomen parent, & pueris, quos in diſciplinam acçepiſſent, facultatem præberent, qua à literarum ſtudiis avocarentur, quibus maxime neceſſe eſſet eos operam dare. Deinde, alia duo dramata pulcherrima ſpectandi copiam fecit; Iuditham, & Chriſti Nativitatem; quorum exempla ſunt apud me domi. Sed, quamvis ea, quæ diximus, egregia, præclara ac ſumma, in ejus virtutibus numerarentur, alia etiam inerant, illis longe ſuperiora; immo, ſine quibus illa propiora ſunt vitiis quam virtutibus: ſingularis videlicet probitás vitæ, ac ſanctitas morum; quibus, ſummis etiam Pontificibus, erat admirabilis ac metuendus. quorum unus, cum ad Pontificatum max. eſſet evectus, ejus fortaſſe conſiliis (nam intimum eum ſibi habebat) adductus, ſtatuiſſet, ſummum illum honoris gradum, ad veterum ſanctiſſimo-

morum Pontificum exemplum, & ad verã ecclesiasticæ disciplinæ normam administrare, ac, ne nummo quidem uno, cognatos, ex bonis Deo dicatis, locupletiores efficere; nullo ferme negocio id se consecuturum esse putavit, si mortis memoriam suo ex animo nunquam passus esset excidere. Itaque aridum demortui cujusdam hominis caput, suum in cubiculum deferendum curavit, in quo cum defixos oculos & intentam suam cogitationem haberet, ad nullam animi pravitatem, nec ad aliquem insanum erga suos amorem delaberetur. atque integrum biennium in hac mente consilioque perseveravit. quod cum minus iis probaretur, qui jam auri montes, regna, & imperia spe ac cogitatione devoraverant, atque P. Stephani consiliis de sua spe dejici arbitrarentur, dederunt operam, ut illum à Pontificis familiaritate abstraherent. neque eorum artibus alius, atque ipsi optaverant, exitus contigit. nam paulatim sensit Pater, omnes sibi ad Pontificem aditus intercluſos atque obstructos penitus esse: nec solum lubenti, sed hilari etiam passus est animo, eam sibi molestiam adimi, qua à suis studiis non minimum avocabatur; atque in Tusculani Residentiam, quam vocant, se abdidit, ibique ferme statuerat summo in ocio ac tranquillitate, quod reliquum erat vitæ, conficere; sed, cum die quodam Pontifex, qui in Tusculanum, animi gratia, secesserat, ad eum veniſſet, eumque humaniſſime salutaſſet, ille, ut Pontificem ad se venientem aspexit, processit illi obviam, atque ea libertate, quam spiritus illi dabat (nam ubi spiritus, ibi libertas) magna voce, ait: Bene ambulabas; quis te fascinavit? palam illi exprobrans, quod Rempub. alio, atque statuerat ac primo capesserat, animo gereret. Ne multa; dignum factis ac moribus suis vitæ exitum habuit, hoc est sanctiſſimum, ac Dei oculis, cui nullum majus, morte Sanctorum, spectaculum est, gratiſſimum jucundiſſimumque, ac simul, ad sensum, acerbiſſimum; nam in Collegio Rom. penè interclusione animæ, vitam finivit. tumor enim quidam ex vitiosis humoribus, in posteriori colli ejusdem parte conflatus, cum in dies magis excresceret, nec ad eam vim humorum excipiendam, pellis colli sufficeret, adeo

eam, quæ gutturi inhæret, ad ſe attraxit, ut fauces illi præcluderet, ac demum, ſua malignitate, vitam adimeret. Defuncti cadaver pollinctores, acerrimo cutique hærenti præcinctum cilicio, invenerunt.

VIII. GABRIEL ZINAMVS.

REgium Lepidi, tum agri amœnitate fertilitateque, tum viarum & ædificiorum numero ac magnificentia, tum hominum ingeniis, ad omnes artes pulcherrimas aptis, tum civium opibus, divitiis, ac generis nobilitate illuſtrium, copia, nobiliſſimas inter urbes Italiæ refertur, neque poſtremum inter eas locum ac numerum obtinet. Quid mirum eſt igitur, ſi fere ſemper aliquos ex ſeſe, præſtantes ingenio & eruditione, viros ediderit, qui ſuæ patriæ, atque adeo Italiæ univerſæ, eſſent ornamento atque ſplendori? Atque, ut de aliis ætatibus taceam, patrum memoria, in Iuris civilis ſcientia Ruinam habuit, (quamquam aliæ etiam Civitates eum ſibi vendicent;) tanta ejus artis notitia præditum, ut totius terrarum orbis oraculum haberetur; tum Q. Marium & Marcellum Corrados fratres ea urbs tulit, in quibus omnis veteris eloquentiæ cultus ac nitor elucet, in quibus omnis Græcæ Latinæque eruditionis theſaurus, tanquam in arca, concluditur. Noſtra autem ætate, plures ab ea prodierunt, qui Etruſco ſermone elegantiſſime, tum ſoluta oratione tum verſibus, ſcripſerint. è quibus eos tantum enumerabo, quibuſcum aliquis mihi amicitiæ uſus neceſſitudoque interceſſit; Gabrielem videlicet Bombaſium; cujus etiam imaginem ingenii, in prima Pinacotheca, quod in me fuit, expreſſi; & Alphonſum Fontanellam Marchionem; & hunc quem ego oratione mea, quaſi coloribus, conor effingere, Gabrielem Zinamum. Hic igitur, honeſto genere natus, nam Comitis dignitate tituloque erat ornatus; ſuum omne, ab ineunte ætate, ſtudium contulit ad Philoſophiam, atque ad has humaniſſimas ac liberaliſſimas artes. ſed præſertim poëticæ facultati, ad quam, à natura, magna adjumenta ſe habere ſentiebat, operam dedit, in eaque ſe ſe continuit; multaque ſcripſit elegan-

ganter, atque egregium in primis poëma de Christi Domini cruce, ab Heraclio, de Persarum manibus recuperata: in cujus rei argumento versabatur etiam Franciscus Bracciolinus Pistoriensis: quod cum ille jam paratus esset edere, sed diem ex die duceret, antevertit Bracciolinus, qui prior suum typis excusum emisit, ac magnam apud omnes laudem ac plausum reportavit. neque ea res mediocriter hominem perculit; atque eum ego audivi in loco, ubi Academia Humoristarum habebatur, cum suum illud volumen gestaret in manibus, socordiæ se desidiæque accusaret, quod in orbis terræ theatro, dilatando protrahendoque, primum in scena locum, sibi alterum passus fuisset eripere; dicebatque, sibi esse in animo, id poëma, cujusmodi illud esset, typis mandare, & in vulgus emittere: sed id, quod cogitaverat, non perfecit; credo, quod vereretur, ne, ubi exempla conferrentur, verborum sententiarumque luminibus, suum, ab illius carmine, opus superari judicaretur. sed utut sese res habeat, illud certum est, nunquam ex domesticis parietibus, ubi tanquam in tenebris latebat, emersisse, atque in lucem prodiisse. Dicitur, etiam tum juvenis, in Germania fuisse. Erat altero oculo captus, vel saltem eodem, minus commode utebatur; sed judicii acumine præstans, tum in notandis animadvertendisque vitiis prudentissimus. verum, tanta in eo modestia aderat, ut ii, quorum scripta, in ipsius judicantis arbitrium venerant, non offenderentur, sed singulari beneficio se ab eo esse affectos existimarent, de eoque gratias agerent. Nihil in ejus moribus deprehendisses, quod ad reprehendendum arriperes; nullum ex ejus ore verbum exibat, nisi honestum ac grave. neminem contemnebat; nemini se præponebat.

IX. IO. BAPTISTA SPADA.

CLarissima ac nobilissima Etruriæ urbs Luca, adeo intra suos fines, tanquam intra quædam vincula, libertatem habet inclusam, ut omnes eidem, ad egrediendum, vel aliis ad eam oppugnandam, atque de sua sede exturbandam, obsepti atque intercluſi sint aditus.

atque adeo cives ſui æquo jure omnes eſſe jubentur, ut hoſtium loco habeantur, qui æquitatem communis juris, aut præſtantia dignitatis, aut divitiarum opumque magnitudine, tranſire contendant, atque hæc ſatis juſta cauſa eſſe videatur, cur, publicatis ipſorum bonis, è Repub. ejiciantur, aut capite, temeritatis audaciæque pœnas debitas graveſque perſolvant. quo fit, ut civibus illis ab omni, de Repub. perturbanda, contentione excluſis, ſumma pax ociumque contingat. quod ocium, cum nihil aliud inveniant in quo honeſte conſumant, totum à primis ætatis temporibus, aut in mercimoniis comportandis avehendiſque collocant, quo civitas ſua omnibus iis rebus affluat, quæ ſunt ad vitæ uſum neceſſaria, aut in liberaliſſimis artibus ſtudiiſque conſumunt. Ac plures eorum, qui liberalibus ſe diſciplinis dediderunt, imagines huc poſſim referre; ſed, quo aliis etiam ſit locus, ceteris prætermiſſis, iis tantum hujus Pinacothecæ paginas, quaſi parietes, veſtiam atque ornabo, quorum ingenii formam, magis quam aliorum, comprehenſam animo ac perceptam intelligentia detineo. Atque inprimis ſe offert Io. Baptiſta Spada I. C. in quo, erat ambiguum, utrum magis ipſius Iuris ſcientia, cujus tum erat princeps, an fides & animi moderatio, laudaretur. nam primum, tanta ac tam promta ejus erat, in agendo & in reſpondendo, celeritas, ſubtilitas, ac diligentia, ut, qui in ſuis eum cauſis poſſet habere, nullius alterius advocati induſtriam patrociniumque requireret. ejus vero fides, ſimul ut verſari in foro & cauſas agere cœpit, ita eluxit, ut etiam, qui inimico inter ſe animo eſſent, & aperte inimicitias exercerent, utrique, in maximis atque graviſſimis de jure controverſiis, eum ſibi advocatum eligerent, neque, aliqua cujuſpiam amicitia ac gratia, ſe poſſe ab eo decipi ac prodi, vererentur. tanta ac tam conſtans, in animis omnium, ejus fidei ac probitatis opinio inſederat. Itaque eodem tempore, Alexandro Cardinali Montalto, & Petro Cardinali Aldobrandino, operam dabat, inter quos, ob privatas quaſdam diſcordias, non bene conveniebat, ſed alter alteri adverſabatur; ac rurſus, Cardinalis ejuſdem Aldobrandini, & Scipionis Cardinalis Burg-

Burgheſii , cauſas ſuſcipiebat : ac poſtremo etiam vitæ ſuæ tempore , ejus opera pariter utebantur , Cardinalis Burgheſius & Ludovicus Cardinalis Ludoviſius , qui non conjunctiſſimi vivebant , ſed perpetuo inter ſe diſſentiebant. etenim quivis eorum , maximam eidem rerum ſuarum fidem habebat. Fuit apud Clementem VIII, Paulum V, & Gregorium XV, Pont. max. magno in amore atque exiſtimatione , ut etiam Paulus V habuerit in animo , Datarii illi partes demandare ; ſed, ne id perficeret quod cogitaverat , fuit impedimento ſurditas , qua ille laborabat ; id illi vitium, honorem illum , alioſque etiam majores , eripuit. Conatus eſt etiam, Theſaurarii generalis provinciam, quod munus eſt venale, eidem , deducta tertia , divendere ; ſed ille recuſavit emere,quantumvis ſub ea conditione emeret, ſi vellet , ut , ſi intra quinquennium vita decederet, nihil de precio amitteret , ſed integrum illud , cui vellet , teſtamento , legaret. at ille non putavit eſſe tanti , unico penè temporis momento amittere,quod tot annorum laboribus comparſiſſet. Nec minimam ejus animi moderatio laudem meruiſſe exiſtimanda eſt , quod maluerit intra communem privatorum hominum conditionem ſe continere , quam eam , præſtantia honorum ac dignitatis, excedere. Adfui olim ego, cum ille, tanta apud omnes homines exiſtimatione ac nomine,tanquam ſi eſſet unus quivis è populo , in argentariam quandam veniret , atque ab argentario , non arrogantibus ſed demiſſis verbis,rogaret, ut ſibi pauxillulum illud nummorum conficeret , quod reliquum apud ipſum erat de ratiuncula Gherardi, fratris ſui , qui poſtea Antonio Barberino, Cardinali S. Honuphrii, Vrbani VIII, Pont. max. fratri , à cognitionibus fuit ; neque aliis cognomentis aut titulis fratrem afficeret , niſi iis , quibus infimæ etiam ſortis homines affici ſolent. ut ſatis, ex ea Repub. eum ortum eſſe , conſtaret , in qua vetitum , ac capitale propemodum eſt , ſe aliis ſuperiorem efficere, atque , aliqua in re , communis libertatis fines, tanquam lineas , tranſire. Advocati primo Conſiſtorialis, tum etiam deinde , advocati fiſcalis, functus eſt munere. in quo munere , illud aulæ , atque adeo univerſæ civi-

civitati, consilii, doctrinæ, prudentiæ, sapientiæque suæ lumen ostendit, ut domus sua quotidie eorum frequentia redundaret, qui, suarum rerum incerti, consilium expetitum accederent; neque erat aliquis paulo locupletior, qui, aut de hæreditate, aut de dote, aut de finibus, ambigeret, quin eum sibi advocatum adoptaret, neimo, qui vellet testamentum facere, filiæ dotem constituere, aut castrum aliquod aut fundum emere, quin ad eum referret, neque quidquam putaret agi perite aut callide posse, quod non ex ejus consilio & auctoritate gereretur. quid mirum est igitur, si ejus janua atque vestibulum, ut diximus, id quod de Q. Mutii domo refert antiquitas, maxima quotidie frequentia civium, ac summorum hominum splendore, celebraretur? quid mirum etiam, si Paulus V tantum ejus meritis tribuendum esse censuerit, ut Ioannem Baptistam Spadam, fratris ejus filium, in eodem, quo ille erat, Advocati Consistorialis loco ac numero collocandum constituendumque curaverit, ut, una cum patruo, eo uteretur ac fueretur, illo mortuo, solus eum locum obtineret. Verum, tantum Pauli V beneficium digno in loco collocatum fuisse, res ipsa ostendit. nam illud hic Io. Baptista junior ex sese virtutis specimen edidit, ut Vrbanus VIII, ejus fama commotus, maximis eum honoribus exornaverit, summosque magistratus capere jusserit. nam primo, arcanis Congregationis Consultæ, in qua de recta totius Reipub. administratione agitur, negotiis præfecit; deinde, arduis temporibus, quasi fluctibus, agitatæ, Vrbis navis, multos annos, Gubernatoris, non magis nomine quam imperio, clavum tenere voluit. postremo, cum omnes Italiæ Principes, contra Sedem Apostolicam conjurassent, eidemque bellum atrox & acerbum habuissent indictum, & Vrbanus VIII, ejusque cognati, qui maxime eo bello expeti dicebantur, necesse haberent aliquo, qui sibi esset ad manum, scribæ loco, quemque omnium consiliorum participem facerent; non alium ad id officium admiserunt, nisi Io. Baptistam, apud quem, fide & industria cognitâ, tuto in loco omnia sua arcana se posse deponere, pro certo existimabant. Hunc etiam locum amicitiæ

nunc

nunc tenet apud Innocentium X; qui tantam prudentiam, in regenda Vrbe oſtenſam, otioſam eſſe non ſinit, ſed ad totam Æmiliam adminiſtrandam, Præſidis nomine, adhibet. Sed ut ad Io. Baptiſtam ſuperiorem revertar, cum multos annos Iuris civilis gloria floruiſſet, morbo conſumtus eſt, ac magnificentiſſimo funere elatus, in Ædem Deiparæ Virginis, ad portam Flaminiam; atque Advocati omnes Conſiſtoriales in funus prodierunt.

X. LÆLIVS FINIVS.

LÆlius Finius, Mirandulæ, quod eſt oppidum Italiæ, perpetuis ac validis, quibus ſeptum eſt, munitionibus, clarum, ſed prodigioſis Principum, qui ejus potiti ſunt ingeniis, longe clariſſimum, nobili inter ſuos ortus eſt loco, patre natus I. C. ob præſtantem Iuris civilis ſcientiam, Alphonſo II, Ferrariæ Duci, in primis caro; quem etiam habuit à conſiliis, magnique operam ejus æſtimavit, in pluribus graviſſimiſque negotiis. At Lælius filius ſuis parentem veſtigiis proſecutus, at ſtatim ab ineunte ætate totum ſe ad Iuris civilis ſcientiam contulit, cœpitque eſſe in foro, non ſine magna ingenii doctrinæque laude; ſed à patruo, qui locupletem S. Antonii Prioratum in patria obtinebat, perductus eſt Romam, ut ibi, litigantium patrociniis ſuſcipiendis, clarum ſuum nomen efficeret: verum Alexander Cardinalis Montaltus, in cujus tutela tum patruus tum ipſe latebat, quique tum Congregationi Conſultæ, quam vocant, præerat, ad quam pertinet, in omnes Eccleſiaſticæ ditionis urbes ac loca, Prætores ac Iudices, à quibus regantur, mittere, voluit ejus opera ad gerendam Rempub. uti: ac primo Aſſiſinatem, tum Narnienſem, illi provinciam attribuit. in quibus adminiſtrandis, non modo nullum detrimentum exiſtimationis fecit, ſed magna abſtinentiæ, innocentiæ, prudentiæque laude crevit, ut etiam utraque civitas, bene geſtæ reipub. gratia, omnibus eum, quibus poſſet, honoribus proſecuta ſit, atque civem ſuum effecerit. cumque Romam veniens, ad Clementem VIII, Pont. max.

max. & ad illius pedum oſculum admiſſus fuiſſet, ortus eſt ſermo de iis, qui ſunt in poteſtatibus, quemadmodum eos ſe gerere oporteret; cumque dixiſſet Pont. Prætores decere tum oculos tum manus abſtinentes habere; ille ea fiducia, quam ipſi optimæ mentis conſcientia dabat, quod ſuſpicaretur, id ſibi dictum, audacter reſpondit: Pater ſancte, ſi quod unquam facinus tale de me tibi veniet in mentem, te ipſum fruſtraberis, ac facies mihi inſignitam injuriam; eo enim ſum genere ortus, atque ita me ab ineunte ætate comparavi, ita etiam vitam inſtitui, ut aliena appetere, aut aliquid de publico aut privato ſurripere, vel aliquid committere quod ſit ingenuo homine indignum, abſit à meis moribus longiſſime. Tum Pont. quaſi, quod dixerat, corrigens: Noli exiſtimare, id à me tua cauſa dictum; ſed ideo mihi excidit, quia pleraque pars hominum, in hoc officii genere graviter turpiterque delinquit. At Lælius eatenus regendis civitatibus navavit operam prætor, quoad Card. Montaltus, Cong. Conſultæ præfuit; ea vero poteſtate ad Petrum Cardinalem Aldobrandinum, Clementis VIII fratris filium, tranſlata, ipſe etiam animum tranſtulit ad Iuris Civilis ſtudia; in quibus ea exercitatione utebatur, ut Iuriſconſultorum libros, quorum numerus fere in immenſum excrevit, diligenter pervolutaret, ac præcipuas ex eis ſententias excerperet, & in codicem referret, quem vulgus Iurisconſultorum, apto fortaſſe, ſed minus Latino nomine, Repertorium vocat. Sed ille, non unum, ſed plures codices ejuſmodi ſententiarum impleverat, unde, tanquam ex penu quodam, in cauſis, quod ſibi eſſet opus, expromeret. acceſſerat, quod patruus pinguem illum Prioratum, quem diximus, ipſi reſignaverat. itaque, jam dives, omiſſis omnibus aliis curis, totum ſe in ſtudiis continebat. Erat ille quidem optimis atque ſanctiſſimis moribus, qui Deum inprimis vereretur, ſed ſuſpicioſus, timidus, quique fere omnia in pejorem partem raperet; cumque, vitio depravatæ mentis, eò perveniſſet, ut ſe omnium inſidiis circumveniri, & ad necem expeti, ſuſpicaretur, quo tutus eſſe poſſet, in domum hoſpitalem S. Antonii, in Exquiliis, quia ejus habitum

bitum gerebat, se recipiendum curavit. receptus, nihilo securior est factus; nam, ut quisque domum illam ingrediebatur, ad ipsum interficiendum, eum mitti putabat. atque adeo in ea opinione defixus hærebat, ut nullis amicorum persuasionibus, nullis Fratrum illorum, quibuscum vivebat, admonitionibus, ab ea dimoveri ac dejici posset. itaque, in ea animi ægritudine, à qua in dies acrius vehementiusque premebatur, excessit.

XI. IACOBVS CRESCENTIVS.

QVantum domestica patrum familias disciplina, sive severa sive mollis, filiis, quos generaverint, momenti afferat, ad vitam recte vel secus instituendam exigendamque; eorum, in utramque partem, qui domi suæ bene vel male educati sunt, declarat eventus. Tria præsertim esse arbitror, quibus, ab ineunte ætate, puerorum mores imbuti, ad nequitiam trahantur, quamvis magna in eis indoles ac materies ad omnes bonas artes existat. Primum, nimius in eis vestiendis ornandisque sumtus atque luxuries: nam videre licet, infimæ sortis hominum filios, vix è sinu matrum egressos, immo vix à lacte depulsos, pretiosis vestibus, serico auroque contextis, vel ipsos incedere, vel è manibus utriusque sustinentium pendere, vel crines longius fluentes, & in morem mulierum comtos, purpureis ex ligulis conspicuo elegantique nodo devinctos habere; ut, qui parentes illorum ignoret, non eos opificis cujuspiam aut lanii, aut cetarii, sed viri principis esse filios, existimet. *quis eorum*, ut sapienter Quintilianus ait, *non adultus concupiscet, cum in purpuris repat?* Deinde, puerorum moribus pestem & exitium affert parentum socordia ac negligentia formandi, custodiendique in ætate prima pudoris. vidi ego non paucos ea in liberos indulgentia, (si ea indulgentia, ac non potius summa iniquitas ac stultitia appellanda est,) cum multa, à filiis improbe facta ac scurriliter dicta, suis ipsi oculis atque auribus acciperent, non modo improbitatem illam scurrilitatemque objurgationibus verberibusque non coërcerent, verum

verum etiam, ſi diis placet, oſculo riſuque exciperent. Poſtremo, eorum puerorum pudor, modeſtia, probitas in perpetuum modum perierit, quorum mores, parentum, quibus cum vivunt, luxuria perdiderit. nonne in perditis ac deſperatis rebus habendi ſunt ii, qui ſua vitia poſſint majorum ſuorum exemplo & auctoritate defendere? At non erat talis, Virgilii Creſcentii, viri patricii, Iacobi patris, domi diſciplina. quam in domum nunquam vitiis illis, de quibus commemoravimus, aditus patuit. nam, cum propter generis nobilitatem, ſummaſque divitias, liceret ei, filiis ſumtuoſa veſtimenta præbere, non alia illis tradidit, niſi uſitata atque vulgaria, quibus etiam ipſe, quamvis flos delibatus eſſet populi, utebatur. malebat enim, eos ingenio bono, quam lepido ornatu, inſtructos incedere; pudorem, quam aurum ac ſericum gerere; pulcros mores, quam inſignem corporis faciem habere. Itaque licebat aſpicere, quatuor, viri clariſſimi filios, una cum alio, qui honoris gratia eadem in domo educabatur, laneis tibialibus, femoralibus, thoracibus, ſagis ac palliis, quibus ſerici nihil eſſet admiſtum, amictos incedere; quibus præceptor, vir gravis ac fidelis, accedebat comes aſſiduus, qui, tum foris tum domi, una cum parente, ad majorum inſtituta ac ſanctiſſimam diſciplinam eos erudiret, neque aliquid audire vel ſpectare curaret, quod puriſſimum illorum morum nitorem contaminaret. Denique, ſi domeſtica parentum ſanctiſſimorum exempla animis, ad meliora propenſis, acriores vehementioreſque ad virtutem ſtimulos addunt; quid poterat inveniri Virgilio patre honeſtius, quid ſanctius? quid enim unquam ab illo audiebant, quo non pudentiores aut meliores efficerentur? quid illum agere videbant, quod cum imitati eſſent, id quod maxime in parentum gloriam redundat, non ſimiles patri invenirentur? quid mirum, ſi ab ineunte ætate ad extremum uſque ſpiritum, nunquam læſæ, ſed conſervatæ ſanctiſſimæ innocentiæ opinionis laudem ſint aſſecuti? Fit, tum ex vitiis, tum ex virtutibus, conſuetudo, poſtea natura. Quod ſi in ſanctorum virorum amicitiis tantum nobis præſidii eſt ad vitam moreſque componendos; quid mirum,

tot

tot tantisque virtutibus ornatos extitisse eos, qui in Patrum Soc. Iesu institutis, in S. Patris Philippi Nerii disciplina, sive potius complexu, fuerint educati? Magna Virgilii & Constantiæ, ipsorum parentibus, cum viro illo sanctissimo consuetudo ususque intercessit; Constantia etiam, usque ad extremum vitæ diem, à confessionibus eum habuit; ejusque liberi, non alio eundem nisi parentis cujusdam loco ac numero, coluerunt; atque ipsi, & Iacobus in primis, de quo loquimur, non secus dilecti sunt ab illo, ac filii. Hic Iacobus, eruditus est humanioribus in literis, in scholis Patrum Soc. Iesu: ac mecum una integrum annum P. Horatium Tursellinum & Franciscum Bencium, qui tum optimi dicendi magistri habebantur, audivit; qui multa, tum soluta oratione tum versibus, scribendo, ita probabatur, ut in principibus discipulis numeraretur. exacto anno, dissimilitudo studiorum, ad quæ uterque nostrum animum appulit, nos ab invicem distraxit atque sejunxit. ille enim se Iurisconsulto, ego me Philosopho tradidi: Petrus Paulus vero, cui, omnium fratrum concessu, Reipub. capessendæ laus, omnisque ambitionis labor fuerat relictus, multo magis studium illud est amplexus, sine quo Respub. recte administrari non potest; nimirum Iuris civilis scientiam. Neque sibi defuit, sed continuo ad Rempub. accessit, honorum curriculum iniit. in quo progressus est longius, quam esset utile sibi reique suæ domesticæ. nam Paulus V, qui hominis mores & ingenium nosset, quoque parente ortus esset, ac vellet eum ornare ex suis virtutibus, mandavit eidem, ut Auditorii Cameræ munus, quod tum venale erat, sibi coëmeret; in quo tanti sumtus faciendi erant, ut totam penè rem familiarem exhaurirent, vel saltem eam in illa lacunam efficerent, quæ nunquam postea potuit expleri. At ille, ejus honoris, quo præter Pontificium nullus est major, celeriter adipiscendi cupiditate impulsus, Pontificis imperio esse parendum duxit. itaque eam provinciam mercatus est, ab eaque factus est ipsi gradus ad Cardinalatum. ad quam dignitatem etiam perductus est. At Iacobus, qui jam pridem insigne quoddam Sacerdotium, quod Abbatiam

vocant, Nurſiæ obtinuerat, Eccleſiaſticis ſacris initiatus, ac Sacerdos effectus, ſacrarum literarum ſtudiis, omnibuſque pietatis operibus, totum ſe tradidit. ſic vita erat; ſingulos dies, ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium facere; feſtis diebus, ſuperpelliceo indutus, una cum aliis Oratorii Romani Patribus, in choro, veſpertinas horas canere; frequenter celebriores ſanctorum Martyrum memorias inviſere; beatiſſimi Patris Philippi exemplo, cujus ſimilitudinem, quantum poterat, in ſe transferre conabatur; cujus etiam ope, die quodam, ex tortuoſis cœmeterii Priſcilliani anfractibus, quibus ita ſe implicaverat, ut de ſalute deſperare cogeretur, ſit ereptus. neque iſte, tantum in ſe beneficium, Philippi interceſſioni acceptum non retulit: nam continuo, argenteam magni ponderis tabellam faciendam, ac ſancti viri ſepulcro appendendam curavit; cum antea, ſuis ſumtibus, loculum, quo ſancti viri corpus tegitur, cypreſſinis ex tabulis confectum, holoſerico villoſo purpureo, multo auro diſtincto, intus ornandum ſternendumque mandaſſet. De fructibus, quos ex pingui illo Sacerdotio capiebat, minimum ſibi ſumebat, ac totum ferme pauperum, ejus loci, uſibus aſſignabat. quod utinam, nunc fiat ab unoquoque, cui ſacerdotium illiuſmodi locuples commiſſum eſt. Sed Iacobus, cum maxime dat operam, ut bonorum operum fructibus animum augeat exornetque, ex ſtranguria, qua cœperat laborare, deceſſit; dignus, qui vel nunquam moreretur, vel ſaltem, quum ea lege ortus eſſet, multo minore cum cruciatu doloreque evolaret ad ſuperos. Illud miror, quod, cum ingenio valeret, otio abundaret, à literis non abhorreret, animum ad ſcribendum non appulerit, quo, inſigni aliquo opere, ſui memoriam, apud poſteros, quam maxime longam efficeret.

XII. LÆLIVS VBALDINVS.

NVlla res, ut diligenter omnia perquiramus, ad conjungendas conglutinandaſque amicitias, majorem vim habet, quam duorum perpetua tum ad res honeſtas conſenſio, tum ad res vitioſas offenſio atque faſti-

faſtidium. quod ideo additum eſt à nobis, ne aleatorum, compotatorum, ac libidinoſorum furumque ſocietatem atque conſenſum, amicitiæ nomine aſpicere videremur: hos enim non virtus, quæ ſolum ac fundamentum eſt veræ amicitiæ, eo inter ſe nexu conſtrinxit, ſed inſanus ac turpis voluptatum ardor ac cædis. Ex contrario, nihil ad diſſuendas amicitias atque odia conſtituenda plus valet, quam contrariæ hominum ſententiæ, & diſſimilitudines ſtudiorum ac voluntatum. nam, cujus magis amicitias fugimus, quam ejus, qui odioſus ſit, qui noſtris ſemper ſtudiis adverſetur? contra, quid Pyladem & Oreſtem, nobile par amicitiæ, ita arcto inter ſe amoris nexu conſtrinxit, ut corporibus duo, quemadmodum inquit Ovidius, mentibus autem unum eſſent, niſi quia, eadem ſemper ſentiendo, perpetuam inter ſe pacem, amorem, amœnitatemque exercuiſſent? quodnam vinculum ita Theſeum Pirithoo habuit adjunctum, ut nunquam dirimeretur, ſed eodem, ut eſt in fabulis, copulati, ad inferos ſeſe demitterent, niſi quia ita omnibus in rebus inter ſe convenirent, ut nullum unquam oriretur diſſidium? quid ſuperiorem Africanum & Lælium veræ exemplum amicitiæ conſtituit, niſi perpetua ipſorum, in eo, quod eſſet honeſtum, expetendo proſequendoque conſenſio? Sed nullus erit finis, ſi omnes, ex omni antiquitatis memoria, colligere, ſit in animo, quorum amicitiæ nullam unquam calamitatem ſenſerint ex eo, quod alter ab altero diſcreparet. Sed ex iis, quos ipſi nos vidimus, par amicorum unum ſe offert, in quibus, ad conjungendam amicitiam, princeps fuit virtutis amor, ac bonarum artium ſtudia, quibus uterque flagrabat; unde tanta extitit animorum conjunctio, ut non duæ voluntates ſimul coiſſe, ſed ex duabus una effecta eſſe videretur. Quod par amicorum ex duobus conſtat, in quos omnia, tum naturæ tum generis tum ingenii ornamenta convenerunt; videlicet ex Aſcanio Card. Columna, & Lælio Vbaldino. Atque de Cardinali Aſcanio ſatis ſuperioribus libris dictum eſt à nobis. de Lælio ea proferemus, quamvis non ita multa, quæ ab Hugone Vbaldino, fratris illius filio, in referendis ſuorum laudibus, nimis parte

parco, vix potuimus exprimere. Hic genere ortus nobiliſſimo, cum, ſtatim à pueritia, magiſtris, ad ea perdiſcenda quibus prima illa ætas imbui ſolet, traditus, celeriter cœpit ingenii lumine clarius enitere, quam ex ejus æqualibus multi; in quibus erat Octavius Bandinus, qui poſtea à Clemente VIII factus eſt Cardinalis. Erat Lælii & Octavii parentibus vetus amicitiæ conſuetudo cum M. Antonio Mureto, cui tum temporis, omnium fere conceſſu, eloquentiæ, omniſque eruditionis, primæ deferebantur. ad hunc parens uterque filium ſuum adduxit, ut vir ille doctiſſimus ſapientiſſimuſque, percontando interrogandoque, periculum faceret, quidnam illi in Græcis, quid in Latinis literis, quibus ad eam diem operam dederant, profeciſſent. quorum ille quidem cum tentaſſet induſtriam, laudavit adoleſcentium indolem, ſed fuit parentibus auctor, ut mitterent eos in Galliam; primum Pariſios, ut ibi ab illis humaniorum literarum magiſtris, accuratius ſcientiuſque, in elegantiſſimis humanitatis diſciplinis erudirentur perficerenturque; deinde ad Iacobum Cujacium, qui tum eorum, qui Ius civile docebant, anteſignanus exiſtimabatur. Quod factum eſt ab illis diligentiſſime. neque adoleſcentes itineris ac peregrinationis ſuæ pœnituit. Legi ego Mureti ejuſdem epiſtolam ad Cujacium, more ſuo ſcriptam elegantiſſime; in qua eos illi adoleſcentes etiam atque etiam commendabat, qui ad ipſum diſciplinæ cauſa venirent; ajebatque, ſuo in primis hortatu, quo à bonis artibus inſtructiores ad Ius civile perdiſcendum accederent, Pariſios ſe contuliſſe, ubi, Græcæ Latinæque linguæ doctoribus, ſe recoquendos traderent; hoc enim verbo utebatur: tanquam ſi ex aliorum magiſtrorum ludis, unde illi proficiſcebantur, ſenium quaſi quoddam contraxiſſent, quod Pariſienſium præceptorum ſapientiæ tanquam igne eſſet recoquendum, ſuoque eos artificio, tanquam medicamentis, ſitu illo ſenioque depulſo, in florentem quandam viriditatem adducerentur; ſicut Medea dicitur Peliam, ſuis venenis excoctam, feciſſe ex ſene adoleſcentulam. Quod non ita magna ratione à Mureto, pace tanti viri dixerim, mihi factum videtur, ut ſtudioſos adoleſcentes,

tes, tantos labores capere, tantum iter ſuſcipere, tantos ſumtus facere, in eloquentia comparanda, juberet, cum ea illis domi, hoc eſt, Romæ, magiſtrorum copia ſuppeteret, quarum ſimiles in Gallia, atque adeo tota in Europa, non invenirentur; Petrus Ioannes Perpinianus, Io. Petrus Maffeius, Fulvius Cardulus, Horatius Turſellinus, Hieronymus Brunellus. at hi omnes, in Collegio Rom. Soc. Ieſu, utriuſq; eloquentiæ præcepta, magno auditorum concurſu utilitateque, tradebant. Quod ſi locus fortaſſe diſplicebat, & antiquiſſima ac celeberrima Gymnaſia recentibus Patrum Soc. Ieſu ſcholis anteponebat; apud quos honeſtius & utilius eos poterat detinere, quam apud ſe, qui, jam tum eloquentiæ & eruditionis fama clariſſimus, elegantiſſimas literas in Gymnaſio Romano docebat? Sed fortaſſe in ſuæ nationis homines amore, quo plerique plus æquo incenduntur, eatenus progrediebatur, ut vellet Lutetiam Pariſiorum, ſicut olim Athenas, omnium bonarum artium eſſe mercatum, quo ii confugerent, qui liberalibus diſciplinis exornare animum cuperent. At Lælius, cum jam ea didiciſſet, quæ Mureto placuerant, Philoſophiæ ac ſacrarum literarum ſtudio incenſus, profectus eſt Salamanticam, ut in celeberrimo illo Gymnaſio ſtudiis obſequeretur ſuis. qua in civitate cum Aſcanio Columna, qui ibidem eadem de cauſa erat, ea amicitiæ fundamenta jecit, quæ uſque ad exitum vitæ firmiſſima duravit. captus eſt uterque amœniſſimo alterius ingenio, ac morum ſuavitate, eatenus, ut, ne ad breve quidem tempus, inter ſe diſtracti ac ſejuncti eſſe poſſent. Sed vehementius impotentiuſque, ut ita dicam, Aſcanius ferebatur in Lælium, adeo ut ejus conſuetudine uſuque expleri ſaturarique non poſſet: verum cum Lælius Philoſophiæ ac Theologiæ capita ac fontes, ab aliis ſibi monſtratos, noſſet, ut inde tantū poſſet haurire quantum vellet, Chriſtianæ perfectionis cupidus, in laudatiſſimam D. Franciſci familiam nomen dedit; eam videlicet, quæ arctius vitæ conſectatur genus. neque novo iſthoc & inexplicabili nexu, quo ſe Deo, religionis voto, obſtrinxerat, aliqua ex parte remiſſum eſt vinculum illud amicitiæ, quo ſe Aſcanius eidem obligaverat; immo multo

factum eſt arctius atque obſtrictius : nam, ne minimum quidem temporis ſpacium, ſine illo eſſe ; & tanquam ex illius ore ſpiritum duceret , ejus lateri ſemper hærere; adeo ut , ſi ille cœnobium commutaret , illuc Aſcanius ſe conferret. quæ individua animorum conjunctio multo manifeſtius apparuit Romæ ; quam in Vrbem F. Franciſcus (id enim nomen , ut mos eſt Fratrum religioſorum , ſuperiore mutaverat ,) una cum eodem Aſcanio , à Sixto V in Cardinalium Collegium cooptato, migraverat. nam, ſi, verbi cauſa, ille in cœnobium B. V. quod eſt in Capitolio , habitatum commeaverat, illuc ſibi Aſcanius abeundum eſſe cenſebat , ut illi proximus eſſet , quemadmodum animo , ita & corpore ; ſi itidem ille , ſuperiorum juſſu , in alterum D. Petri in monte aureo cœnobium immigraverat , nullam ſibi Aſcanius moram eſſe interponendam cenſebat, quin illuc, ut dicitur , remigio veloque contenderet : neque Franciſcus illi in amore non reſpondebat , ſed unice unum ex omnibus diligere ; quo ille vellet, deſcendere ; de illius ſtudio ſtudia ſibi ſua omnia eſſe. Ardebat incredibili quadam eloquentiæ cupiditate Aſcanius , uſque eò, ut, ſi quempiam audiret, paulo diligentius huic ſtudio operam dare , ad ſe advocaret ; noſſe vellet, hortaretur, obſecraret etiam, ut in id ſtudium, in quo erat, incumberet ; nihil enim eſſe dignius , in quo omnis noſtra opera conſumeretur,quam hoc,in quo Romani nominis gloria longe multumque ceteris nationibus præſtitiſſet. Idem mecum egiſſe illum memini , cum puer à Io. Franciſco Carrettonio , ob hanc cauſam illi amiciſſimo , ad eum eſſem perductus , quia non obſcuri ac tenues in me eloquentiæ igniculi elucere viderentur. Quid enim, ajebat, eſt turpius,quam nos, homines Romanos , qui orbem terrarum armis ſubegimus , qui dicendi gloriam Græciæ , à qua , una hac in re , adhuc vincebamur, eripuimus , pati, tantum tamque locuples patrimonium exteras nationes invadere, & undique bonis, nobis ereptis , circumfluere ? Florebat eo tempore in concionibus vir quidam probus ac doctus,inſigni ſacerdotio prædítus , ſed ſenſuum oculorum , ab ipſo natalis ſui die , penitus expers. qui quidem , multis in rebus

bus claudicabat, præsertim in gestu, quem nulla venustas commendabat; tum erat in instruendo dissipatus, ut nullus esset rerum ordo, nulla distinctio; sed vox magna, canora, verborum splendor, ac perfacile currens oratio, quæ sensus ac dolores haberet, quæque, quos vellet, animorum motus in auditoribus excitaret: tum magnum ad se hominum concursum alliciebat, ut vix eum caperet D. Laurentii in Lucina Ædes, quantumvis maxima; ubi diebus festis à prandio concionabatur. præterea, ea vi & acrimonia, vitiorum sordes insectabatur, ut concione perorata, complures, ejus oratione permoti, ad sacerdotum pedes sese projicerent, ac peccata multis cum lacrimis ultro confiterentur. Hunc Ascanius studiose à principio audiebat; sed, vel quia in aliud dicendi genus, longe ab eo diversum, ferebatur, lætum, amœnum, omni florum varietate conspersum, sententiis magis quam verbis abundans, vel quia acrius, quam vellet, se ab eo verberari sentiebat, eo relicto, totum Francisco, tanquam suis auribus magis accommodato, se tradidit. Nullæ in ejus oratione inerant verborum faces, quæ ad audientium animos inflammandos erumperent, nulli fere reprehensionum aculei, qui ad eosdem fodiendos immitterentur; sed omnia erant summo lepore ac suavitate condita, verba aperte translata, paria paribus relata, adversa contrariis, sæpissimeque similiter extrema definita atque concluſa; denique nihil ille non ad voluptatem aurium deferebat. Neque id ego affirmare audeo, quod aliquis ejus sermo se in aures meas immiserit; nunquam enim eum mihi contigit audire: sed ideo ad id cogitandum adducor, quod, puer, longam ejus concionem, ad Card. Ascanium habitam, descripsi; ab eo mihi traditam, à quo privatim domi ad omnem humanitatem erudiebar; in qua omnes illæ sententiarum concinnitates, omnes verborum flosculi, omnia illa orationis lumina, de quibus diximus, continebantur. Sed hoc tam excellens ingenium, cui, quantum ego puer judicare potui, non tam propositum erat perturbare animos quam placare, nec tam inflammare quam delectare, haud diu in suggestis & in concionibus, ut ipse optaverat, jactare se potuit. etenim, dum

Aſcanii Cardinalis ſtudiis nimis eſt obſequens, Sublacī eſt mortuus, cum nondum tertium & trigeſimum ætatis ſuæ annum impleſſet. Quod ſi longius vitæ ſpatium nactus eſſet, næ ille ad ſummam Panicarolæ eloquentiam perveniſſet, quam imitando conabatur exprimere.

XIII. IO. BAPTISTA MANSVS.

SI qui ſunt, qui alios docere conentur id quod ipſi didicerint, hi egregie præter ceteros, de juventute, atque de univerſo hominum genere, mereri mihi videntur: præſertim, ſi id faciunt, nulla re commoti alia, nulloque præmio adducti, niſi utilitate communi. etenim, mea ſententia, optime omnium intelligunt, quid virtus ipſa velit; cujus ea vis eſt atque natura, ut ab iis, quorum pectora impleverit, in alios ſe transfundat, cumeiſque communicet. Atque antiquiſſimis temporibus complures doctiſſimi clariſſimique viri extiterunt, qui domos ſuas, quaſi ludos, univerſæ Græciæ aperuerunt; ubi, qui vellent, liberalibus illis diſciplinis erudirentur, in quibus ipſi principes eſſent. ſed, quia magis noſtrorum temporum ac domeſticæ virtutis exemplis gaudemus, quam veteribus & externis, libentius in his temporibus, in quibus nos ſumus, noſtra verſabitur oratio, iiſque definietur viris, quos ipſi novimus. Atque in præſentia duo ſe nobis offerunt, Io. Baptiſta Strozza Florentinus, & Io. Baptiſta Manſus Neapolitanus; quorum uterque tum generis, quo fulgebat, ſplendore clariſſimus, tum artium pulcherrimarum ſtudiis, quibus excellebat, fama notiſſimus, ſummam laudem poſitam eſſe putabat in eo, ut honeſtis adoleſcentibus ac ſtudioſis ſe ducem præberet, ut venirent eo, quo ſine duce ipſe perveniſſet. At Strozza non ſolum eos, qui in ejus diſciplinam conveniſſent, opera ac labore juvabat, verum etiam, ſi viri boni eſſent, eoſque ad ſummos honores pervenire poſſe exiſtimaret, maximis ſumtibus, in ſui gloriam, alebat. ſed de hoc ſatis dictum eſt in ſuperioribus libris, ubi ejus imaginem morum vitæque deſcripſimus. Io. vero Baptiſta Manſus, Villæ Marchio, de quo referre inſtituimus, cum omnium elegantiſſi-

tissimarum artium, quarum princeps haberetur, gloria floreret, literatorum omnium, qui in suam tutelam confugissent, patrocinium suscipiebat, omnibusque praerat, qui ad honestam aliquam disciplinam, ac nobili viro dignam, animum adjunxissent. in quo Strozzam longo intervallo vincebat: illius enim institutio iis tantum disciplinis continebatur, quæ animum adolescentis quadam quasi humanitate expoliunt atque ornant; ut sunt, poëtarum & historicorum cognitio, philosophorum inventa, omnisque elegantia doctrinæ: at Mansi, in juventute erudienda excolendaque, labor & industria multo progressa est longius. etenim non solum iis excultos disciplinis efficiebat, quas diximus, eos, qui se ipsi commiserant, verum etiam aliis prope centum artibus instructos ornatosque reddebat; equos frenis regere, sibi dicto audientes facere, in gyrum compellere, in cursus cogere, tum ad ludendum arma suscipere, ut, ludicra illa armorum tractatione edocti, discerent, quemadmodum iis uti deberent, cum ea ad puguandum essent sumturi; tum, saltare, citharizare, ad chordarum sonum psallere, atque ea omnia facere, quæ sine reprehensione à viri nobilis persona abesse non possunt. & ideo præcipuus fuit auctor, Neapoli, collegii Nobilium instituendi, ubi adolescentes nobiles, iis studiis operam darent, quibus eos æquum erat impertiri. præterea, in eadem urbe, otiosorum Academiæ una cum aliquot aliis initium dedit. Vsus est familiarissime Io. Baptista Marino, & Torquato Tasso, cujus etiam vitam scripsit. Fuit magna apud Proreges Neapoli, aliosque ejus regni proceres, æstimatione, ab iisq; eximie carus habebatur. Sed commendabat hanc ejus in omnibus iis artibus, quas diximus, summam excellentemque notitiam, eandemque cum aliis communicandi ardorem ac studium, ea, quam (utinam falso) querimur, raro cum optimarum rerum scientia conjunctam inveniri; nimirum vitæ ac morum probitas, neque ea usitata atque vulgaris, sed quæ vix in virum, omni sanctitatis laude perfectum absolutumque, conveniat. non enim solum communi quadam voluntate virtutis atque officii, ab iis se abstinebat maxime vitiis, à quibus nos Christi lex avocat, sed alia

quadam nova ac singulari ratione, exquisitius ac religiosius vitæ genus prosequebatur. non modo vetitis & impermissis voluptatibus nihil concedebat, verum etiam multa naturæ, ipsique necessitati, denegabat. Sed cum in omnibus Christianis virtutibus efflorebat, tum maxime in ea insignis inveniebatur, quam nostri humilitatem appellant, hoc est, in animi demissione atque modestia. quamobrem invitus suas laudes audire, multa sibi detrahere, atque aliis omnia tribuere, palam sua sibi vitia objici, ut mos est in sodalitiis B. Virginis, in quibus ille numerabatur, hilariter ferre; jussus ore terram lambere, aut sodalium pedes exosculari, non recusare, neque imperantis auctoritatem defugere; neque minus dicto audiens esse, si imperaretur caliendrum è capite, quo calvitiem occultabat, sibi eripere, & in terram abjicere; nam statim imperata faciebat; neque dubitabat, magno intuentium cum risu, caput pilis nudum ostendere. Vnum in eo, quod vitium posset existimari, deprehendebatur; quod nimis ad rem attentus videretur; sed qua de causa ita rei faciendæ studeret, ostendit in morte. etenim hæredem omnium bonorum suorum, Seminarium nobilium reliquit: ut non tam illum rei suæ augendæ serviisse, quam optimorum adolescentium utilitati consuluisse pateret; ne videlicet, rerum ad vitæ usum necessariarum inopia, à liberalium artium studiis avocarentur.

XIV. ALEXANDER GLORIERIVS.

SVmma sæpenumero hominum ingenia, quæ maximam & ingentem de se exspectationem commovent, in eum amplitudinis locum minime veniunt, ad quem sua merita vocant. quod duabus de causis posse contingere arbitror; vel communi vitio hominum, quibus omnis exsuperantia virtutis suspecta sive potius odiosa est; vel fortunæ, si ita fas est loqui, iniquitate, quæ non potest pati, bona illa virtutū præmia fieri, quorum, cui ipsa velit, largiendorum penes se arbitrium potestatemque debere esse defendit; quamobrem pergit turbare, atque perficere, ne quid illis succedat sub manus,

nus, immo ut aſpera ac fœda eiſdem cuncta procedant, quos concepta de illis rerum maximarum ſpes vocat in cælum; atque etiam adjuvatur ab iis, quibus aliena virtus eſt formidoloſa, ut diximus. Verum, ex iis, qui noſtra memoria ad Rempub. capeſſendam acceſſerunt, nemo fortaſſe, à vitæ privatæ otioſæque quaſi portu, majori ſpe ac virtutis opinione, tanquam ſecundis flatibus, impulſus, ad honores vela dedit, quam Alexander Glorierius, Cæſaris Glorierii, multis ſummis Pontificibus earum epiſtolarum à ſecretis, quæ Brevia vocant, filius. Etenim locuplete in familia, & honeſto genere natus, quippe qui Ioannem Glorierium arcta cognatione attingebat, cui, Gallorum Regis Secretario, & Gallicarum copiarum Quæſtori, Franciſcus Aſulanus, divinum illud Guillielmi Budæi opus de aſſe, recentibus atque elegantibus à ſe typis impreſſum dicat, tum ſingulari ingenio, à natura, quam fautricem in tribuendis animi virtutibus habuit, inſtructus, optimis atque ſanctiſſimis moribus præditus, formæ dignitate atque præſtantia nemini ſuæ ætatis inferior, præterea Carolo Cardinali Borromæo, Pii IV Pontif. max. ſororis filio, qui tum rerum potiebatur, eximie carus, cujus etiam nomini inſcripta typis mandavit trecenta Paradoxa, Theoremata, ac poſitiones Iuris civilis, quas declarandi cauſa, quantum in eo ſtudio profeciſſet, publice tuendas Romæ ſuſceperat, tribus diebus continuis, adverſus quoſcunque, qui eas oppugnare conatus eſſet; quod, haud ſcio, an cuiquam alteri in Gymnaſio Rom. contigerit præter ipſum. Hic igitur adoleſcens, tot præſidiis ingenii fortunæque munitus, tot liberalibus diſciplinis à parente, qui ipſe quoque literas amabat, inſtructus, omnium in ſe oculos atque ora converterat. Atque initium magiſtratuum gerendorum fecit ab eorum loco ac numero, quos, à ſupplicibus libellis referendis, Referendarios vocant. hic enim primus ad Rempub. adeuntibus aditus patet. in quo munere ea diligentia, integritate, doctrinaque verſatus eſt, ut plures ad eum cauſæ cognoſcendæ judicandæque deferrentur; in quibus adeo ſe æquum, integrum juſtumque præbebat, ut ii etiam, adverſus quos ſententiam dixerat, æquo animo,

mo, agenteſque gratias, ab ipſo diſcederent. At parens, qui gnatum haberet, tali ingenio prædítum, quique de eo audiret omnes uno ore bona omnia dicere, hac fama impulſus, cum affluéret opibus ac divitiis, comparavit illi unum inter Clericos Cameræ locum, unde facilis eſt atque expeditus ad majores honores aſcenſus,& quo ii, penes quos, honores tribuere, jus eſt atque poteſtas, majoris ſpe lucri, ad ampliſſimam illi dignitatem mandandum impellerentur. quo igitur amplior atque expeditior filio aditus ad honores pateret, aliud Secretarii Apoſtolici munus obtinuit. Iam grallatoriis, ut inquit ille, paſſibus ad ſummam amplitudinem properabat; nec tam illa dignus videbatur, quia haberet multũ quod perderet, quam quod vera ad illam via, hoc eſt, virtutibus, graſſaretur. cum fortuna ſævire ac miſcere omnia cœpit. Erat in eo, tenax juſti rectique propoſitum; vigebant etiam ſtudia æqui bonique; contra quæ ſi quis vir princeps niteretur, excludebat ejus cupiditates, neque quemquam patiebatur plus jure ac legibus poſſe, memor dicti Sapientis, qui: *Noli*, inquit, *quærere fieri judex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates; ne forte extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in æquitate tua.* At mihi quidem duobus. diverſis atque contrariis inter ſe ſtudiis, flagraſſe atque exarſiſſe videtur. nam, cui honores ſunt cordi, juſtitiæ à ſe amorem, ſi ita res exigat, ejiciat oportet, hominibus potentibus, gratioſis, cupidis, ultro ſe offerat, operam navet, cupiditatibus illorum inſerviat. ne multa; cum, die quodam, Clericorum Cameræ Apoſtolicæ ſenatus de rebus gravibus coiſſet, atque adeſſet una Philippus Guaſtavillanus S. R. E. Cardinalis & Camerarius, Gregorii XIII ſororis filius, actum eſt in eo conventu de quibuſdam fructibus, quos Camerarius ſibi aſſerebat, ſed re vera ad Collegium Clericorum pertinebant; cumque ceteri, quorum ea res erat, tacerent, ſolus Alexander ſuam ac ſuorum collegarum defenſionem, acri ac vehementi oratione ſuſcepit. qua re Cardinalis vehementer offenſus, qui in neminem unquam inciderat qui ſibi contradiceret; ad eum converſus: Tanta ne, inquit, vi pro tuis collegis, adverſum me catuſam dicis? at ita factum non

non oportuit. Hoc loco libet interponere, neque id tamen ſejunctum à re poſita eſt ; quàm ſit neceſſe iis qui in Repub. verſantur , quo honores, pecuniam , & gratiam conſequantur , eorum obedire tempori , ac voluntati , qui auctoritate ac potentia plurimum pollent , ac nonnihil interdum de jure ſuo remittere ; his enim rebus ſæpiſſime , infimo loco nati , ſine ingenio , ſine doctrina , magnis etiam vitæ morumque ſordibus inquinati, ad ſummam amplitudinem pervenerunt ; contra, ſine illis, nobili genere orti, in parentum caſtiſſimis domibus bene & pudice educti , atque artibus honeſtiſſimis eruditi , curriculum honorum cum eſſent ingreſſi, non modo ad calces pervenire non potuerunt , ſed partim, vix è carceribus egreſſi, prohibentur progredi longius , partim in medio ſpatio franguntur & corruunt. Sed revertamur eo, unde diſceſſimus. Cœtu igitur illo, quem diximus , dimiſſo , ille qui ſe læſum putaverat , iracundia ſupra quam dici poteſt elatus , avunculum adiit, rem ſecus , quam geſta fuerat , narrat , Pontificem, ceteroqui ſanctiſſimum , in Alexandrum , & in totam ejus domum , incendit , inflammat , incitat. quo facto, palam elato , cuncti , tum, ut à Guaſtavillano gratiam inirent, tum ut Alexandri ejuſdemque domus florentem fortunam everterent , ad eum opprimendum conſenſerunt. ac primum Pontifex Cæſarem, Glorierii patrem, Brevium conficiendorum munere ac loco, quantum poteſt, ejecit, cauſatus , neſcio quid, de re admodum gravi, ab eo eſſe conſcriptum, quod non ipſe juſſiſſet ; cumque ille, purgandi criminis cauſa, chirographum, ipſius manu ſubſcriptum , exhibuiſſet , in quo illud , quod inficiabatur, præcepiſſet, Pontifex, acceptum , ſua manu, ante ipſum conſcidit , ac plures diſtraxit in partes ; credo (neque enim exiſtimare aliud licet de tam ſuavi Pontifice, & in manifeſto ſcelere deprehenſos reos etiam miſericorde) quod inimicorum calumniis , & iracundia, de mente conſilioque deductus, arbitraretur, litteras illas adulterinas eſſe & ab ipſo corruptas. Tum Alexandro Cameræ clericatum ademit , atque alteri conceſſit ; deinde Secretariatus Apoſtolici munus (quo illi ejus recuperandi ſpes omnis adimeretur) ereptum

ereptum Collegio Secretariorum addixit, vetuitque publicis literis, ab eo unquam distrahi ac divelli: præterea, bona eorum omnia, quæ inveniri poterant, hastæ subjicienda, eorumque precia ad ærarium referenda curavit. Quid multis moror? beatus erat, qui aliquid excogitasset, quo illi fama, vita, ac fortunis everterentur; deque eorum capitibus quotidie comitia fiebant, in domo cujusdam Andreæ Martini, Card. Camerarii scribæ. atque actum de illis omnino fuisset, nisi Hippolytus Estensis, & Ferdinandus Medices, Cardinales eo tempore potentissimi, eorum patrocinium suscepissent. nam unus magnam illorum pecuniam, domi suæ celatam, faucibus illorum eripuit, qui eam jam spe & opinione devoraverant; alter cavit, ne iniquo aliquo judicio, eorum sanguis exsorberetur; & clam eos Florentiam misit; ubi tam diu commorati sunt, quam diu rerum potiti ii, qui ipsis negocium periculumque facessserant. Incitabat etiam viros illos principes ad afflictam eorum fortunam sublevandam, Alexandri fratris uxoris misericordia, quam nulla tunc temporis in Italia, atque ausim dicere, toto orbe terrarum, pulcritudine corporis, oris venustate ac gratia, vicit; quæque tum omnium oculos ad spectaculum sui conversos habebat. Gregorio igitur intra paucos menses, quum hæc gesta erant, è vivis erepto, ac Felice Peretto Cardinali à Montealto, Sixti V nomine, in ejus locum subrogato, Romam redierunt, petieruntque supplicibus ab eo libellis, ut causam ipsorum susciperet, eamq; æquioribus judicibus, qui nullius neque auctoritate neq; gratia neque potentia moverentur, cognoscendam traderet. qui æquitate postulati permotus, totius cognitionem causæ, Auditoribus Rotæ Romanæ permisit. at illi continuo non varie, sed cunctis sententiis, judicarunt, iniquo judicio fuisse illos oppressos, ac propterea in veterem fortunæ ac dignitatis locum restituendos esse. quæ sententia perpetuis consignata literis extat. Quod omnibus exemplo debet esse, qui Rempub. tenent; ne videlicet quidquam in potestate committant, quod postea alter, qui illis successerit, auferat, atque irritum jubeat esse. Sixtus igitur, de sententia judicum, restituit illis omnia, quæ loco

move-

moveri non potuerant, quæque ærarium non absorbuerat; Clericatum vero Cameræ, quia legitimus Clericorum numerus constabat, neque eum augeri fas erat, non continuo reddidit, sed in eorum consessu tantisper supra illorum numerum expectare eum voluit, dum eorum aliquis vel morte surreptus, vel ad ampliorem ordinem evectus, locum unum vacuum, in quem ille succederet, faceret. Neque fuit illi diu expectandum. nam celeriter eorum unus, ut sunt omnes res humanæ inconstantes ac variæ, morbo naturæ debitum solvens, numerum ac locum, quem ille impleret, liberum inanemque reliquit. In veterem igitur dignitatis locum restituto, mandaverat illi Pont. ne se Card. Guastavillano, à quo tam insigni fuerat injuria laceratus, iratum ostenderet, sed eum sæpius, honoris gratia, inviseret, sectaretur, coleret, denique officiis omnibus prosequeretur. cumque Pontifici, dicto audiens esset, venit in mentem Cardinali, eorum oblito quæ fecerat, petere ab eo, quidnam esset actum, quamobrem tantam in se malorum molem attraxisset. qui rem illi omnem ordine, ita ut erat gesta, narravit. Tum Cardinalis: Profecto, inquit, tanta indignus calamitate fuisti; non modo enim à crimine, verum etiam, quantum audio, à conscientiæ suspicione abfuisti. At nihil propius est factum, quam ut Alexander, justo quodam animi dolore incensus, hac in eum oratione inveheret: Nonne tibi patet, me in odium & in crimen injustum fuisse vocatum, cum omnes in me crudelitatis tuæ aculeos erexisti? Sed bilem continuit, ne in aliquam Pontificis offensionem incurreret. Ea igitur, quam diximus, calamitate perfunctus, rursus ad ingenium rediit, ac novis se implicuit ærumnis. Erat Cardinalatus honoris avidissimus: quem cum non posset adipisci, palam querebatur, illum indignis deferri, se autem malle, salva existimatione sua, quovis vili redimiculo caput cinctum gerere, quam, aliqua adsperfum infamia, regio illud diademate redimitum habere. quod, illis delatum, qui ejusmodi querimonia designabantur, magnam ipsi apud eos offensionem attulit. Sed ea res causam in primis suam jugulavit Præfecturam annonæ administrabat, quæ ne Vrbi Romæ deesset,

eſſet, Farneſiis Principibus eſt conatus obſiſtere, ne frumentum, quod in ſuis agris exaraſſent, externis mercatoribus venderent, qui illud extra ditionis eccleſiaſticæ fines aſporrarent. quod Principes illi cum apud Clementem VIII querererentur, qui jam affinitatem cum illis meditabatur, ac ſibi injuriam fieri dicerent, quoniam id ipſis, ex ſummorum Pont. privilegiis, licitum eſſet, Clemens Alexandrum, ad ſe vocatum, graviter verbis accepit, admonuitque, ut conatu deſiſteret, niſi vim ſuam vellet experiri. Quibus ille auditis, animum deſpondit, eaque ægritudine, non ita multis poſt, menſibus an diebus? repentina morte deceſſit. Erat omnino vir probus, ſed nimium iis deditus, quos eximios habebat; hos locupletabat, horum ſtudiis obſequebatur, iis in ſe imperium eſſe volebat, idque ab omnibus animadverti ſcirique, ſumma ope cupiebat.

XV. D. PETRVS NICOLAI.

ANtriquiſſimus clariſſimuſque Canonicorum regularium Ordo, jam inde ab Apoſtolicis temporibus, ut ejus hiſtoriæ tradunt, tanquam à capite, ductus, & uſque ad hæc tempora permanens, omnibus plane ſeculis, magnum, in omnium virtutum genere, præſtantiſſimorum hominum numerum, Eccleſiæ Catholicæ genuit; quorum alii in concionibus ad populum, Chriſtianæ eloquentiæ fama, clari ac magni ſunt habiti, alii in publicis Italiæ Gymnaſiis, ob inſignem humanarum divinarumque rerum ſcientiam, multitudine diſcipulorum floruerunt, alii etiam politiſſimis & elegantiſſimis illis ſtudiis, quæ ab humanitate ſibi nomen aſciverunt, præditi, celebre atque illuſtre ſuum nomen reddiderunt. Verum, ex iis omnibus, qui in earum virtutum, de quibus diximus, laude verſati ſunt, haud ſcio, an quiſquam, ſingularis ingenii dotibus, D. Petro, ejuſdem familiæ Canonico, anteceſſerit. ita, quæ diſperſe in ſingulis ornamenta miramur, in eum omnia confluxerant. Hic S. Romani, tenuis, agri Lucenſis, pagi adeo obſcuro ortus eſt genere; ut ne cognomen quidem haberet, quo ab aliis, qui ejuſdem eſſent nominis, diſtingueretur; ita-

itaque fuit illi neceſſe, à parente, cui Nicolao nomen erat, mutuum illud accipere: atque Petrum Nicolai, hoc eſt, Nicolai filium, appellari ſe voluit. Verum, natura, quæ in tribuendis ingeniis, non generis claritatem, non opes, non divitias, non potentiam cujuſquam ſequitur, ſed ea in materiam ad excipiendum idoneam, tanquam in agrum novatum iteratumque, diſſeminat, eam illi ingenii vim, amœnitatem docilitatemque largita eſt, ut in illo excolendo, ſi eam, ut par erat, induſtriam adhibuiſſet, nihil illo fuiſſet in virtutibus excellentius. Educatus eſt, in domo Seminarii Lucenſis, ibique à magiſtris, omnibus illis literis eruditus, quibus puerilis ætas informari ad humanitatem ſolet. neque ſolum Latine ſcribendi elegantiam, incredibili celeritate accepit, ut orationes componeret, ac verſus, quibus legitimus numerus conſtaret, effunderet; verum etiam Muſicen didicit, qua, verſibus Etruſcis, quos ſumma etiam felicitate condebat, modos faceret, quos ad chordarum ſonum numerumque cantaret una cum condiſcipulis illis, qui erant canendi arte eruditi; ac viſus eſt ſæpenumero ex tempore cantiunculam aliquam edere, eidemque, una atque eadem opera, modos lepidiſſimos addere. Annos circiter ſeptendecim natus, ſanctiſſimas antiquiſſimi honeſtiſſimique Canonicorum Regularium Lateranenſium leges & inſtituta amplexus eſt, eorumque tyro habitum induit: tyrocinii tempore expleto, in Philoſophiæ primum, tum in Theologiæ curriculum prodiit; quod tanta cum laude confecit, ut vix illud expleverit, quum aliis dux fuit, qui in idem ſtudium ingrederentur; multoſque annos in publicis Gymnaſiis, magno cum plauſu, earundem facultatum doctoris & magiſtri functus eſt munere; adeo ut Patavini, in quarum urbe domicilium eſt literarum, ad ſe illum attraxerint, ut ibi iis docendo inſtituendoque præeſſet, quibus ad intima ſacræ Theologiæ arcana perveniendi penetrandique ſtudium foret. & in iis, qui ad ejus ſe ductum aggregaverunt, quorum magna erat multitudo, numeratus eſt etiam D. Andreas Foſſa Genuenſis, qui poſtea omnibus tum doctrinæ tum naturæ dotibus inſtructiſſimus, ſummum in verbi Dei concionatoribus ac divi-

narum rerum interpretibus locum obtinuit, atque omnibus ampliſſimæ ſuæ familiæ muneribus egregie functus, nunc Genuenſi Canonicorum ſui Ordinis cœnobio, Abbatis nomine, præeſt. Sed ut ad Petrum Nicolai, à quo paululum digreſſa fuerat, revertatur oratio, inter Seraphicos allectus eſt, quorum Academia Patavii, ingeniorum claritate ac numero, in primis Italiæ enitebat; in qua etiam placita quædam, ſeu poſitiones, quas Dialectici & Rhetores vocant, ex cantico *Te Deum laudamus* excerptas, quas etiam typis impreſſas edidit, eo hominum concurſu & approbatione tuendas ſuſcepit, ut nihil tum temporis eſſet, quod magis omnium linguis atque ſermonibus celebraretur. quid multa? propter ejus ſingulare ingenium atque doctrinam, ſermo erat omni populo. Huic verſatile ingenium, quemadmodum de Porcio Catone tradit Livius, ita ad omnia fuit, ut natum ad id unum diceres, quodcumque ageret. Summorum Theologorum Philoſophorumque, ut D. Thomæ & Scoti, Ariſtotelis & Pendaſii, inter ſe contrarias diſcrepanteſque ſententias, pari ingenii acumine ac ſubtilitate, cum voluntas ejus ferret, tuebatur. Nihil eſt in aliqua diſciplina adeo abſtruſum atque reconditum, adeo anguſtis & conciſis diſputationibus illigatum implicatumque, quod, ſi in illud ſe mente & cogitatione conjeciſſet, apertum explicatumque ipſi non fieret, quodque auditoribus ſuis, ut ita dicam, manſum confectumque, ut nutrices infantibus pueris, quaſi in os non inſereret, adeo ut nemo eſſet ingenio, ita tardo, ita obtuſo, qui non illud ſibi traditum intelligentia acciperet. Abdicavit ſe munere docendi, invidi cujuſdam inſidiis expetitus, atque ſtudium & operam ſuam contulit ad conciones de divinis rebus ad populum habendas. cujus conſilii eventus adeo illi ex ſententia ſucceſſit, ut in omnibus præcipuis Italiæ civitatibus, apud quas verba fecit, ſummi ſemper oratoris locum numerumque obtinuerit, ac Lucæ in Æde S. Michaëlis, omnium ejus Vrbis celeberrima ac religioſiſſima, concionibus quotidie habendis, ita unius Quadrageſimæ curriculum confecit, ita omnis elegantia doctrinæ, verborum ſplendore & copia, ita voce, geſtu, omniſque actionis lepo-

re

re ac ſuavitate, populum illum tenuit, ut neminem unquam, eo loco dicentem, magis ſit admiratus; ac ſenes, qui omnium meminiſſent qui ad eam diem ibi verba feciſſent, dixerint, à ſe neminem eſſe auditum, cujus eloquentia literis eſſet inſtructior, ac vocis motuſque ſuavitate conditior. Denique ingenii felicitate illud aſſequebatur, ut, quamcumque in partem ſe daret, evaderet omnium facile princeps. Plures edidit orationes, tum Latina tum vernacula lingua conſcriptas, variis à ſe temporibus habitas. Elegias, epigrammata, odas, atque alia Etruſca poëmatia, fundebat ex tempore: ac, ſi calamum ad ſcribendum ſumebat, verba ac ſententiæ, non ſine cultu ac nitore, vix vocatæ, ſub acumen ſtyli ſubibant. Erat Græcis literis doctus, Hebraicarum autem uſque eò peritus, ut non dubitaverit, in Æde S. Frigidiani, ſui Ordinis, inſignem quendam Legis Moſaicæ doctorem atque magiſtrum in certamen contentionemque vocare; quem argutiſſimis ſuis diſputationibus, tanquam laqueis, irretitum ita cepit, ut certaminis ſuperior, omnium confeſſione, diſceſſerit: ad quod certamen concurſus dicitur è tota urbe factus eſſe. Ob quas laudes eam ſibi virtutis opinionem famamque confecerat, ut, quamvis, ut diximus, tenui obſcuroque erat ortus in pago, vulgo *magnus ruſticanus* appellaretur. Neque procul à Repub. ætatem egit, ſed partem ejus non minimam cepit. quippe qui S. Frigidiani ejuſque cœnobii Præfecturæ præpoſitus fuit; qui magiſtratus, habetur in primis eorum, qui ab eo Ordine mandantur; &, qui illum adeptus eſt, Epiſcopi in morem tondetur, Pontificio pallio atque annulo utitur; &, honoris gratia, magnus Prior nuncupatur. in quo munere adminiſtrando, inventus eſt nequaquam ita felix. namque iis ſe difficultatibus implicavit, unde expediri vix poſſet; iis conflictatus eſt ærumnis, quibus penè oppreſſus eſſet. verum, emerſit aliquando, atque ad munus docendi, quo ſe abdicaverat, rediit. Itaque miſſus eſt Ravennam, ut ibidem alios ſui Ordinis, iis artibus erudiret, quibus ipſe longe multumque præſtaret. quas partes dum ſtrenue agit, in comitiis ſuæ congregationis, ab iis, penes quos eſt eligendi poteſtas, Abbas, titulo tenus, eligi-

tur ; qui honor non ita multis defertur: quorum ordo, quamvis nomine magis quam imperio, locum inter Abbates obtineat, tamen honorificus inter ſuos habetur, ac multarum rerum immunitatem habet, qua perfruuntur ii, quos Doctores ſive Magiſtros beneficiarios vocant. Ea tempeſtate Bonifacius Cardinalis Cajetanus provinciam Æmiliam, Legati imperio, obtinebat ; cujus imperii ſedes, ut ceterorum Legatorum, erat Ravennæ. qui Petri ingenio ac moribus, prout ipſe amabat literas, eatenus delectatus eſt, ut eum ſibi domeſticum & familiarem adoptaverit, ut ſecum domum, quo properabat, adduceret, ejuſque opera iis in rebus uteretur, quæ Theologi partes efflagitarent. Egreſſus Ravenna, ac Romam petens, voluit facere iter per Etruriam, contra amicorum omnium ſententiam ; qui, quaſi præſagiret illis animus, id ei incommodum eventurum iter, omnes uno ore erant auctores, ut Etruriam fugeret, & ſuos videndi ſalutandiq; cogitationem ſaluti ſuæ poſtponeret. ſed vicit amor ſuorum ac patriæ, & in pagum S. Romani ſe contulit. nec vero aliter atque prædicta fuerat, res illi evenit : nam vix è patriæ finibus foras pedem extulit, cum in itinere diem obiit ſupremum ; neque abfuit ſuſpicio, eundem fuiſſe veneno ſublatum, in albis aliquot ex ſaccaro orbiculis accepto, ab eiſque tradito, quos non ſolum nulla privatim læſerat injuria, ſed inſuper multis magniſque beneficiis affecerat in magiſtratu quem geſſerat, & quorum cauſa eam in ſe malorum vim, qua penè fuerat oppreſſus, attraxerat. Itaque, vix major annis quinquaginta, arbor illa, dum maxime ad omnium virtutum laudes efflorеſceret, & maximi ex ea fructus expectarentur, iniquorum hominum ſcelere, ſi vera eſt fama, reciſa, exaruit.

XVI. ANTONIVS BVCCAPADVLIVS.

SI Romanis hominibus, in ſua civitate, ubi ſita eſt Sarx veræ germanæque religionis, ubi Latini ritus majeſtas, tanquam in ſuo regno, ſedem ac domicilium habet, laudi daretur, quod Latine, pure, dilucide, eleganterque loquerentur ac ſcriberent, ſi munera illa, qua

elo

eloquentis cujuſpiam hominis requirunt induſtriam, iis deferrentur, qui eloquentia cæteris anteſtarent; quis dubitat, quin multi ſemper exiſterent, qui cum veteribus ſcriptoribus cõferri dicendi gloria poſſent? Verum, cum videamus, nihil fere iis eſſe contemtius, qui totos ſe in hoc ſtudiorum genere collocarunt, ut etiam, contumeliæ cauſa, pædagogi nomine afficiantur; cum in eorum honores ac præmia ii cernantur invadere, qui nondum, ne ſuſpicione quidem, aſſequi potuerunt, quænam ſit ratio puri, dilucidi, Latinique ſermonis, immo qui vix primoribus labris guſtarunt Latinæ Grammatices, ſtudia, & extremis, ut dicitur, digitis attigerunt, cumque, ut ea, quæ ſcriberent, & caſibus, & temporibus, & genere, & numero conſervent, multis egeant pædagogis: quid mirum, ſi Romanorum hominum, quod ad eloquentiæ laudem attinet, ſpes infringatur, & langueſcat induſtria? *Honos*, inquit ille, *alit artes, omneſque incendimur ad ſtudia, gloria; jacentque ea ſemper quæ apud quoſque improbantur.* Quod ſi noſtra ætate unus aut alter homo Romanus, Latine ſcribendi laude perſpicuus, eo eſt in loco conſpectus, qui huic præſertim arti ſtudioque debetur, hic non tam ſui artificii meritis, quaſi viribus, ad eum pervenit, quam potentioris cujuſpiam auctoritate & gratia, quæ ad honores, etiam eos, qui induſtriæ debentur, conſequendos plurimum valet, tanquam machinatione aliqua, eſt ad eumdem attractus. Sylvium Antonianum in Vrbe natum Clemens VIII, magis recte ſcribendi laude & celeritate, qua ſuperior erat cæteris, quam longo cum ipſo amicitiæ & conſuetudinis uſu, ad Latinas literas ſcribendas adhibuit: ſimiliter Gregorius XIII, hanc eandem provinciam Antonio Buccapadulio demandavit, amicitia, quæ cum ipſo intercedebat, impulſus. Atque hic Antonius, ab origine ultima, ſtirpis Romanæ, nobili inter ſuos ortus eſt loco (etenim Buccapadu-liorum familia, non in poſtremis Vrbis Romæ numeratur) patre uſus eſt diligente in ipſo erudiendo, eoque magis, quod ille ſummam in puero ingenii docilitatem, & in percipiendis iis, quæ tradebantur, celeritatem, agnoſcebat: cujus ingenii magnitudinis erant in-

dicio quidam eloquentiæ quasi igniculi, qui in eo, etiam tum puero, elucebant. ut enim, quemadmodum probe inquit Cicero, hominis decus, ingenium, sic ingenii ipsius lumen est eloquentia: ad quam cum se à natura ferri sentiret, simul ac doctrinis illis, quibus puerilis ætas impertiri solet, eruditus, excessit ex ephebis, cum sibi eloquentiam, quasi sponsam despondisset, noluit eam indotatam habere, sed ad magistros Philosophiæ ac Theologiæ se contulit, ut eam, ab iis, sponsæ, quam sibi delegerat, dotem arcesceret. à quibus, satis habuit, earum scientiarum fontes & capita noscere; ut inde postea hauriret tantum, quantum esset necesse ad suam eloquentiam ornandam instruendamque. quæ eloquentia, cum à parvis initiis orta, maturitatem suam adepta esset, non eam ille domesticis parietibus inclusam aluit, sed foras eduxit, ac sæpe multis audientibus, quanta ea esset, aperuit. Sed cito intervenit Gregorius XIII, qui illum, ab omnibus aliis exercitationibus abductum, ad conficiendas Pontificias epistolas, quibus Brevium est nomen, adduxit; quarum concinnator, Secretarii domestici nomine, insignitur. Ad quas scribendas, tantam primum eloquentiam attulit, quantam nemo alius ante ipsum, qui in eodem munere versatus sit; tum magnum sacrarum literarum usum, quarum verba atque sententias, ita scite in suis epistolis illigabat, ita apte iis locis, quibus opus erat, includebat, ut eæ ad illam rem natæ viderentur; tum, singularem prudentiam, qua nullum in illis verbum collocabat, nullum dictum ex ipsius dictantis ore exibat, quod jure reprehendi posset; postremo, illud orationis genus adhibebat, quod Pontificiam majestatem, eorumque, ad quos literæ dabantur, conditionem ac dignitatem deceret. nec fuit illi magnopere desiderandum in eo munere, ut insignis aliqua ingenii prudentiæque sibi suæ declarandæ occasio atque materia objiceretur. nam Gregorio Pontifice, qui tredecim annis Ecclesiæ navis in puppi sedens, ejusque gubernacula retinens, è multis eam scopulis auctoritate sapientiaque eripuit, multæ ac graves sese dederunt: ut, cum magnus militiæ Hierosolymitanæ Magister, pluribus maximisque criminibus accu-

accuſatus, Romam fuit evocandus, ut cauſam diceret: qua de re, multa ad Reges, ad Reſpub. ad Dynaſtas, brevia ſcribenda ac mittenda fuerunt: quæ ego, Marcelli Veſtrii opera, ex Sedis Apoſtolicæ tabulariis acceptа, ita legi, ut neminem unquam de rebus, ad ſummam Reipub. ſpectantibus, ſcribentem, magis ſim admiratus. qui magnus Magiſter, me puerulo, utpote non amplius quinque annos nato, Romam venit, regali prorſus apparatu, ab Hippolyto Card. Eſtenſi hoſpitio exceptus; apud quem etiam, ſive ægritudine, ſive alia vi morbi oppreſſus, vivendi finem fecit, atque delatus eſt in Ædem D. Ludovici, nationis Gallicanæ, ea funeris pompa magnificentiaque, qua nulla poſtea Romæ major neque amplior eſt viſa: nam, quantum ineuntis illius ætatis retinere memoria valuit, quantumque meminiſſe poſſum, præter omnes Laicorum Sodalitates, præter omnes religioſorum Ordinum è mendicato victitantium familias, præter Sacerdotes, ſuperpelliciis indutos, quorum incredibilis erat numerus, longus atratis in equis ſedentium ordo conſpiciebatur, quorum partim tubis diſſonis atque diſcordibus, ac luctum maxime præferentibus, canebant, alii longiſſima ex ſerico vexilla trahebant; hos ſubſequebantur, non minus multi pedites atrati, qui tympana, fractum ac diſcordem ſonum edentia, pulſabant; plerique vexilla item alia ex ſerico poſt ſe trahentes, lugubrem oculis afferebant aſpectum: & quoniam eo die lutulentæ erant ac corruptæ itineribus viæ, erat mihi ægre, ut puero, tantam vim ſericæ veſtis infici, lutoque corrumpi: accedebant deinde, ſi recte memini, omnes illi Hieroſolymitani equites, qui Magiſtrum ſuum ac ducem, honoris officiique gratia, Romam comitati fuerant, quorum non parvus erat numerus, longis ſyrmatibus, quacunque incedebant, humum, infectam cœno, verrebant: funalium vero, quæ defuncti lectum, auro tectum, hac illac complectebantur, ea vis erat, ut viæ, quibus funeris pompæ iter erat, non collucere ſed ardere viderentur. Sed quid fruſtra tempus in his rebus referendis conterimus, quæ nihil ad rem, de qua agimus, pertinent? Redeo ad Antonium, cui, Gregorio extincto, Sixtus V, qui illi

in Pontificatu ſucceſſerat, ſcribendarum epiſtolarū munus, quod tanta eloquentiæ fidelitatiſque cum laude obeundo adminiſtraverat, abrogavit, ac Thomæ Gualterutio, qui omnium Brevium conſcribendorū provinciam acquiſierat, mandavit; homini elato, ac pertinaciter ſuo juri ſententiæq; addicto, cujus eorum, quæ diceret (nam ſæpius eum in Sodalitiis verba facientem audivi,) quamvis admodum attenderem, quæque ſcriberet, nunquam potui quidquam intelligere; ita confuſa erat oratio, ita perturbata, nihil ut eſſet primum, nihil ſecundum. Sed hic non diu lactare ſe potuit; etenim, non ita multo poſt gravi in crimine, quo Pontificis ſummi majeſtas lædebatur, deprehenſus, pœnas legibus dedit, ac tum munere, tum pecuniis, quibus illud comparaverat, quæ erant magnæ, everſus perivit; & in ejus locum ſubrogatus eſt Io. Baptiſta Canobius. Sed Sixto morte ſublato, rurſus Antonius à Gregorio XIIII eſt revocatus in curſum, ac tenuit locum, unde fuerat depulſus, fere tamdiu quam vixit. Fuit etiam Baſilicæ Apoſtolorum principis Canonicus; eique muneri aſſiduitate ac diligentia, quoties per occupationes publicas licebat, non defuit: præterea moribus integerrimis atque mitiſſimis.

XVII. IOANNES BARCLAIVS.

VRbs Roma, domicilium quondam Imperii, eloquentiæ atque omnium bonarum artium ſedes, ac totius miraculum orbis, cum, frequentibus barbararum nationum in Italiam incurſionibus, non ſemel, ſed ſæpe diruta atque vaſtata, non ſolum, præſtantiſſimam pulcherrimamque, qua miraculo erat omnibus, faciem, majeſtatem imperii, liberam ſui aliorumque regendorum poteſtatem, amiſiſſet, verum etiam (ô rerum humanarum inconſtantiam!) elegantium diſciplinarum ſtudia, eloquentiæque laudem abjeciſſet, qua primum unâ Romani, omnium gentium victores, à victa Græcia, ſuperabantur; deinde, ſummorum illius oratorum, Periclis, Æſchinis, Demoſthenis, dicendi gloriam, M. Antonii, Lucii Craſſi, Q. Hortenſii, Marci

Cice-

Ciceronis virtute, ſi non ſuperarunt, certe adæquarunt, Latinum quoque ſermonem, in quo formando expoliendoque tot doctiſſimorum virorum ætates videmus fuiſſe contritas, oblivioni mandavit, atque alia lingua, ex multarum colluvione linguarum conflata, loqui cœpit. qui ſermo Latinus, quaſi fato ſuo functus, in ipſis Vrbis ruinis, ut ita dicam, ſepultus per multa ſecula jacuit: ſed conati ſunt primum, tanquam ab inferis mortuum, excitare, Dantes Aldigherius, Ioannes Boccatius, Franciſcus Petrarcha; nec infelici ſucceſſu. ſed ii poſtea, mutato conſilio, maluerunt eam linguam, in qua nati erant, quamque una cum lacte nutricis ſuxerant, vocibus augere, figuris dicendi ornare, & ad perfectionem abſolutionemque perducere, quam in ea lingua, ex veterum ſcriptorum libris, quos bellorum calamitas reliquos feciſſet, tanquam ab Orco revocanda, operam perdere; in qua colenda, & naturali illius puritate nitoreque perſequendo, bene cum illo agatur, qui cuipiam ex veteribus ſcriptoribus proximus, ſed longo intervallo tamen proximus, acceſſerit. deinde venit illis in mentem, quod Horatius, de ſe ipſe ac de iis, qui Græcos verſiculos facerent, inquit, non minus eos inſanire, qui magnas Græcorum mallent implere catervas, quam qui in ſilvã ligna ferant; his nunc ſimiles eos eſſe ex noſtris, qui, cum ad ſcribendum ſe conferunt, malunt Latinorum ſcriptorum, quorum magnus eſt numerus, quam ſuorum cumulum augere. itaque illi, ingenio judicioque, quo præſtabant, tum ſoluta oratione, tum verſibus, vernaculum ipſorum ſermonem, ejus principes copiæ atque inventores, eo perduxerunt, quo nemo adhuc potuit pervenire, ac ne fortaſſe quidem perveniet, quamvis egregii complures tum poëtæ tum oratores exiterint. Latuerunt deinde, poſt hos Latinæ litteræ non paucos annos; ſed rurſus Nicolao V Pont. à nobiliſſimis ingeniis excitatæ revixerunt. his alii ſucceſſerunt, uſque ad noſtram ætatem; neque unquam Latio Latinus ſcriptor egregius aliquis defuit; ſed tam pauci ex noſtris huic ſtudio operam ſuam dederunt, ſive quia magni laboris res ſit, ſive quia nullus illi honor habeatur; ut in illud, tanquam in poſſeſſionem nudam ac va-

cuam, exteræ nationes invaſerint; ac fere omnes, qui dediti literis ſunt, de ea re, quam tractant, copioſe eleganterque perſcribant; neque quicquam illis deeſſe video præter unum, quod non eſt eorum, urbanitate quadam quaſi colorata, oratio. Duos tamen excipio oratores externos, Petrum Ioannem Perpinianum Hiſpanum, & M. Antonium Muretum Gallum; quorum in orationibus recinit quiddam & reſonat adeo urbanum, ut in Romana civitate nati, non autem in eam aſciti, videantur. In iis, qui extra Vrbem Romam, atque adeo extra Italiam, Latinis literis ſtudium ſuum dederunt, Ioan. Barclajus numeratur; cujus ego legi Argenidem, & partem etiam Euphormionis deguſtavi tum, cum nondum lata lex erat, ne bibliopolæ cuipiam liceret eum vendere, aut cuiquam domi habere ac legere. de cujus operis ſtylo, operæ pretium eſt agnoſcere, quid ſcribat auctor anonymus; qui quanquam nomen ſuum & patriam non indicet, tamen peregrinum eum eſſe apparet. ita enim ait: *Latinitas quoque ipſa Romanas aures peregrinitate radit, & veteris puritatis ſapore imbutum palatum offendit.* vere an ſecus id ſit Barclajo ab illo, qui ſe ejus amiciſſimum profitetur, objectum, non eſt meum ſtatuere, ſed eorum judicio relinquo, qui diutius ac diligentius ſint in ejus ſcriptis, quam ego, verſati. Verum ille patre natus eſt Guillelmo Iuriſconſulto, Scoto, ex vetere ac nobili in Scotia Barclajorum familia, ſed non ita multis ante annis, ſive fortunæ, ſive hominum vitio, ex florentiſſimis rebus ad ſummas rei familiaris anguſtias prope redacta. At Guillelmus, cum videret, non poſſe ſe honeſte in patria vivere, aliam urbem, aliam civitatem perſequi ſtatuit; atque in Galliam venit, ut ibi liberali aliquo artificio ætatem ſuam tueretur. Erat tum annos natus triginta; ac vix tantum literarum attigerat, quantum prima illa puerili inſtitutione potuerat. nam totam adoleſcentiam, ac primos florentis ætatis annos, in aula Regis Scotiæ, inanibus aulicorum officiis ediſcendis perſequendiſque, contriverat. Avarici igitur Biturigum, in celebri illo Gymnaſio, cum vellet facultatem aliquam addiſcere, quæ ejus cultori fructuoſa eſſet; ad juriſprudentiam animum adje-

adjecit, atque Iacobo Cujacio, cui tum primæ in Gallia ejus facultatis, quam profitebatur, deferebantur, operam ſummo ſtudio ac diligentia dedit. Nec ſui eum laboris induſtriæque pœnituit: etenim, Cujacio ipſo judice, tantos in Iure civili progreſſus fecerat, ut ab eodem Iuris civilis publice quovis in Gymnaſio interpretandi poteſtatem acceperit. Ex diſcipulo igitur magiſter effectus, P. Edmundi Hayi, Societatis Ieſu, illius avunculi, opera, qui tum plurimum auctoritate & gratia valebat, impetravit, ut in Muſſipontana Academia, quam Dux Lotharingiæ, tanquam mercatum bonarum artium, aperuerat, eam diſciplinam aliis traderet, quam à Cujacio, ſummo doctore, acceperat; hoc eſt, ut Ius civile doceret. Ibidem eſt illi res, uxor, liberi inventi, Ioannes nimirum Barclajus, qui nunc nobis eſt propoſitus: hunc enim ſolum ſua ex uxore accepit; qui, ſimul ac ætas diſciplinæ patiens fuit, à parentibus, Patribus Soc. Ieſu erudiendus eſt traditus. qui Patres, cum in puero ſummam ingenii docilitatem, qua celeriter acciperet quæ tradebantur, aſpicerent, eumque longius æqualibus omnibus præcurrere animadverterent, illi utpote, quos fama eſt optimorum ingeniorum aucupium facere, (quod nec piorum, & intelligentum quiſquam vitio ipſis vertit,) ſummam dederunt operam, ut in ſuo eum numero haberent: atque adeo concinnaverant aream, adeo quaſi cibum offuderant, ut nihil propius ſit factum, quam ut eum caperent. & ſane cepiſſent, niſi parentes, qui rem fuerant odorati, quibus ille erat unice unicus, obſtitiſſent, atque aucupum conſilia diſturbaſſent; diſcedentes denique una cum filio jam grandiore; commodùm, cum Rex Scotiæ Iacobus, Regni Angliæ, quod hæreditario ad ipſum jure pervenerat, poſſeſſionem eſſet adeptus. Itaque in Angliam ſe contulerunt: magna enim in ſpe erant, novi Regis adventu, Catholicam Religionem omnibus illic malis atque periculis, quibus exagitata fuerat, fuiſſe perfunctam, ſimulque apud Regem illum, & ipſum non ineruditum, locum bonis artibus fore. neque, ad bonas artes quod attinet, Guillelmus eſt opinione ſua deceptus. eſt enim honorifice à Rege exceptus, & ad Conſiliarii dignitatem

tem magnis ſtipendiis vocatus : ſed ad religionis incolumitatem quod attinet, ad ſpem inanem ſe fuiſſe devolutum ſenſit. quam poſtquam in dies magis magiſque extenuari atque evaneſcere videt, quia erat avitæ religionis retinentiſſimus, maluit, quæ à Rege offerebantur, repudiare, quam vel in minimam ſuſpicionem religionis deſertæ venire: ac ſtatuit, inde, quantum poteſt, ſeſe ſurripere. Annum tum agebat Ioannes decimum ſeptimum, cum de Regis inauguratione elegantiſſimum carmen edidit, maximo verborum ſententiarumque ſplendore illuminatum : quod lectum Rex adeo probavit, ut ſumma ope à parente contenderit, filium ſecum ne abduceret, ſed apud ſe eum eſſe pateretur ; quem conſtituerat opibus & honoribus locupletare atque augere. at pater, metuens, ne filius, ut ſunt adoleſcentum animi molles, & ætate fluxi, dolis caperetur, & à veræ religionis cultu abduceretur ; reduxit eum in Galliam, ut ibidem tantiſper cum ipſo maneret, quoad catholica fides altiores in ejus animo radices ageret, quam ut ulla vi labefactari convellique poſſet, ut eum poſtea optimis doctrinis adverſus improborum impetus vallatum munitumque, ad Regem remitteret, qui collapſæ familiæ decus inſtauraret, ac majorum ſuorum loco reſtitueret. Sed Pariſiis, dum ſecundus aliquis fortunæ flatus oſtenderetur, quo vela daret, expectans, ab Andibus, optimis conditionibus evocatur, ut in ipſorum Gymnaſio primariam Iuris civilis cathedram obtineret. ubi cum jam quinquennium docuiſſet, eſt mortuus. At Ioannes filius, noluit præſtantiſſimum ingenium, mitioribus Muſis aptum, ad Iurisprudentiæ ſtudia conferre ; quæ cum ſpinoſiora, atque ab omni fere delectatione magis vacua, quam cogitaverat, eſſe comperiſſet, convertit ſe ad ſatyram, Petronii Arbitri exemplo, ſcribendam ; urbi & principum omnium aulas, quas partim ipſe vidiſſet, ut Gallicam, Anglicam, Belgicam, Lotharingicam, partim ab aliis commemorari audiviſſet, ut Romanam, Hiſpanam, Cæſarianam, earumque vitioſos aulicorum mores, eleganti ſane ſtylo, perſtrinxit : tum, magna ſpe imbutus, profectus eſt in Angliam ad Regem, quo eum parens,

ſed

ſed natu grandiorem, deſtinaverat. à quo exceptus eſt humaniſſime, brevique in intimam ipſius familiaritatem perductus, quod jam pridem eam, quam in adoleſcentulo ingenii virtutiſque aſpexerat indolem, adamaſſet; atque ab epiſtolis, & conſiliorum omnium participem, habuit. Vtrum autem, apud Regem, incorruptam catholicam religionem ſemper conſervaverit, vel ſaltem, ſi non animo, ſpecie tenus hæreticorum ſe erroribus oblinierit, incertum eſt mihi: illud autem certum, catholicorum omnium in Anglia fuiſſe opinionem, Regem illum in eo libro, cui titulus eſt, *Funiculus triplex, & cuniculus triplex*, componendo, uſum fuiſſe Barclajo adjutore atque magiſtro: nam Rex, quamvis literas adamaret, vix leviter illis tinctus exiſtimabatur; aliquam tamen de ſe literati viri opinionem faciebat, quod eruditorum ingeniis delectaretur, iiſque faveret. Ibi Barclajus, ex uxore, quam habebat, maſculam prolem ſuſcepit. Sed aliquanto poſt, ſive eum deſertæ veræ religionis, ſi tamen eam deſeruit, pœnitentia ſubierit, ſive Card. Bellarminus, qui Regis libro reſpondit, quemque illius dicta firmiſſimis, validiſſimiſque rationibus convellere ac labefactare videbat, de falſa quam imbiberat opinione dejecerit, rectum ad ingenium rediit, & clam ex Anglia, una cum uxore & filio, ſe fuga ſurripuit, ac Romam venit, ubi cum pro eo quod ex Euphormione, quem ediderat, celebratum ejus nomen eſſet, eſt ab omnibus humaniter exceptus, & à Paulo V, qui tum Romanam Eccleſiam Pontifex adminiſtrabat, bonis omnibus, quibus ſponte ſe exuerat, amiſſis, in victu, veſtitu, ac ceteris omnibus ad vitam neceſſariis, magnifice ac liberaliter habitus. In cujus etiam gratiam, atque ut oſtenderet, vere & ex animo, non autem per ſimulationem aliquam pietatis errores quos falſa opinione imbutus ac ſua privatus imbiberat, ejeciſſe; librum adverſus ſectarios docte eruditeque conſcripſit, & in lucem edidit. Eadem ingenii fœcunditate peperit egregium illud opus, Argenida nomine, quod & argumenti novitate & verborum ſplendore, ac rerum varietate, tantum commendationis habuit, ut mulierum etiam quæ illud miris in cœlum laudibus

dibus efferri audiebant, ad cognoſcendum, quid illud afferret, ſtudia commoverit; adeo ut quidam quo animum illis expleret, in Italicum ſermonem illud converterit. Per idem tempus contigit, ut M. Antonius de Dominis, Archiepiſcopus Spalatenſis, relicta Catholicorum militia, in Angliam ad hæreticorum caſtra confugeret, ſive ſtomacho & iracundia vehementius adverſus quoſdam elatus, (hanc enim cauſam ſui dementiſſimi conſilii & facti afferebat; tanquam ſi aliqua cauſa juſta cuiquam eſſe poſſit, contra fidem arma capiendi;) ſive vitio depravatæ mentis, ſive, ut omnium tum erat opinio, ambitionis avaritiæque ſtudio, quod ſibi perſuaſiſſet, ſe primas apud Regem illum partes in adminiſtranda Repub. habiturum. At Barclajus, qui & regionis illius mores & Regis conſuetudinem noſſet, egregio ſcripto, quod ego, ob ejus elegantiam atque prudentiam, mea manu deſcripſi, edicit, quemnam illa ejus profectio & fuga exitum eſſet habitura. neque ſecus evenit, atque prædixerat: nam, cum Archiepiſcopus ſua ſe opinione ac ſpe deceptum intelligeret; coactus eſt Romam venire, ibique palinodiam canere, libello edito, in quo errores ſuos, qui fuerant penè innumerabiles, deteſtabatur. id quod egomet vidi: namque in foribus Sacelli Pontificii, ſua manu, Cardinalibus diſtribuit, quum Sacro abſoluto diſcederent; adeo perfricta fronte, ut ſi in Palæſtinam ad loca illa religioſiſſima, Chriſti veſtigiis impreſſa, perluſtranda, non autem in Angliam ad bellum Catholicis inferendum, profectus fuiſſet. Ex eo tamen libello licet intelligere, quantum vir ille, ingenio, eruditione, & eloquentia, qua præſtabat, proficere potuiſſet, ſi iis armis ſalutariter, ad tuendam, non autem ad oppugnandam orthodoxam fidem, uti voluiſſet. Sed non diu factum eſt, poſtquam ille Catholicæ Eccleſiæ reſtitutus fuit, cum ſigna aliquot dedit, quæ eſſent indicio, non illum veritatis amore, ſed temporis gratia, hæreſin abjuraſſe. etenim multa dixit & ſcripſit, quæ improbum ejus animum, ab illis integumentis diſſimulationis evolutum, oſtenderent. deinde manifeſto deprehenſum eſt, eundem, convaſatis rebus omnibus, fugam ornare, ut rurſus ſe in hoſtium caſtra reci-

reciperet. quamobrem comprehensus, fidei quæsitorum jussu, conjectus est in carcerem, ut ibi de eo legibus fieret judicium. sed, antequam damnatus traderetur iis judicibus, quibus ad supplicium à Quæsitoribus fidei publice, ut relapsi, tradi solent, ex ægritudine, quum ea, quæ cogitasset, fœda sibi atque aspera evenirent, conjectus est in morbum, quo celeriter occidit. Defuncti corpus depositum est, testibus præsentibus, apud Ædem sanctorum duodecim Apostolorum, ut ibi esset, quoad definitum aliter foret. summa denique hæc fuit, ut anno cIↃ IↃc xxv, qui erat annus jubilei, feriis sancto Spiritui sacris atque solemnibus, quo die insignes quidam sacrilegi, ac desertores religionis, hæresios damnati, in Ædem B. Mariæ Virginis supra Minervam, dedecoris ignominiæque causa, adducebantur, ut populo Romano spectaculo essent; eodem, inquam, die, illius cadaver, in eadem arca, in qua conditum fuerat, deportaretur, atque à lectore, qui fuerat excitatus, pronunciatis magna voce capitibus hæresum, quibus priùs ille se obliniverat, ac deinde rursus inquinaverat, continuo deferretur in forum, cui Campo Floræ nomen est, ibique igne cremaretur. Sed ut ad Barclajum, à quo paululum aberravit, revertatur oratio, Romæ novam ex uxore sua masculam prolem accepit, ac cive uno Vrbem nostram auxit. quem cum sacro Baptismatis fonte abluendum curaret, Maphæum Barberinum Card. patrinum, seu ut olim loquebantur, patronum ac sponsorem adhibuit, quicum, similitudine studiorum ac voluntatum, magnus illi amicitiæ usus consuetudoque intercedebat; qui deinde, ad Deo proximum, in terris, dignitatis locum evectus, Vrbani VIII nomine, non modicæ illi utilitati & commodo fuit: nam & divitias & opes ac gratiam contulit, filiumq; ejus majorem natu, & pingui sacerdotio locupletavit, & honorarii intimi cubicularii titulo cohonestavit. Ædes, dum vixit, habuit mercede conductas, Vaticano proximas, quibus erat hortus adjunctus, quem lectissimis floribus conseverat; iis, inquam, floribus potissimum, qui non ex seminibus, vel radicibus, sed ex varii generis bulbis oriuntur; quæ florum genera, annis abhinc triginta, à notitia

titia hominum aberant, nec fuerant Romæ conſpecta, ſed in ſummis Alpibus ſine aliquo honore cultuque jacebant, præter hyacinthos & narciſſos, è quibus grati ſuaveſque odores afflantur, ceteri verò, ſpecie tantum ac colore, nulla fere odoris ſuavitate, commendantur. ex Alpibus igitur in Vrbem allati, ob novitatem, tantum illis ab hominum cupiditate, precium ſtatim acceſſit, ut bulbi eorum quidam, ſinguli, centenis & eo amplius nummis venierint: ſed deinde, cum, humi poſiti, eam magnam ex ſe ſobolem procreaſſent, jam ut nihil illis fœcundius inveniatur, illorum pretia, quæ ita in altum aſcenderant, ſic conciderunt, ut nullorum fere florum plantarumque ſit vilior annona. Itaque horum florum Barclajus ſtudioſiſſimus cum eſſet, eorumque bulbos ingenti pretio coemiſſet, accidit, ut nocte quadam ad unum omnes fuerint eruti atque ſubrepti, ab operis, ut ipſius opinio ferebat, quas pridie ejus diei, ad eos conſerendos, ipſe conduxerat. neque longius à ſimilitudine veri abibat: illi enim probe noverant, quo unumquemque illorum loco ſeviſſent, & ſigna ac notas locorum, memoriæ mandaverant, quibus cognitis, ſibi ipſi foderent, & id quod vellent, parvulo labore, nullo errore invenirent. Illud quidem admirabilitatem maximam facit, quod, cum fures illi ſe per maceriem in hortum demitterent, non fuerint animadverſi à duobus moloſſis, quos ibi in præſidio collocatos habebat: jam ut fiat mihi credibile, id quod ſæpius audieram, nec ullo modo fieri poſſe exiſtimabam, fures nocturnos, cum clam domum cujuſpiam, furandi cauſa, ſe inferunt, canibus, ſi qui ſunt ibi, veneficiis atque cantionibus, vocem, ne latratum edere poſſint, eripere. Denique, vir optimus, dignus qui diutius viveret, vel potius qui nunquam moreretur, lethali morbo correptus, munus illud implevit, quod neceſſe eſt omnibus exequi; videlicet mortem obivit, atque honeſto funere delatus eſt in templum S. Honuphrii, in colle Ianiculi, quo ſæpe, dum viveret, aëris amœnitatem ſalubritatemque ſecutus, ſe conferebat. at hæres ſepulcrum illi, in Æde religioſiſſima S. Laurentii, via Tiburtina, ad dexteram oſtii cæmeterii, è marmore faciendum curaverat, eique imaginem

ginem parentis, usque ad pectus, item è marmore scite factam, apposuerat. quod sepulcrum, omni ex parte, par atque simile erat alteri ad lævam ejusdem ostii, quod Card. Franciscus Barberinus, Bernardo Gulielmo, magistro suo, excitaverat cum illius imagine usque ad pectus item è marmore. quod uxor Barclaji, mulier tumido, ut ajebant, animo atque elato, cum vidisset, statim viri sui imaginem ex sepulcro illo, quod totum demoliri non posset, detrahi jussit ac domum suam afferri; quod acciperet indigne, eum, cui ipsa nupta fuisset, generis splendore clarum, sed ingenii & eruditionis fama clariorem, cum homine obscuro, ac nullius fere ingenii, &, ut ipsa dicebat, pædagogo, componi.

XVIII. PAVLVS ÆMILIVS SANCTORIVS.

REcte sane atque prudenter Isocrates, doctor singularis, cujus domus habita est quædam quasi officina totius Græciæ, eorum, qui se in disciplinam ipsi tradebant, inspiciebat diligenter ingenia, eaque ad id, ad quod erant apta, compellebat, neque sinebat, in eo operam perdere, in quo plane abhorrerent, & essent absurdi. quod cum feciſset, conformabat perficiebatque in unoquoque, quod illius natura pateretur. quamobrem Demosthenem, quem unum, divinitate quadam ingenii præditum, præ ceteris ad dicendum à natura factum videbat, ad causas agendas, atque ad populum concionibus tenendum. impulit, instruxit, armavit. itidem, cum Ephorum & Theopompum, quorum primum, quod verborum licentia, tanquam equulus, qui liberius evagetur, exultaret, frenis coërcebat, alterum vero, quod verecundaretur ac cunctaretur, calcaribus adhibitis, celerioribus ingenii motibus uti cogebat, quia eos melius historiam scribere, quam orare causas posse, intelligebat, præceptis ad illud scriptionis genus quam maxime necessariis erudivit, in eisque in primis exercuit. Qua igitur tempestate Gymnasium Romanum Soc. Iesu, & magistrorum, Perpiniani videlicet, Maffeji, Tursellini, aliorumque nobilitate, ac discipulorum summi ingenii laude præstantium copia florebat, tres adole-

ſcentes, una ferme omnes ætate, in omnium literarum genere, ac præſertim in his humaniſſimis liberaliſſimiſque ſtudiis, ceteris clarius exſplendeſcebant, Bernardinus Stephonius, Iulius Cæſar Stella, & Paulus Æmilius Sanctorius. at non omnes omnibus in rebus, in pari laude, verſabantur, ſed in ſua quiſque arte erat alteri præſtantior. ac Stephonius vincebat ceteros carminum cujuſque generis conficiendorum celeritate, ut non eſſet alter, qui plures verſus, *ſtans pede in uno*, ut de Lucilio Horatius inquit, effunderet: Iulius Cæſar Stella, ad heroicum carmen à natura factus, conſiderata accurate diligenterque ſcribendi tarditate, promtam Stephonii in faciendis verſibus celeritatem ſuperabat: at Paulus Æmilius, ad ſcribendam hiſtoriam ſe à natura ferri compellique ſentiebat. Itaque ſummi illi, de quibus diximus, magiſtri id conformabant in illis, quod natura ipſorum pateretur; ac Stephonii in componendis varii generis poëmatis, exercebant induſtriam, & in primis dabant operam, ut recideret ſibi ille multa, quæ, ſicut in vitibus, ſeſe nimium profudiſſent, vel ut nitidius quædam currere elaboraret, quæ lutulentius effluerent. Stellam verò, qui limatius ſcribendi genus conſectabatur, à cohortatione ſua non deſerebant, eidemque auctores erant, ut argumentum aliquod heroici carminis ſibi deligeret, in quo magnificum illud atque ſublime locutionis poëticæ genus, quo præſtabat, expromeret, ac tota mente Virgilium atque omni animo intueretur. quod ille arripuit, & Columbi navigationem ac res geſtas, grandibus ac ſplendore ſententiarum illuſtribus explicare verſibus cœpit: ac nondum vigeſimum ætatis ſuæ expleverat annum, cum duos ejus operis libros edidit, tanta eruditorum omnium approbatione plauſuque, ut tum fuerit judicatum, non eſſe credibile, niſi iis qui ſuis ipſi oculis ſubjeciſſent, tantam vim facultatis, artiſque præſtantiam, in id ætatis hominem cadere poſſe; neque dubium cuiquam fuerit, ſi in ſuis ſtudiis manere, neque, ut poſtea fecit, ad inanes aulæ ambitiones animum traducere voluiſſet, quin propius quam ceteri, qui in eodem curriculo verſarentur, ad Virgilii gloriam acceſſurus fuiſſet. Poſtremo Paulus Æmilius Sanctorius, &

& magiſtrorum cohortationibus perſuaſus, & naturæ vi, à qua multa ad eam rem habuerat adjumenta, compulſus, omnem fere ſuam operam ac ſtudium ad ſcribendam hiſtoriam contulit, magna ingenii, eloquentiæ, elegantiæ, prudentiæque cum fama; quæ opinio adeo omnium fere animos, totó terrarum orbe, invaſerat, ut vulgo Hiſtoricus appellaretur. verum, ab ineunte ætate uſque ad exitum vitæ, nihil propemodum aliud egit, niſi ut ſui ævi res geſtas docta atque eleganti narratione complecteretur; quo tempore, etiamſi quindenos, ut de quodam ſcriptore hiſtoriarum dicitur, dies in ſingula periodo perficienda ac rotundanda triviſſet, facile illi fuiſſet, ab orbe terrarum condito uſque ad ſua tempora hiſtoriam contexere. nihil tamen apparuit, præter operis totius fragmenta quædam, in quibus vel locus, vel regio, vel pugna, vel ſimilis res aliqua graphice deſcripta continebatur. in quibus, quantum ego intelligere poſſum, maxime Cornelium Tacitum mihi videtur imitatus. nam, quemadmodum ille, preſſus verbis, creber eſt rerum frequentia. atque eo magis ab eo perfectum aliquod opus expectabatur, plenumque prudentiæ, quod non ille, ſcribendi cauſa, ſe in aliquam ſolitudinem, vel in religioſorum hominum caſtra abdidiſſet, ſed in aulæ luce verſatus, non minimam Reipub. partem accepiſſet, quod & Referendarii munere functus eſſet, & plures provincias adminiſtraſſet; quibus ex rebus & prudentia & rerum uſus, ſcribenti hiſtoriam neceſſarius, acquiritur. Atque ejus operis, in quo ipſe vehementer elaborare dicebatur, fama compulſus Paulus V, Pont. max. bonæ exiſtimationis in primis cupidus, opere magno petiiſſe ab eodem perhibetur, quidnam de ipſo ac de rebus à ſe Pontifice geſtis ſcripſiſſet; cui: Nihil, Pater ſancte, reſpondit, niſi quod cum veritate conſentiat; nam, quis neſcit, primam eſſe hiſtoriæ legem, ne quid falſi dicere audeat; deinde, ne quid veri non audeat? Sed magnam illi faciunt heredes ſui injuriam, ſi cum illud idem opus exædificaverit, parietum umbris occulunt, nec typis editum lucem aſpicere ſinunt. Erat homo vehemens, acer, imperioſus, adeo ut alumni Collegii Græcorum, qui ſub Cardinalis S. Severinæ, ejus

patrui, tutela patrocinioque latebant, ſint, volenti ingredi, ædium ſuarum fores coacti occludere, eo quod, patrui fiducia fretus, turbare ac permiſcere omnia vellet, ipſi verò imperia ejus pati nequirent. Erat, in odorandis deprehendendiſque aliorum hominum vitiis, acutus, in eiſque reprehendendis, cum aliquo maledicto facetus. Fuit, quoad vixit, Fabricio Card. Veroſpo intimus, vita ac moribus illi conſimilis. Poſtremo, pluribus in Repub. muneribus functus, ac Vrbini Archiepiſcopus factus, in eo honoris gradu vita deceſſit. Sanctarum Virginum vitas elegantiſſimo ſtylo ſcriptas, atque uno volumine comprehenſas, reliquit: ſanctorum etiam Apoſtolorum Petri & Pauli res geſtas, alio volumine, pari, cum ſuperiore, elegantia, cultu atque nitore, complexus eſt. quæ volumina, typis edita, ſatis indicant, quantum vir ille, egregius in primis, in hoc genere ſcriptionis, ut de eo erat fama, præſtiterit.

XIX. ALEXANDER STVFA.

PArens ac domina rerum omnium, natura, cum ad ceteras bonas artes, tum ad eas maxime, quæ ingenii facultate ac viribus conſtant, unumquemque creat atque ornat; adeo ut, ſi quiſpiam, ea invita ac repuguante, aliquid aggredi ac moliri conetur, operam ludat, &, quamvis toto vitæ ſuæ tempore in eo perſequendo elaboraverit, ejus, quod in ipſo virium, laboris, operæque conſumſerit, ſe poſtea pœniteat. Hinc te Horatius jubet, *ut nihil invita facias dicaſque Minerva.* Atque ex veteribus eloquentiæ magiſtris inventi ſunt aliqui, qui, cum mercede docerent, eos, quos minus ad eam rem aptos comperiſſent, non patiebantur apud ſe operam perdere, ſed ad id, quod facere poſſent, dimittebant. Verum cum in omnibus rebus, ut diximus, natura dominetur ac polleat, tum inprimis facetiæ illius ſunt propriæ, non ſolum illæ, quæ peracuto brevique aliquo dicto conſtant, verum etiam eæ, quæ æquabiliter in omni ſermone fuſæ ridentur. natura enim format ac ſingit narratores facetos. quamobrem, qui nulla ad eam rem adjumenta ab ea habeant, ſi ſe ad jocandum con-

conferant, nihil in eis, nisi eorum insulsitas, rideatur. Atque in utroque facetiarum genere, tum in eo, quod in perpetuitate sermonis, tum in eo quod in celeritate ac dicto est, elegans atque erudita Florentinorum natio præter ceteros, ut mihi videtur, excellit; de quorum hominum facetiis, aliquot etiam inscripti sunt libri. Florentinus erat Alexander Stufa, de quo referre instituimus; in quo egregia multa ac laude digna numerabantur. Genus, (erat enim summo inter suos loco natus,) divitiæ, ingenium ad omnes liberales artes factum, Iuris civilis, Philosophiæ rerumque divinarum scientia, multæ præterea elegantes in eo literæ, tum Latinæ tum Etruscæ; in utraque enim lingua scribebat, cum erat opus, soluta oratione ac versibus; quam scite eleganterque, affirmare non ausim, cum nunquam in ejus scripta inciderim: verum, multo magis in illo laudabatur acerrimum in notandis animadvertendisque eorum operum vitiis, quæ, sive typis impressa sive manu exarata, in vulgus exissent; simulque excellens ejusdem in lacessendo, vel in respondendo cum esset provocatus, acumen & promta celeritas. sed in utroque longius interdum progrediebatur, quam ratio præscriberet. etenim, in aliorum scriptis examinandis notandisque, sæpenumero non tam Aristarchi partes gerere, quam alterius laudi gloriæque invidentis speciem præferre videbatur. deinde in jaciendo mittendoque ridiculo, nullam se legem tenere existimabat, quæ jubet, ut habeamus hominum rationem & temporum, & ea quæ occurrant, cum salsissime dici possint, teneamus: at ille interdum ab æstu ingenii se longius abstrahi sinebat, neque hominum caritas erat illi propria laude antiquior; si tamen, esse quamvis ridiculum, est in magna laude ponendum. hoc uno excepto, quod in eo reprehenderes, non facile reperisses. erat enim optimis atque integerrimis moribus. Dum esset Florentiæ, perpetuas cum Andrea Salvadore, poëta, mea quidem sententia, lepidissimo venustissimoque, simultates gessit. itaque ejus versus acuto dente mordebat lacerabatque. Montis Politiani Episcopatum, sibi à Roberto Card. Vbaldino resignatum, obtinuit, & egregie ac fideliter

adminiſtravit. Sed, cum ætatis ad exitum decurrentis flexus, & Epiſcopalis dignitatis ratio, omnem ab ipſo jocorum facetiarumque rationem excluderet, ac ſummam morum vitæque gravitatem expoſceret, fiebat, longa conſuetudine uſuque impulſus, ut, quotieſcunque occurreret aliquod falſum & argutum quod poſſet dicere, facilius, ut inquit Ennius, flammam ore in ardente opprimeret, quam illud teneret. Verum, vir hic, quemadmodum natura uſus fuerat amica ac liberali, in tribuendis animi virtutibus, ita eandem expertus eſt parum amicam ac liberalem, quod ad corporis valetudinem attinet. nam corpus male ab ea conſtitutum habuit, ægrum, infirmum, & acerbiſſimis podagræ doloribus fere ſemper obnoxiũ, adeo ut pedibus ingredi vix poſſet, ſed aliorum auxilio, inter quorum manus deferretur, egeret. quo factum eſt, ut celerius, quam ætas illius, nondum morti matura, poſtularet, vitæ munus impleret.

XX. FRANCISCVS HERRERA.

NObilis urbs Liguriæ Savona, & ſitus amœnitate & maris opportunitate & aëris ſalubritate, tum civium opibus, nobilitate, divitiiſque, toto terrarum orbe notiſſima, tanquam ager fertilis, plures ſemper ex ſe, præſtanti virtute viros, eduxit. Mitto Pontifices max. Xiſtum IV, & Iulium II, de cujus magnitudine animi, rebus geſtis prudentia, deque ejus in Italiam ac Sedem Apoſtolicam, cujus imperium mire auxit, amore, nulla unquam ætas conticeſcet. Mitto S. R. E. Cardinales, vitæ amplitudine ac dignitate clariſſimos, in his Raphaëlem Riarium, qui princeps omnium, iis Romam ædibus exornavit, quæ urbis inſtar habere videntur, quibuſque, & molis magnitudine & operis præſtantia, neque ampliores nec pulcriores ullæ viſuntur; in quo ea Romanæ aulæ dignitas ac decus extitiſſe narratur, quod nemo deinceps exæquare potuerit. Mitto, inquam, hos omnes; non enim, ut ſæpius teſtati ſumus, conſilium eſt, ſingulos, quos quævis virtutis cujuſpiam laus in cælum extulit, referre. ſed eos tantum, quos ingenii

genii vel literarum fama, dignos, qui omnis posteritatis memoriæ tradantur, effecit. cujus generis tam multos edidit, qui non solum patriæ, ut Liguriæ, verum etiam Italiæ, atque adeo universæ Reipub. Christianæ, ornamento fuerunt, ut non videam, cui illa urbi debeat cedere. Diximus antea de Gabriele Chiabrera, qui princeps ex omnibus Pindarici carminis, Italis penè olim ignoti, amœnitatem, flores, ac veneres, in Etruscam linguam feliciter transtulit. diximus de Io. Stephano de Syris, Episcopo Sagonæ in Regno Corsicæ, cui mors immatura ampliſſimos honores & ingenii augendi declarandique facultatem eripuit. At nunc Franciscus Herrera, in eadem urbe natus, objicitur; patre Ioanne Herrera, natione Hispano, & matre Paola Ferrera Savonensi, nobili muliere. Hic annos natus non amplius novem, profectus est Romam cum patre; qui multos ibi annos, una cum Octavio Casta Albisiganensi, argentariam nobilem fecit. qui duo adeo simul conjuncte vixerunt, ut omnia inter ipsos viderentur esse communia; neque unquam, in re aliqua, unius nomen sine alterius nomine usurpabatur; ac tum de argentaria quam simul faciebant, tum de domo in qua habitabant, tum de rheda qua vehebantur, Herreræ & Costæ argentaria, domus, ac rheda diceretur; & ad hanc similitudinem cetera. atque adeo hæc duo nomina erant inter se conjuncta, ut unum ab altero distrahi separarique non posset, &, sive joci causa, sive consuetudine eos simul appellandi, cum quispiam alterutram ex illorum uxoribus aspiceret, Herreræ & Costæ uxorem videre se diceret. At Franciscus, simul ac Romam pervenit, nihil parentibus fuit antiquius, quam ut ad Patres Societatis Iesu in disciplinam mitteretur; ad quorum Gymnasia, tanquam olim ad urbem Athenarum, adolescentuli à parentibus propinquisque mittuntur. Vbi Francisci ingenium simul aspectum & probatum est; atque eam ob rem data opera à magistris, ut in suam eum Societatem attraherent. sed non fuit illis magnopere laborandum: nam adolescentem, tum bonitate naturæ ad honestam religiosamque vitam propensum, tum discendi cupiditate ad literarum studia & ad spem summæ

eruditionis exardeſcentem, facile illis fuit, ſuam in ſententiam perducere. Magna igitur omnium cum approbatione receptus eſt in Societatem ; ubi docilitate celeritateque ingenii, æqualium ſuorum induſtriæ præcucurrit ; adeo ut celeriter ex diſcipulis aſcenderit, ac magiſtrorum numerum auxerit ; neque ſolum humaniores literas auditoribus ſuis tradiderit, verum etiam philoſophicis eos diſciplinis erudierit. Sed utinam hominis ingenio par data eſſet firmitas corporis valetudoque ; multo ille quidem illuſtrior fuiſſet ac notior; quod magna homines ingenia, ex operibus editis, unde de illorum facultate liceat exiſtimare, metiuntur, non autem ex vulgi ſermonibus. nam cum decem & octo annos in ea Societate, ſumma cum laude, verſatus eſſet, ejuſque opera magno ſociis uſui decorique fuiſſet, ea vi, aquæ intercutis morbo, invaſus oppreſſuſque eſt, ut medici deſperarent, poſſe illi obſiſti. Sed cum propinqui, ejuſque in primis fratres, ferre non poſſent, tantum ingenii lumen immatura morte extingui, erant illi auctores, ut ſe à Societate illa ſegregaret, ubi, in tanto vitæ periculo, non ſatis cum cura curari poſſe videretur. quod cum ille vehementer recuſaret, nec Socii à ſuo eum complexu diſtrahi divellique paterentur, ad Pauli V, Pont. max. præſidium confugerunt, ab eoque, Breve ſeu literas impetrarunt, quibus poteſtas illi fieret, ut morbo ingraveſcente, domum ad ſuos, ejus depellendi gratia, ſuperioribus etiam invitis, rediret. Neque tamen propterea quidquam de illorum in ipſum amore diminutum eſt ; quin eum ſemper, quamquam Societatis legibus ſolutum ac liberum, non aliter quam in ſuorum loco ac numero habuerunt : neque viciſſim eos ille minus quam antea dilexit ac coluit, neque magis ſegregatos à ſe habuit ; quod & perpetuus amicitiæ uſus, quem cum illis retinuit, ſatis oſtendit, & præter alia munera, quibus eos large donavit, ſtragula illa veſtis Damaſcena, purpureo croceoque ex ſerico, declarat, qua Romæ, interiores Ædis, nomini Ieſu ſacræ, parietes exornantur. Cum igitur ſe recepiſſet ad ſuos, majorem nactus eſt facultatem, morbum illum diſcutiendi. ac primum avonæ, quo, medicorum juſſu, ſe contulerat, ut ſub eo-

eodem cælo, quo ortus fuerat, felicius curatio procederet; Savonæ, inquam, ſubventum eſt illi, chalcanthi ſpiritu, ſolito largius exhibito, utpote jam deſperato ac penè depoſito. verum, illius medicamenti, quamvis præcipitis, ea vis fuit, ut morbum, magna ex parte, depelleret: etenim ea vis urinæ egeſta eſt, quam matulæ triginta & octo vix caperent; atque venter, qui præter modum intumuerat, deſedit; ſtatimque ex pleno inanis, ex tumido flaccidus factus eſt, adeo ut pedibus conſiſtere non poſſet. Sed poſtquam omnis emiſſus eſt humor, reliqua curationis eſt proſequutus, quo ex toto convaleſceret; hoc eſt, itinera exercitationeſque ſuſcepit, in quibus, ad id morbi genus depellendum, magnus eſt uſus. Itaque, de medicorum ſententia, omnes Italiæ oras, quas mare ſuperum atque inferum alluit, omnes urbes, peragravit. Sed poſtquam, crebra geſtatione exercitationeque concuſſus, in veterem valetudinis ſtatum rediiſſe viſus eſt, ad Vrbem venit; & inde Albanum migravit. Id ille oppidum elegit, ubi, prope ab ſuis, atque ab omnibus curis remotus, ab ambitione præſertim, quæ acrius etiam, quam aliæ omnes animi ſolicitudines, cor exedit, ætatem ageret; ac, ne ipſi negotium deeſſet, vineam, optimo vitium genere conſitam, ſibi paravit, quæ vinum præſtantiſſimum ſuppeditabat; atque ædes, non ita magnas, ſed quæ homini religioſo convenirent, ædificandas curavit. Erat ſibi conſcius, morbum illum, ad quem magnam haberet propenſionem, non in totum ſibi fuiſſe ſublatum, ſed ejus intus quaſi ſemina quædam ſubeſſe, unde, niſi maxima cautio adhiberetur, repullularet. Itaque optima victus ratione, animi præſertim hilaritate, cum, modo Albani, modo Romæ eſſet, dabat operam ſedulo, ne iterum eundem ad ſcopulum ſanitatem, tanquam navim, offenderet. Aberat, Albano ab agro, paſſibus non amplius mille, villa, in quam, prolatis rebus, ſe recipiebat Maphæus Cardinalis Barberinus; nihilo minus, quam Franciſcus Herrera, cupidus tranquillitatis & otii: at ſummæ illi voluptati, quam ex ſuo rure capiebat, nihil aliud deeſſe videbatur, niſi vir aliquis honeſtus ac doctus, qui cum ſuaviſſimis, de ſtudiis literarum, ſermonibus

otium illud honeſte conſumeret. ſed inſperato illi accidit, ut in Franciſcum Herreram incurreret; cujus ingenium ſimul ac aſpexit, ita adamavit, adeoque hominis eruditione doctrinaque delectatus eſt, ut, quoad ibi ruſticatus ſit, vix poſſet ab eo divelli. Atque hæc fuit cauſa Herreræ, conjungendæ cum Cardinali Barberino amicitiæ. qui Cardinalis, cum non ita multo poſt ad ſummi Pontificatus faſtigium, Vrbani VIII nomine, eſſet evectus, & ipſe, amicitiæ, quæ cum illo ſibi intercedebat, jure, magnam ad ſpem honorum divitiarumque vocaretur; non fuit tanti hæc ſpes, ut propter illam otium, in quod, tanquam in portum, ſe conjecerat, deſereret, eoque vela daret; unde tam opportunus flatus oſtenderetur. ſed tandem, aſſiduis cognatorum precibus, ſumma vi poſtulantium, ut familiæ dignitati & fratris honori conſuleret, qui nuper, in numerum Referendariorum allectus, ad Rempub. capeſſendam acceſſerat, paſſus eſt ſe exorari impellique, ut Pont. ſummum adiret, eique adeptum totius Chriſtianæ Reipub. imperium gratularetur. Quem ſimul ac Pontifex aſpexit, continuo ſuaviſſime eſt in eum effuſus; &, poſtquam ſatis, humaniſſimis verbis proſecutus eum eſſet, juſſit, ſe ſibi ſiſtere, ſemel in hebdomada, hoc eſt, die Iovis; quo ille die, paululum à negotiis publicis feriatus, dabat ſe hilaritati, & amicorum colloquiis. Neque minimum ex ejus conſuetudine fructum Pontifex cepit. nam ſæpe, in negotiis de ſumma Reipub. maximis atque graviſſimis, cum eſſet adhibitus, magni ejus opera æſtimata eſt; præſertim ſi cauſa vel in hiſtoria, vel in Theologia, vel in Iure Pontificio, verteretur. etenim univerſam rerum omnium ſcientiam complexus erat. Hunc locum tenuit amicitiæ apud Vrbanum annos plures: ſed tandem, Io. Ciampoli ab Vrbe diſceſſu, Brevium ſcribendorum partes accepit. quod munus quam egregie diligenterque tutatus ſit, declarant eædem epiſtolæ, Vrbani nomine, ad varios viros principes ſcriptæ; in quibus gravitas, prudentia, atque orationis cultus ac nitor, elucet. erat enim, præter eas artes in quibus excellebat, eloquentiæ ſtudioſus. quamquam, de ratione Latine cribendi, aliqua eſſet illi contentio cum P. Hieronymo Bru-

Brunello, dum essent una in Collegio Romano: etenim cum, die quodã, injecta esset hac de re mentio, Brunellus, qui nullum alium probabat scribendi genus præter Tullianum, multis rationibus defendebat, non esse à Ciceronis imitatione discedendum; contra Franciscus alios Ciceroni anteponeret; memini dici, illum non parum Brunello fuisse adversatum. Verum, quantum ille industriæ diligentiæque ad procuranda Pontificis negotia adhibebat, tantundem etiam, in valetudinis suæ cura, negligens atq; indiligens inveniebatur. quæ fuit causa, ut, paucorum dierum morbo consumtus interiret, non eo, quicum olim, ut diximus, conflictatus fuerat, sed alio, ex aëre nocturno, qui Romæ gravis solet esse, contracto. etenim, cum ad multam noctem cum Pontifice fuisset, ut ad cubiculum suum se reciperet, necesse habebat, homo natus annos sex & quinquaginta, infirmaque valetudine, multorum passuum viam ingredi sub dio. fuit moribus sanctissimis, & fama, in tota vita sua, secundissima. honestissimorum hominum amicitias appetebat, iis se dabat, eorum studiis obsequebatur, eorum commodis & honori serviebat; semper hilaris, comis, jucundus. quamobrem, mortuus, iis qui eum noverant, incredibile sui desiderium reliquit; ac nominis sui memoriam quam maxime longam apud posteros effecisset, si longius vitæ spatium nactus esset; multa enim, quæ egregie inchoaverat ac dolaverat, limare ac perficere potuisset. itaque, quantum mors illi de vita surripuit, tantum detraxit è gloria.

XXI. ANTONIVS CORINVS.

VRbs Apua, in Liguribus, nunc ex ponte, qui ibi visitur, Remolo consecrato, ut antiquissima eorum hominum fama, quasi per manus tradita, loquitur, Pontremolum appellata, quasi Pons Remoli, montis Apennini radicibus adjacet, propter flumen Macram, murenis, troctis, ut nunc vocant, aliisque exquisiti saporis piscibus plenum; quod etiam flumen, ejus urbis mœnia alluens, Etruscos à Liguribus dividit, supraque ipsum, eum pontem habet injectum, quem appellari Re-

Remolum diximus;atque à mari mediterraneo recta via diſtat millia paſſuum non amplius decem.ager,à quo undequaq; ambitur , fertilis eſt,amœnus, arboribus omnis generis fructuum conſitus,forma, varietate,ſapore,præſtantium ; ferax eſt olei ſuaviſſimi viniq; generoſiſſimi ; multæ in eo aquæ perennes ac ſaluberrimæ ; aër , gravibus vaporibus nullis infectus, purus atque innoxius attrahitur ; corpora hominum valida atq; robuſta , & ad laborem ferendum parata , maxima, bellandi cupiditate ſtudioque ducuntur. olim finitimis populis, aliiſque infenſi Apuenſes , ſunt à C. Flaminio Coſ. ut ex hiſtoriis apparet, bello coërciti atque perdomiti,tum præſertim, cum in agrum Piſanum ac Bononienſem ita irruerent, ut coli non poſſet. Multæ, in eo oppido, familiæ , opibus , divitiis ac generis nobilitate , inſignes continentur ; complures in eo cives viſuntur , literarum gloria florentes , complures rei militaris periti , neque minus civitatis regendæ ; quorum hominum fœcunda ſemper genitrix extitit : atque hoc tempore , quo hæc de illo referimus , ſeptuaginta & eo amplius Iuris utriuſque doctores ac magiſtri , tum non parum multi , medendi arte conſpicui , aliique etiam , Theologicæ facultatis laude in eo prædiți numerantur. olim totius Liguriæ principatum obtinuit,atque ante ipſam Vrbem Romam conditum viguit , ac multa cum ea Repub. bella aſpera ac difficilia geſſit. nunc vero illi , inter reliquas Lunæ totius urbes , primæ deferuntur , ac multis oppidis , viciſque circiter ſeptuaginta, amplitudine , ac bellicoſiſſimorum in eis hominum multitudine & copia , conſpicuis imperat. in marmore, validæ robuſtæque turri, in medio fere urbis , ſitæ, inſculptus hic verſus legitur:

Appua ſum , quondam Marco celebrata Catone.

Sed in iis, quos, ab ea urbe profectos, hac noſtra ætate, eximiæ doctrinæ laus in cælum extulit , merito numeratur in primis Antonius Corinus , Blaſii filius ; illius, inquam, Blaſii , qui cuivis ex omnibus ſui ævi principibus Iuriſconſultis, in conſulendo reſpondendoque , par, ne dicam ſuperior , fuit. hic dum Piſis operam ſtudiis daret , & Academiæ illius Rector ceteris diſcipulis auctoritate præeſſet , qui honor apud illos magnus & honeſtus

neſtus habetur, fama exivit, adventare cum exercitu Petrum Strozzam, qui à Coſmo Florentiæ Duce defecerat, ut oppidum illud, omnibus tum rebus imparatum, aggrederetur. at ille convocatis condiſcipulis arma diſtribuit, ac partem illorum in muris diſpoſuit, partem alteram pro urbis porta ſtare juſſit, qua Petrus in urbem irrupturus metuebatur, ita ut acici cujuſdam ſpeciem referrent. id ut cognovit Petrus, exiſtimans, majores intus copias contineri, & oppidum egregie eſſe munitum, non eſt auſus accedere, eodemque, unde venerat, ſeſe recepit. interea Dux Coſmus nactus eſt tempus ad copias comparandas, & ad oppidum muniendum. Fuit Antonius figura corporis venuſta, ore eleganti, in quo mira benignitas, cum majeſtate quadam, quaſi fœdere ac ſocietate conjuncta, ſe daret; moribus paulo gravibus ac ſeveris, ita tamen, ut in illa gravitate amœnitas ac feſtivitas, cum vellet, copularetur, quæ ad ſe omnes alliceret attraheretque. Ingenium habuit excelſum, & eloquentiam admirabilem, ſive loqueretur ſive ſcriberet, à natura ſibi tributam; quam poſtea arte limavit atque perfecit. ejus ſermo miram habebat gravitatem amœnitatemque, ut illi videretur non poſſe obſiſti. Egregie Etruſcam & Latinam linguam novit, quam, etiam tum puer, à magiſtris prima illa puerili inſtitutione accepit. poſtquam vero ex ephebis exceſſit, philoſopho ſe tradidit, ut ab eo in utraque Philoſophiæ parte erudiretur, tum in ea quæ eſt de vita & moribus, tum etiam in illa altera, quæ in naturæ ſubtilitate obſcuritateque verſatur. atque ab his ſtudiis profectus, ad eam, quam ab ineunte ætate adamaverat, Iuris prudentiam ſe contulit; neque antea ad illam eſt auſus accedere, quam eſſet omnibus iis artibus, quas diximus, inſtructus: quibus etiam addiderat hiſtoriarum omnium notitiam, & regendæ Reipub. ſcientiam; contra id, quod plerique faciunt, qui vix primis Grammatices elementis imbuti, nudi ad eam veniunt atque inermes, nulla cognitione rerum, nulla ſcientia ornati. Verum quantum Iuriſconſulto futuro, hic ornatus inſtructuſque lumen accerſat, propter omnium bonarum artium, denique virtutum ipſarum ſocietatem cognationemque, declaravit even-

eventus. nam vix intrò in ejus facultatis veſtibulum pedem poſuit, cum omnia ſeſe illi intima & arcana aperuerunt ; neque ſolum viſus eſt dignus , qui celeriter in doctorum ejus artis numerum veniret, verum etiam Iuris civilis publice interpretandi facultate , ut eſt moris , adepta , electus , ut in Gymnaſio Piſano , Iuris ejuſdem Inſtitutiones , neque ita multo poſt , Pandectas etiam , ex ordine , diſcipulis interpretaretur. ubi , cum die quodam per urbem, animi gratia, obambularet, meritricem , pro foribus domus ſuæ , ſubtegmen nentem aſpexit , atque impetravit à ſe ut à gravitate illa diſcederet , quæ ipſum aliquam in invidiam apud omnes adduxerat , quibus moleſtum erat , in tanta eum gravitate ac ſeveritate verſati , adeo ut vulgo magna faba appellaretur ; impetravit, inquam , ut levitati gravitas , hilaritati ſeveritas , cederet ; atque : Nihil eſt tam deforme, ait, quam, mulierem meritricem , lateri hærentem colum habere. Cui illa , nullo ſumto ad cogitandum ſpacio : Nihil eſt, ait, inhoneſtius , quam doctorem atque magiſtrum , à diſcipulis avulſum , incedere. Sed à docendi munere traductus eſt Senas ad judicandi provinciam , atque inde in numerum Auditorum Rotæ , primum Piſanæ , tum Florentinæ , adlectus ; quem locum tam multos annos tenuit , ut ceteris ordine & antiquitate præiret, hoc eſt, decanus exiſteret. quod exiſtimatum eſt non ſine magno Piſani Gymnaſii incommodo detrimentoque contingere ; cum , eo doctore careret, qui, ingenii doctrinæque fama , multitudinem ad ſe diſcipulorum attraheret. itaque longo intervallo, revocatus eſt, ad docendi munus , unde receſſerat ; ac Ius civile, ex ordine, matutinis eſt horis interpretatus , tanta eruditionis induſtriæque cum laude , tanto auditorum cum profectu, ut , paucis interjectis annis , traductus ſit ad primariam docendi Iuris cathedram ; quem locum millena , & eo amplius quotannis ſcuta , ſtipendii nomine , conſequebantur ; & , cum nobili apud ſuos loco ortus eſſet , voluit honoraria S. Stephani militia condecorari ; in eamque, à Ferdinando , magno Etruriæ Duce , ac perpetuo ejuſdem militiæ magiſtro , adſcriptus eſt , ſibique in iis , quæ ad eam militiam pertinerent , à

Con-

consiliis electus; apud quem etiam sæpius verba fecit, ea sententiarum gravitate, ea verborum elegantia atque splendore, ut nulla ejus orationis pars sine plausu exciperetur. Habebat à natura, tum in motu, tum in gestu, tum in incessu, tum in voce, insitam quandam gravitatem; quæ cum vulgo notaretur, non poterat hominum sermones effugere; ac, si quis magnifice se inferret, aut tarditatibus uteretur in gressu, paulo putidioribus & odiosis, aut verba funderet sapientia, hic Corinum agere dicebatur. Florebat, ut cum maxime, in Gymnasio Pisano, Antonius, tum summæ eruditionis fama, tum vitæ splendore ac dignitate, quam præsertim tuebatur ex millenorum quotannis scutorum stipendio, aliorumque ducenorum, quæ ex honoraria Consiliarii advocatique S. Stephani militum mercede capiebat, cum Petrus Cavallus, item Apuensis, excessit è medio. Erat vir hic, doctrina, fide, probitate, industria, atque prudentia, non unus è multis, sed inter omnes propemodum singularis, adeo ut nullum alium in toga ministrum, magni Etruriæ Duces, illi similem viderint. Huic tanto viro qui subrogaretur, nemo inventus est aptior equite Antonio Corino; nullaque interposita mora, evocatus est Florentiam, ut Auditoris Consultæ, & Iudicis Mercaturæ, delatam sibi provinciam acciperet; quod apud Florentinos ampliſſimus magistratus existimatur. neque ita multo post factus est Auditor fiscalis, summo cum imperio ac potestate. Præstabat pietate ac religione; flagrabat cupiditate studioque discendis; adhibebat in causis cognoscendis ac negociis agendis diligentiam, in expediendis conficiendisque celeritatem. illa autem austera severitas, quam homini natura tribuerat, in cultu tantum hærebat, nec ad animum permanabat; nam comitatem, hilaritatem, amœnitatemque cum amicis exercebat. integris fuit moribus. sed uxore quam habuit, amissa, quasi nullam sine muliere esse vitam existimaret, alteram duxit; facta ejus rei potestate à summo Pont. quod ii, qui in ea militia numerantur quam ipse profitebatur, primis nuptiis defuncti, alteris se implicare prohibeantur. Obiit, Florentissimis suis rebus, Florentiæ, magno totius civita-

vitatis luctu atque dolore, eorum etiam, quos adversarios & obtrectatores laudum suarum habuerat; idque ob singularem hominis excellentemque virtutem; qui, quamvis senex esset mortuus, tamen, quia erat valido robustoque corporis habitu, videbatur, aliquanto longius ætatem potuisse protrahere. Multa ingenii sui monumenta reliquit, tum quæ ad humaniores literas, tum quæ ad Iuris civilis, quod in primis profitebatur, studia pertineant; digna, quæ, typis impressa, immortalitati mandentur. Itaque plures reliquit ingenii sui fœtus, quàm ex uxoribus, quas duxerat, liberos. quamvis post unam uxorem, ut diximus, alterius maritus fuerit.

XXII. TIBERIVS CERASA.

INcidi non parum sæpe in eos, qui se mirari dicerent, cur multi, quum ingenio doctrinaque omnibus fere sui ævi hominibus doctis præstitissent, nulla ingenii doctrinæque suæ monumenta posteris prodenda curassent, unde immortalem sui nominis famam efficerent. Atque, ut advocatis & patronis, de quibus referre est in animo, nostra definiatur oratio, in illis veteribus oratoribus duas fuisse causas M. Tullius in libro de claris oratoribus tradit. primum, quia nonnulli eorum animum ad scribendum non appulerunt; inertia, ne domesticus labor ad forensem accederet; nam pleræque orationes scribebantur, habitæ jam, non ut haberentur. deinde, quia quidam melius putabant se posse dicere quam scribere; quod peringeniosis hominibus, nec satis doctis, ut idem inquit Cicero, plerumque contingit. Verum, hæ rationes, in veteribus patronis valere possunt; qui non ex scripto, sed voce, causas agebant, neque id, quod suasissent, literis mandare cogebantur, nisi styli exercendi gratia, qui est optimus dicendi magister & effector; ut hac exercitatione ex improviso, si necessitas cogeret, possent eodem modo dicere quo scriberent. At quid dicemus de nostris, à quibus non, ut olim, causæ perorantur, sed causarum defensiones summo studio elaboratæ atque profectæ, scriptisque traditæ, judicum oculis subjiciuntur, quibus etiam defensionibus cau-

cauſas certiſſimas obtinuerunt ? nonne, cum eas cubiculorum ſuorum tenebris occulunt, peſſime tum de ſua ipſorum exiſtimatione & fama, tum de poſteritate ipſa merentur ? nam ſi illorum reſponſa, doctrinæ prudentiæque pleniſſima, in lucem edita, omnium manibus tererentur, haberent ii, qui ſimilium cauſarum nexibus implicantur, rationem, qua ſe illis vinculis explicarent. At fortaſſe ea, inquient, noſtrorum eſt fama meritorum, quam nobis, conſentiens omnium hominum laus ac ſermo confecit, ut nulla unquam interventura ſit temporis, omnia in oblivionem, diuturnitate, adducentis, injuria, qua in hominum animis memoria virtutis noſtræ exoleſcat ; immo clariorem eam viſum iri exiſtimamus, ſi nulla extiterint noſtri monumenta ingenii, quæ in æſtimantium arbitrium veniant : putabunt enim, multo in nobis plura & majora extitiſſe, quam quantum fama vulgaverit. Nec errant mea quidem ſententia. nam quamvis, quoad ſuperſtites ſint ejus ſeculi homines, addo etiam hæredes, in quo ipſi floruerunt, nihil fere de ipſorum memoria depereat ; attamen ſi nulla ſubſint ſciptorum quaſi fomenta, quæ, tanquam oleum, memoriæ eorundem ſplendori, quaſi nutrimenta, ſuppeditent, paulatim, tanquam flamma ab humore deſtituta, extinguetur. Quam multos omnibus fere ſeculis Philoſophos, Iuriſconſultos, Medicos, Mathematicos, extitiſſe putamus, qui ingenio valuerunt & ſtudio, quorum tamen nomina ſepulta jacent in tenebris, quoniam nulla operum, à ſe editorum, luce ſublevata enitescunt ! Neque eſt quod dicant, M. Antonium, Lucium Craſſum, alioſque non parum multos, de quorum memoria commemoravit M. Tullius in Bruto, è quibus nulla unquam exciderunt opella, etiam nunc, omnium admiratione & laudibus, eſſe in cœlo. eorum enim fortuna incidit in illud præclarum divini in dicendo hominis ingenium, quod illorum laudem, partim jam mortuam, ab inferis excitavit, partim jam prope ſeneſcentem, quantum potuit, ab oblivione hominum, atque à ſilentio, vindicavit. quod ſi eo auxilio caruiſſent, eorum nomen eadem, quæ ceteros, vetuſtas oblivione obruiſſet, ac ne natos quidem eos eſſe ſciremus. At ſunt alii, qui

operum ſuorum edendorum ſolicitudinem curamque in hæredes tranſmittunt. hi verò quanto in errore verſentur, oſtendunt pomariorum, cetariorum cauponumque tabernæ, pulcherrimis elegantiſſimiſque doctorum hominum ſcriptis monumentiſque refertæ, ab illorum hæredibus, ad involvenda & amicienda legumina, piſces, farcimina, atque obſonia, divenditis. volunt illi quidem uti ac frui bonis, à teſtatoribus ſibi relictis, at vivam atque immortalem illorum memoriam apud poſteros reddere non plus laborant, quam ea quæ nihil ad ipſos pertineant; & præ paucis illis nummulis, quos ex libris, quibus, ob eorum elegantiam, nullum par pretium ſtatui poteſt, coëgerunt, immortalem teſtatorum ſuorum gloriam præ nihilo ducunt. Quamobrem ii, quibus præclarum à natura ingenium eſt tributum, ſi propterea literarum ſtudiis ſe dediderunt, ut ipſorum memoriam quam maxime longam efficiant, dare operam debent, ut vivi gloriola ſua fruantur, neque in iis, quæ ingeniolis ſuis pepererunt, in lucem prodendis, labori, operæ, ac ſumtui parcant. nam, quidquid in illis edendis inſumitur, totum hæredum ingratorum avaritiæ adimitur. Verum, in iis, qui, cum ingenio & eruditione clari ac nobiles eſſent, nullam ſui memoriam reliquerunt, invenitur Tiberius Ceraſa; qui magnum Romæ de jure reſpondendi munus ſuſtinuit, iiſdem temporibus, quibus Bernardinus Biſcia; ſed paulo illi ætate inferior. De hoc etiam tum puer, accepi (niſi falſa ad me perlata ſunt) patre eum medico natum fuiſſe, ſed noluiſſe eam artem perſequi, in qua parens excelluiſſet, verum, morbis medendi laude & gloria aliis relicta, ad Iuris civilis ſtudia ſe contuliſſe. ex quorum fontibus cum tantum hauſiſſet, quantum eſſet, ad ejus interpretandi docendique facultatem adipiſcendam, ſatis, Romæ primum cauſas amicorum tractare atque agere cœpit; deinde omnibus, qui ſuo uti conſilio vellent, ſe ad conſulendum dare. neque ita multum elapſum eſt temporis, cum ille præcipuam in advocatis laudem eſt conſecutus, adeo ut nulla eſſet paulo difficilior cauſa, quæ ad illum non deferretur. erat enim, cum peracutus ad excogitandum, quid in jure aut in æquo verum eſſet aut

non

non esset, tum erat ad ea, quæ invenisset, legum atque interpretum auctoritatibus firmanda mirabiliter prudens. quo fiebat, ut, cum munera ad eum multa & pecuniæ à litigatoribus convenirent, ad summas divitias perveniret; eo quod litigantium stultitia ac pertinacia, qua lites persequi malunt quam æquis conditionibus controversias minuere atque dirimere, certissimus sit quœstus advocatorum atque patronorum; quorum illi opes augent, suas imminuunt, se ad mendicitatem adigunt, illos ad ingentes nummos plerumque perducunt. Sed Tiberius, tanta isthac juris prudentia, qua aliis optime consulebat, non id solum assecutus est, ut locuples fieret, verum etiam, ut honoribus amplificaretur; videlicet, ut in Advocatorum Consistorialium Collegium cooptaretur. quem ordinem ita plures annos tenuit, ut eum maxime illustraverit exornaveritque. Erat præterea ingenio natura mitissimo, ac moribus lenissimis humanissimisque, musices apprime peritus; nam & citharizare, & cantare ad chordarum sonum didicerat, & una cum aliis fidicinibus impressos illustrium modulatorum modos, ante oculos sibi subjectos, fidium voce cantuque scienter exprimere, ac suavissimos concentus efficere. quam facultatem æstate tantum, prolatis rebus requiem sibi quærens, exercebat; cum vero res rediissent, ipse quoque ad causas, quas susceperat, tuendas redibat, & canendi usum exercitationemque iis, qui per eam victitabant, relinquebat. Magno amoris benevolentiæque nexu Clementem VIII, Pontificem max. in æstimandis hominum ingeniis, acerrimi judicii virum, sibi devinxerat, ex eo tempore, quo ille Auditoris Rotæ munus obibat. sæpe enim illum voce causas docentem audierat, sæpe causarum defensiones, docte accurateque ab eodem perscriptas, legerat, atque de ejus consilio sententiam pronunciaverat. Itaque Pontifex factus, tantæ hominis virtutis non oblitus, ex aliorum eum numero eximere, & in edito dignitatum loco collocare statuerat. Quamobrem, Bartholomæo Cæsio, generali Thesaurario, in Cardinalium ordinem adscripto, perfecit, ut honorem illum mercaretur, ex quo certissimus ad Cardinalatum est aditus. quocirca vim

illam pecuniæ, quam, multorum annorum curſu, ex defenſionum laboribus coëgerat, unico penè temporis momento, totam in ea comparanda provincia prodegit. ſed ſpes certa honorum, leviorem illi, immo ſuavem, eam jacturam faciebat; nec pecuniam illam ſe perdere, ſed fœnerari exiſtimabat. Omnino veriſſima eſt vox illa atque ſententia, neque poteſt aliter eſſe cum divinitus emiſſa prodierit, in optandis eligendiſque rebus, præſertim in honoribus petendis, nos plerunque in maxima rerum earum ignoratione verſari, quæ nobis in primis expediunt. multi enim ſæpenumero ſibi quædam exoptant, in eiſque fortunas ſuas eſſe poſitas putant, quæ poſtea, cum adepti ſunt, ſe ipſi eſſe fruſtatos, ac peſſime ſuis rebus conſuluiſſe inveniunt. Exiſtimaverat Tiberius, eo magiſtratu, quem tanto emerat, ſe, forenſium cauſarum labore levatum, propemodum valetudinem ſuam in tuto collocaſſe, tum ea, qua præditus erat, Iuris civilis ſcientia, ſapientiſſima & æquiſſima judicia ſe eſſe facturum, poſtremo honorem purpuræ, in cujus ſpem, tantam pecuniam prodegerat, ſibi non defuturum, ex quo vel procederet honoribus longius, vel ſaltem eodem quam diutiſſime frueretur. at hæc omnia cogitata ceciderunt illi teterrime. nam vix magiſtratum illum adiit, cum cœpit cum adverſa valetudine conflictari, ac præſertim renum morbo laborare; qui ubi affecti ſunt, diu male nos habent. neque aliud illi erat negotium majus, quam ut fere quotidie medicorum conſilium advocaret, tum ut eos inter ſe de cauſis, quæ præſertim morbum illum efficerent, diſceptantes audiret, tum multo magis ut ab eis remedia, quibus morbo illi, ne longius ſerperet, poſſet occurri, perciperet. Deinde experientia compertum eſt in eo id, quod eſt veriſſimum; non ſemper eundem, qui ſit aptus ad ſtudia literarum, eſſe etiam ad publica negocia gerenda idoneum; aliam enim eſſe rationem magiſtratuum gerendorum, ac literarum ſtudiis operam dandi; etenim multi, qui in hac umbratili doctrinarum exercitatione, ingenii acumine ac percipiendi celeritate, longe multumque ceteris antecedunt, iidem poſtea ad Rempub. capeſſendam traducti, & tanquam in pulverem, ut dicitur, & ſolem educti,

in

in eadem Repub. regenda aliis, non tam doctis quam ipsi, sed civili prudentia præstantioribus, longo intervallo inferiores inveniuntur. nam muneri, quod susceperat, non satisfecit, sed multa, quæ reprehenderes, admisit, non quidem studio ac voluntate nocendi, sed quod prudentia ac rerum usu careret. aliquid interdum mali faciebat homo minime malus. Denique honorem illum, ad quem tam incitato cursu ferebatur, non valuit attingere, sed in medio spacio, mortis impetu eversus, corruit. Ejus mortis causam attulisse dicitur Clementis Pont. acris quædam ac vehemens objurgatio, propterea quod vel decrevisset aliquid injuria, vel quod quapiam in re, illius voluntati non ad nutum præsto fuisset. Quæ cum ita sint, relinquitur, sententiam illam, de qua paulo ante commemoravimus, verissimam ac sapientissimam esse; videlicet, exploratum esse nemini, si id, ad quod cupidius fertur, sit ipsi futurum ex usu, an non. Mortuus Romæ, sepultus est in Æde Deiparæ Virginis ad portam Flaminiam, in sepulcro majorum suorum conditus.

XXIII. ANGELVS CÆSIVS.

NEscio, qua ratione comparatum sit, ut, quo quisque copiosius opibus ac divitiis abundat, eo etiam vehementius à literarum studiis abhorreat; tanquam si pollui nobilitatem existimet artium pulcherrimarum cognitione atque notitia, aut quod divitias sibi minus honestas fore arbitretur, si eas cum doctrinarum societate habeant adjunctas; atque eas à se, ut ipsorum dignitati indecoras, abjiciunt, & ad eos remittunt, qui aut fumosis majorum imaginibus careant, aut rei familiaris inopia laborent. itaque, dediti ventri atque somno, indocti incultique, vitam sicuti pecudes exigunt; quasi eos pudeat, in hominum numero haberi; cum nulla re alia ita à brutis homines distent, ut rationis & ingenii exercitatione usuque. Audivi ego non parum multos ex iis, qui beati putantur, cum invitati atque ab iis rogati, quibus eorum existimatio ac dignitas cara erat, ut pulcherrimis animum disciplinis excolerent ac

perpolirent, reſpondebant, Dei ac majorum ſuorum virtute, ſatis, ac plus quam ſatis, ſibi eſſe divitiarum. quaſi vellent dicere, nihil iis eſſe opus literis, qui divitiis, à majoribus ſuis ſibi relictis, redundarent atq; diffluerent. At Angelus Cæſius, Federici filius, Dux Aquæ Spartæ, Romanus, non eſt paſſus, generis nobilitatem, opes, divitias, quidquam ſibi ſuffragari ad inertiam atque ſocordiam; ſed ea voluit eſſe materiam laboris, induſtriæ atque ſolertiæ; ac magno animo totum ſe literis dedit. verum, ſingularis ejus induſtria, intra anguſtum ætatis ſpacium incluſa, non potuit largius ſeſe diffundere, eoſque fructus efferre, quorum ſpem maximam dederat. nam etiam tum juvenis è vita decedens, parentem, non ita multo ante defunctum, ſuis veſtigiis eſt proſecutus ad ſepulcrum. Mathematicas præ aliis diſciplinas coluit, in eiſque, qua erat ingenii ſubtilitate atque acumine, progreſſus maximos fecit, ut videre licet ex libris, quos edidit; & in Geometricis ac Mechanicis pleraque à nemine excogitata invenit. Præſtantiſſimum etiam ingenium contulit ad rerum philoſophicarum ſcientiam, in quibus ſummus evaſit. Ex quo excellenti ſtudio, omnia egregia illa opera emanarunt, quæ cum ſumma ſingularis ejuſdem ingenii admiratione leguntur. primum, volumen illud ingens, quod Naturæ theatrum inſcribitur, unde Apiarium etiam ſuum depromſit. tum liber de Cælo, in quo, ex ſanctorum Patrum ſententia probare contendit, Cælum eſſe fluidum, non autem ſolidum, ut univerſa Philoſophorum ſchola defendit. deinde prodigioſorum omnium phyſica expoſitio, pluribus libris comprehenſa; tum cæleſtis natura, non minus multis libris expoſita; tabulæ etiam Philoſophicæ, in quibus omnium vis & natura plantarum, Mexicanarum quoque, luculenta oratione narratur. his additur Metallophytum, Vrbano VIII & Card. Barberino dicatum; Phyſica Matheſis, & univerſale rationis ſpeculum, ubi ſcientiarum ars omnium copioſe tractatur. Neque his tantum, quantumvis latiſſimis doctrinarum finibus, ſe illa vis ingenii continuit, ſed, tanquam flumen extra ripas diffluens, in alias etiam diſciplinas & ad eam Philoſophiam, quæ eſt de vita & moribus, exiit, atque

Mo-

Moralia, Paradoxa, Monita, & his ſimilia quamplura, in vulgus emiſit. Ad ſui aliorumque exercitationem, publicam domi ſuæ Academiam inſtituit, quam Lynceorum nomine appellavit; in qua & ipſe, quoad vixit, principatum obtinuit. Auctor erat Academicis ſuis, ut aliquid ſcriberent; cujus auctoritas eo majus apud eos pondus habebat, quod ſuum ad illam exemplum accedebat, qui nullum ſcribendi finem faciebat. ac, ne ad ea, quæ docte eruditeque compoſuiſſent, in lucem edenda, ſumtuum faciendorum metu deterrerentur, pecuniam ipſe de ſuo largiebatur. Cujus honeſtiſſimæ glorioſiſſimæque liberalitatis exemplum ſi viri principes imitarentur, non tam multis egregiis ac doctis operibus egeremus, quæ nunc, auctorum inopia, in aliquem pauperculæ domus angulum rejecta, pulvere obruta ſituque corrupta, in magnum bonarum artium detrimentum, eruditorum manibus eripiuntur: præterea eum illi liberalitatis ſuæ fructum ferrent, quo nullus, neque major neque præſtantior, expectari poteſt ab iis, qui nihil eſſe in vita magnopere expetendum, niſi laudem & honeſtatem, exiſtimant; videlicet, ut nomen ipſorum clarum & æternum apud poſteros eſſet. Quid multis opus eſt? Eo Angeli Cæſii, in operibus eruditorum typis mandandis, liberalis ac regius progreſſus eſt animus, ut nulli neque ſumtui neque labori pepercerit, quo Nardi Antonii Zechi novæ Hiſpaniæ rerum medicarum liber, qui antea latitabat, in hominum conſpectum exiret. nam & ſumtus ad id neceſſarios præbuit, ac doctiſſimis ſuis Lynceorumque ſuorum commentariis illuſtravit atque auxit. Laudata eſt viri hujus principis eruditio, ac mentis acies, qua rerum omnium vim & naturam inſpexit, à Io. Baptiſta Porta, in præfatione libri, quem de diſtillatione conſcripſit. Vxorem habuit mulierem nobiliſſimam, ſed nullum ex ea, neque virilem neque fœmineum ſexum reliquit. Itaque coactus eſt frater alter, illi ætate proximus, ſtirpis propagandæ cauſa, uxorem ducere, quamvis, perpetuo ſe cœlibem fore, Deo voviſſet; cui uxori ipſe ſuperſtes fuit.

XXIV. POMPEIVS DE ANGELIS.

NVllum ferme tempus fuit, quo tempore, ex Seminario Rom. quod Patres Soc. Ieſu moderantur, non aliqui prodierint, qui ingenii doctrinæque, qua præſtent, commendatione æternam ſibi, iiſque quorum opera inſtructi exornatiq; ſunt literis, laudem gloriamque pepererint. nam, quemadmodum uſu venire videmus in ædificiis, quum firmiſſimis ea fundamentis conſtituta, validis parietibus munita, pulcherrimis laquearibus faſtigioque contecta, rebus denique omnibus probe inſtructa, expolita atque perfecta ſunt, ut non omnem in ſe laudem retineant, ſed magna ex parte refundant in fabros, quorum operis ſunt exædificata: ita etiam hominum ingenia, cum iis magiſtris, quorum induſtria ſtudioque elaborata, literis erudita, bonis moribus inſtituta, atque ad abſolutionem perfectionemque perducta, inveniuntur, eas communicare laudes debent, quibus feruntur in cælum. Cur enim non magnam ex iis ſibi partem vendicare æquum ſit eos, quorum labore perfectum eſt, ut eæ in illos laudes convenirent? Quod ſecus accidit in vituperationibus, in quas incurrunt ii, qui, quod à magiſtro didicerunt, ſua ſocordia perdunt, totumque, quod ab illo in ipſorum ingeniis exædificatum eſt, cum fundamento perire permittunt. nam vituperationes illæ totæ ipſorum ſunt, nec aliquam ex eis partem culpa magiſtri decerpit. quis enim, ſi ædibus illis vitium ſit additum, in quas nequam homo & indiligens immigravit, ſi videlicet parietes admiſſis imbribus perpluant, ſi tigna putreſcant, ſi tegulæ decidant, fabri eam eſſe culpam dicat, & non illius, cujus indiligentia, earum jam nequior factus ſit ædium uſus? ille ſua ignavia eam in illas calamitatem invexit; ille, ſuo adventu, fabrorum operam perdidit. Neque eo magis magiſter in crimen vocandus eſt, ſi diſcipulus, poſtquam exceſſit ipſi ætas ex magiſterio illius, & ſuum in ingenium, tanquam in domum, immigravit, perdat, exturbet, affligat, quidquid ille excitavit, extruxit, ornavit; ſed diſcipulus culpam commeruit; in illum omnes omnium

nium vituperationes confluunt ; ille totum earum in se impetum excipit , ac ne guttam quidem in alium rejicit. Sed nihil ejusmodi ex se dedit Pompejus Angelius, Seminarii Romani Clericus ; sed id , quod suo in ingenio , ad omnes bonas artes accipiendas apto , tanquam ædes aliquas , Soc. Iesu magistri excitaverant , curavit probe ; non quidquam admisit , quo illud in usu deterius evaderet , non aditum ad illud imbribus aperuit , hoc est , nullas in illud animi perturbationes , rationi contrarias, admisit, nullis adversis tempestatibus concuti ac labefactari permisit , videlicet à voluptatibus ingruentibus , quæ præsertim animum à studiis avocant , passus est è memoria dejici ac deturbari , quod à magistro didicerat ; immo studio atque exercitatione dedit operam, ut id, quod in se erat, augeret ac perficeret, & ut in usu melius & in speciem pulcrius existeret. Neque ea species oculos fugit sapientissimi oculatissimique Pont. Clementis VIII, qui, ejus probitatis doctrinæque fama commotus , Silvestro Aldobrandino , Card. S. Cæsarii, doctorem accivit , à quo eodem ille & vitæ honestæ acceperat præcepta , & bene scribendi. In quo pulcre ille respondit expectationi , quam de ipso conceperat. etenim , in adolescentis ingenio , illud virtutum quasi ædificium extruendum curavit , quod iis , quibus recta mens est , probari non ignorabat ; nimirum , ut moribus primum illum probis excoleret ; quod est quasi solum ac fundamentum virtutum omnium ; tum ut pulcherrimis ac dignis homine nobili disciplinis excoleret atque perficeret. eumque literas docuit humaniores , philosophiam , omnemque eruditionem. Neque aliunde hujus ædificationis exemplum sibi expetendum fuit , quam à se ipso. Et usque adeo, in illo erudiendo, Clementi VIII operam probavit suam , ut Basilicæ Deiparæ Virginis majoris Canonicum , in alterius demortui locum , subrogandum eum curaverit. Non potuit illi provincia magis ex animi sui sententia mandari, quam illa. erat enim vir pius, & B. Virginis, quam sibi ab ineunte ætate patronam adoptaverat,studiosus in primis. Atque ut, omissis ceteris occupationibus , omne suum tempus, studium , omnem suam operam ac di-

ligentiam, ad ejus Eccleſiæ ac Virginis obſequium cultumque conferret, perfecit primum Clementis Pont. mors: quo è vita ſublato, Cardinalis, liberius vivendi poteſtatem adeptus, ſtudium illud diſcendi primum remiſerat, tum plane abjecerat; atque in omnium rerum abundantia ſtatuerat beate, ut ipſe putabat, vitam exigere: poſtremo Cardinalis ejuſdem interitus, cui pinguedo corporis ingens vitam ademerat. itaque omnibus aliis curis ſolutus, frequens in Eccleſia nocturnis diurniſque horis aderat, una cum aliis collegis concinens. quod autem ab ejus muneris functione ſupererat otii, non dabat illud quieti ac ceſſationi; id quod facere ſuo jure poterat, cum defeſſus à laboribus chori redibat; ſed in literarum ſtudiis collocabat, & in primis ad ſcribendum aliquid conferebat. Ejus otii fructus ſunt duo illa volumina, quæ edidit; unum Latino ſermone compoſitum, cui hunc titulum præfixit, *Baſilicæ S. Mariæ majoris de Vrbe, deſcriptio ſive delineatio*, alterum vernacula lingua confectum, *De eleemoſyna, aliiſque operibus, quibus muniti tuto in ſupremum Dei judicium venire poſſimus*; quod egregiam hominis pietatem & in pauperes ſtudium oſtendit. Erat ſtudioſiſſimus florum, atque ad eam rem hortum, ædibus ſuis adjunctum, habebat, ubi plurimi ac lectiſſimi flores omni tempore anni conſpiciebantur; in quem ille, honeſtam ſibi aliquam animi remiſſionem quærens, interdum deſcendebat, eumque ſua fere manu colebat, ſerebat, irrigabat, ac ſteriles herbas eligens, repurgabat. hanc ille exercitationem, à domeſticis eccleſiæque ſuæ officiis, quæ ipſum detinuerant, dimiſſus, curationi corporis ſui adhibebat, ne inertia ſituque torpeſceret. Atqui hoc florum ſtudium, non multos abhinc annos, eſt invectum in Vrbem, ac multorum animos cepit. itaque & plura illorum nomina, quæ nunquam ante id tempus aures noſtræ acceperant, ſunt audita, ac variæ illorum formæ conſpectæ, quarum pulcritudo, cum recens noſtros perveniret ad oculos, eos mirabiliter tenuit. Verum adeo hac etiam in re eatenus progreſſa eſt quorundam cupiditas & ambitio, ut ſingulas florum quorundam cæpulas, unde illi prodeunt, centenis nummis aureis venire viderimus. etenim,

etenim hac etiam in re, ſicut in aliis, in quibus oculorum voluptas quæritur, evenire compertum eſt, ut, qui modus eſt cupiditatis, idem ſit æſtimationis. Sed paulatim procedente tempore, ut in Barclajo diximus, contigit, ut, quemadmodum mos eſt cæpularum omnium, cum terræ gremio comprehenſæ propagarentur, ac multiplices ex ſe fœtus effunderent, vilis earum fieret annona, quæque antea ab iis, quibus emtis illis opus fuerat, uno nummo minus aureis centum auferri non potuerant, obolo uno addicerentur. ita rerum ſunt viciſſitudines. In hoc igitur ſtudio aliiſque, de quibus diximus, cum Pompejus, ſumma cum laude, conſenuiſſet, illud eſt iter ingreſſus, quod neceſſario ſuſcipiendum eſt omnibus.

XXV. NICOLAVS MARIA MADAFFARVS.

CLariſſima ac nobiliſſima Conſtantinopolis urbe, Orientis totius, Imperii domicilio ac ſede, à Muhamete, Turcarum rege, crudeliter capta, interfectoq; Conſtantino, ejuſdem Imperatore, qui ſimulata mente, ut poſtea eventus docuit, tanquam veris rationibus victus, in Concilio Florentino, jam ſibi omnia cum Rom. Pontifice & Catholica fide convenire, palam profeſſus fuerat; capta, inquam, Conſtantinopoli, quidquid erat ibi literatorum hominum, Romam confluxit, omneſq; à Nicolao V ſummo Pont. ſunt humaniter liberaliterque tractati; & una cum aliis, quos invenerant, viris doctiſſimis literas Græcas, quæ annis ſexcentis, barbarorum in Italiam incurſionibus, tenebris ſituque obſitæ jacuerant, erexerunt, & in veterem dignitatis gloriæque locum reſtituerunt. cumque, ipſorum è Græcia diſceſſu, tota illa eruditiſſima olim natio Græce, docte eruditeque loqui ac ſcribere dediciſſet; factum eſt, ut Itali, Galli, aliique, Græcis ipſis, ſuperbiſſimis hominibus, Græcarum literarum magiſtri ac doctores exiſterent. Itaque, cum adoleſcentes Græci, ejus linguæ, in qua nati eſſent, quamque barbaries infuſcaverat, addiſcendæ gratia, in Italiam navigarent, multique eorum, ob inopiam, diſcederent penè diſcendo, Gregorius XIII,

XIII, Christianorum omnium pater amantissimus, misericordia & Catholicæ religionis zelo permotus, Romæ Collegium instituit, eidemque annua vectigalia large liberaliterque attribuit, quibus, ex omnibus Græciæ totius urbibus, literarum cupidi adolescentes, qui se Romam contulissent, alerentur; ac magnificum etiam templum, D. Athanasio sacrum, ædificavit, ubi diebus festis, suo more rituque, rem divinam facerent, ac demum intelligerent, eam Vrbem unicum orbitati illorum præsidium esse, cujus sacrosancti Pont. fuissent à majoribus ipsorum, summa cum arrogantiæ perfidiæque nota, neglecti, neque eo honore habiti, qui Petri successoribus, summisque rerum divinarum interpretibus, debetur. &, quo deinde in patriam, omni eruditionis genere plane cumulati, proficiscerentur, voluit etiam, ut magistros haberent, à quibus Latini sermonis elegantiam acciperent. quorum unus fuit Nicolaus Maria Madaffarus, Calaber; quamvis etiam ita Græce doctus esset, ut posset iis, qui in ea lingua voluissent eruditi, præesse. etenim Græcos nonnullos veterum Græcorum Patrum libros, non ante illud tempus à nobis inspectos, bene eos in Latinum sermonem vertendo, civitate Romana donavit, quos fortasse, rei familiaris angustiis adductus, typis mandare non potuit. Erat vir probus, eloquens, neque ex eorum numero, qui eloquentiam sitam esse putant in verborum cursu & copia, atque in inanibus sententiolarum floscułis, sed ex iis, qui irrisione atque etiam animadversione eam esse dignam orationem putant, quæ non rerum maximarum scientia & varietate redundet. Nihil illi, vel ab humanissimis literis, vel à Philosophia, vel à Theologia derat; neque earum scientiarum aditus tantum atque vestibula salutaverat, sed ad intimos earum recessus penetraverat; ideoque in publicis disputationibus, ad quas sæpe adhibebatur, in capiendo adversario acutus inveniebatur. Multas habuit orationes, in quibus non inelegans dicendi vis, cum sententiarum gravitate conjuncta, laudabatur. frequens erat Romanis in Academiis, ubi, præsertim ex iis, quæ in eos eruditorum hominum cœtus afferuntur, existimare de ingeniis hominum licet;

&

& in primis in ea, omnium aliarum celeberrima, quæ Humoriſtarum appellatur, recitare ſua carmina ſolitus erat; in qua etiam honeſtiſſimum illum conſeſſum, qui erat quaſi theatrum illius ingenii, voce erudita, diſertis allocutionibus ſæpe detinuit, eruditione doctrinaque pleniſſimis. Ob morum probitatem, nec vulgarem rerum divinarum ſcientiam, vocatus eſt in partem ſolicitudinis animarum; ac curiæ, ſive parœciæ S. Thomæ in Parione, præfectus eſt, Parochi nomine. in qua provincia adminiſtranda, adeo erat omni cura & cogitatione intentus, ut, omnibus ſuis utilitatibus commodiſque poſthabitis, æterniæ curialium ſuorum ſaluti prævorteret. Itaque confeſſiones excipere, præcipua Catechiſmi capita, pro captu audientium, exponere, errantes in viam redigere, collapſos attollere, cohortationes & admonitiones, atque etiam, ubi eſſet opus, objurgationes ſuſcipere, ab iis ſe abſtinere maxime vitiis in quibus alterum reprehendebat; denique, ejuſmodi ſe profiteri atque præſtare, cujuſmodi eſſe alios expoſceret. In ſermonibus, quos de rebus divinis habebat, acerrimus erat inſectator vitiorum, & in audientium animis aculeos quoſdam relinquebat. ideo perſæpe ab iis Sodalitatibus invitabatur, in quibus corporis verberationes, atque alia ejuſmodi veræ animi demiſſionis opera ſuſcipiuntur atque exercentur; ut, ſuis cohortationibus, Sodalium ſtudia incitaret incenderetque. Erat præterea prudens, in conſiliis dandis de re, quæ in conſultationem deliberationemque veniret. quo fiebat, ut in omnibus iis conſiliis adhiberetur, ubi de rebus ad Parochos pertinentibus ageretur, ac multa de ejus ſententia ſtatuerentur. At ſi diligenter in ejus vitam inſpicias, unum invenias, quod fortaſſe ad reprehendendum arripias; quod, animi cauſſa, poſtremis annis, quibus parœciæ illi præfuit, vineam habuerit; cujus cultura non minimam temporis ac ſolicitutinis noſtræ ſibi partem aſſumit; etenim, qui vult negotii vim ſibi parare, vineam comparet; quod fere res nulla negotii plus habeat. itaque, quidquid ab eo temporis, vineæ cultioni, & voluptati quam ex ea percipiebat, dabatur, totum provinciæ, quam adminiſtrabat, rationi commodoque eripiebatur.

batur. nam poterat fieri, ut interea, dum ille, agri excolendi ſeque oblectandi cauſa, ab Vrbe ac domo abeſſet, quemquam ex curialibus ſuis repentinus aliquis ac peſtifer morbus arriperet, cui eſſet neceſſe Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramentis animum expiare, & viatico, ad illud extremum tamque anceps iter, inſtruere, atque ille miſer, tam neceſſariis auxiliis ſupremo illo tempore deſtitutus, è vita diſcederet. At non erat ita magnum, inquies, aliquem relinquere, qui tantiſper accederet vicarius ejus muneri, quo ad ipſe reverteretur. Bene agis; at ſi liceat iis, quibus animarum regendarum partes incumbunt, in deſerendo grege, ſibi commiſſo, hac ratione uti, ſi ea illis procedat in numerum, jam omnes Epiſcopi diœceſes ſuas relinquant, onus, quod eos urget, in alios rejiciant, ipſi autem otio & tranquillitati ſe dedant; facile multi ſe offerent, doctrina ac rerum uſu præſtantes, qui oneri cervices ſubjiciant, illudque pro rei dignitate ac magnitudine gerant. at contra videmus, œcumenicis Conciliis, ſacrarum legum juſſis, interdum etiam minacibus, ſummorum Pont. edictis, Epiſcopis, minus ea quæ ad officium ipſorum pertinent proſequentibus, vim & neceſſitatem imponi, qua ſe ad Eccleſias ſuas conferant, neque injuſſi pedem ex earum finibus efferant, neve ad eas adminiſtrandas, ipſis recedentibus, adventicium requirant auxilium. Verum, Nicolao Mariæ Madaffaro, omne vineæ illius excolendæ negotium ac ſtudium ademit nova Bovenſis Epiſcopatus, tenuis ſane atque inopis, à Paulo V ſibi traditi, cura; ad quam ſuſcipiendam eſt coactus, ab Vrbe diſcedere. Et ſane mihi queri potuiſſe videtur, ſe non fuiſſe ornatum ex ſuis virtutibus, ſi, pro virtutum ratione modoque, ſemper honores mandarentur: nam, ſine dubio, majore dignus erat provincia. ſed neſcio quo pacto Epiſcopatus ille deberi videtur ſolis Parochis, iiſque è Calabria, qui Romam quotidie ad Paræcias capeſſendas confluunt. nam, quantum repetere memoria poſſum, poſtquam natus ſum, Epiſcopatum eum vidi ejus nationis parochis dari. Sed confeſtim, arbitror, ejus eum rei pœnituiſſe, ac, ſi res fuiſſet in integro, ac daretur optio eligendi, utrum vellet, multo

eum

eum magis optasse, suum illum Romæ agellum, quo tantopere delectabatur, nullius rei egentem, colere, quam infula, aliisque pontificiis insignibus præfulgentem, inter agrestes ac rusticanos homines vitam agere, è quibus nemo plane existeret, quicum communicare ea posset quæ docte excogitasset, atque in ea urbe versari quæ, profestis diebus, fere cunctis in opus euntibus, solitudinis cujusdam potius quam urbis speciem præ se ferret. Atque hanc fuisse causam puto, cur honore illo non ita multos annos frui potuerit; eoque magis molestia affectum, quod nec tantum ea ab Ecclesia sumeret, quo tueri dignitatem pontificiam posset.

XXVI. CHRISTOPHORVS BRONZINVS.

IN Piceni regione, quæ, in descriptione Italiæ, quinta à Plinio numeratur, & in ea parte quæ mare superum spectat, est oppidum Sciroli, ligneo Christi, cruci affixi, signo, summa & antiqua religione prædito, clarum, propter quod ab iis, qui Lauretanam ædem, religionis causa, adeunt, oppidum illud invisitur; nam alia visendi causa nulla est. In eo oppido natus est Christophorus Bronzinus, honestis parentibus, quorum genus, pro oppidi illius, non ita locupletis ac magni, ratione, honestum fuisse, illud est argumento, quod summo ab illis studio filius in pueritia doctus est, & in primis bene ac liberaliter educatus. qui cum satis à literis instructus Romam venisset, ut erat ingenio eleganti, ac moribus amœnis, quibus placere viris principibus posset, captus est aulæ cupiditate studioque; atque ad amicitiam accessit Euangelistæ Cardinalis Pallettæ, statimque in ejus familiarium numerum venit. erat enim vir ille princeps admirabili sagacitate, in odorandis pervestigandisque hominum ingeniis. itaque cum, primis illis congressibus, quædam in Christophoro ingenua atque elegans natura ipsi suboluisset, nulla ratione dimittendam eam esse occasionem statuit; atque sine ulla mora suam illi domum aperuit, & Caudatarii munus detulit. Habebat hoc Christophorus à natura sibi concessum, ut, quamcunque in partem se daret, brevi in ea per-

perfectus evaderet ; quamobrem, munus illud adeptus, ita ea, quæ ad illud bene gerendum pertinebant, intelligentia perceptum ac memoria comprehenſum haberet, ut reliqui, qui apud ceteros Cardinales eodem quo ipſe loco ac numero eſſent, exemplum ab ipſo, ad quod ſe fingerent, expetendum eſſe ducerent, &, ſi quid controverſiæ inter eos ortum eſſet, de iis, quæ ſuum ad officium pertinerent, continuo ad illum deferrent, ejus ſententiam exquirerent, &, quidquid ille ea de re ſibi videri dixiſſet, id non minus ipſis ratum fixumque debere eſſe ſtatuerent, quam ſi ex Apollinis ore prodiiſſet. Accedebat eodem, ut, cum frequenter pontificiis Sacris aliiſque Romani Pontificis functionibus intereſſet, minutiſſima quæque, quæ oculis acciperet, quæque à magiſtris cærimoniarum fieri animadvertebat, attente diligenterque notaret, & in palimpſeſto, quem ad eum uſum paratum habebat, referret, mandaretque memoriæ. quo factum eſt brevi, ut adeo cærimoniarum omnium peritus evaderet, ut poſſet etiam eos, in quorum eas, ut ita dicam, ludo didicerat, docere. omnium igitur conceſſu, ejus quam profitebatur artis, primæ illi deferebantur ; neque erat quiſquam, qui ſe eidem auderet anteponere. quod declaratum in primis tunc eſt, cum Carolus Cardinalis Mediceus Romam profecturus eſſet, ut ejus, qua fulgebat, inſignia dignitatis acciperet. nam cum omnium eorum officiorum rudis accederet, quæ præſtanda ſint Cardinalibus, tum inter ſe, tum Pontifici max. in Conſiſtorio, & in ſacris ſolemnibus ; fuit ſuorum omnium opinio, ut aliquis ei Caudatarius apponeretur, experiens ac doctus, à quo officii ſui admoneretur. cumque in conſultationem deliberationemque deducta res eſſet, non varie, ſed omnibus ſententiis, decretum eſt, neminem poſſe reperiri ad id munus aptiorem, quam Chriſtophorum Bronzinum. itaque Card. Mediceo traditur ; qui tanti ejus operam æſtimavit, ut ſecum Florentiam eum duxerit, ibique magiſtri cærimoniarum partes exequi voluerit, atque adeo liberaliter omnibus rebus habuerit, ut antea illum vita, quam voluntas eidem inſerviendi, defecerit. Nullis erat aulicorum vitiis oblinitus ; non ille inſidias aliis ſtruere,

non

non aliud clauſum in pectore aliud in lingua promtum habere, non furtim cujuſquam exiſtimationi detrahere, non commodis aliorum invidere, ſed neminem lædere, omnes, quibuſcunque rebus poſſet, opera, conſilio, ac re ipſa, juvare: neque facile inveniſſes alterum, qui amico magis amicus eſſet. Nihil in ejus moribus reprehenſione dignum reperiſſes, ſi unum tantum excepiſſes, quod erat nimis elegans muliebrium formarum ſpectator, eoque in univerſum fœmineum ſexum benevolentia ſtudioque ferebatur, ut in amicorum aliorumque conventibus, omnes ejus ſermones non alio, quam ad mulierum commendationem, revolverentur; ut etiam librum ediderit, quem Mulierum gloriam nuncupavit; in quo earum laudes ornate copioſeque in aſtra ſuſtulit. quod ab eo non cupiditate aliqua, ſed inconſiderata in illum ſexum benevolentia, factum exiſtimo.

XXVII. FRANCISCVS VISDOMINVS.

SEmper de cujuſque facultate, in aliquo artis genere, licuit judicare ex æſtimatione ac pretio, quo ille apud eos ſit, qui, omnium conceſſu, ejus artis antiſtites numerantur. Quod cum ita ſit, quis non fateatur, Franciſcum Viſdominum, etiam ſi ejus ſcripta non legerit, magnam ex epiſtolis, quas Cardinalium, quibus dabat operam, nomine ſcribebat, laudem commeruiſſe, cum ita à Ptolemæo Gallio Cardinali Comenſi, apud quem eo gradu multos annos fuerat, probatus laudatuſque diſceſſerit? Quis eſt adeo in rebus Romanæ aulæ hoſpes ac rudis, cujus ad aures, Cardinalis Comenſis virtus nomenque non venerit? At tantum illi nomen famamque confecerant ſcriptæ, ſummorum Pont. nomine ad Reges, Reſpub. provinciarum præſides, de rebus ad ſummam Rempub. pertinentibus, epiſtolæ: quæ etiam eundem ad illum honoris gradum, ad quem aſcendit, perduxerunt. Non levis res eſt neque vulgaris, epiſtolas, quibus arduæ res contineantur, ſcribere, ſed longe maxima ac difficillima. multis eſt opus virtutibus illi, qui hoc ſe facere poſſe profiteatur. mitto fidem & taciturnitatem, ſine quibus munus illud conſtare non poteſt;

mitto eloquentiam, cujus prima laus eſt, ſermonis puritas ac perſpicuitas, qua ſenſa mentis explicantur, quaque ſi careat oratio, quid ille, qui ſcribit, velit vel non velit, percipi intelligentia non poteſt; mitto, inquam, hæc atque alia multa: illi, qui præſtare in hoc laudis genere poſtulet, neceſſarium eſt ſummum ingenii acumen, cum ſingulari prudentia ac rerum maximarum uſu conjunctum. qua prudentia tantum Cardinalis Comenſis pluribus ſui ævi Cardinalibus anteire exiſtimabatur, ut, qui de re aliqua cum eo acturi eſſent, metuerent, ne ſatis ad eum parati meditatique accederent. itaque Clemens VIII Pont. max. vir ſapientiſſimus ac prudentiſſimus, in deliberationibus ſuſcipiendis vehementer cavebat, ne quid committeret, quod Cardinalis Comenſis jure poſſet reprehendere. Tale igitur tantoque viro, in ea arte in qua ille princeps habebatur, probatum fuiſſe, in ſumma laude ponendum eſt. Audivi de iis, qui ipſi vidiſſent, tantam fuiſſe in Cardinali illo diligentiam, ac tam acre judicium, ut epiſtolas, ſuo nomine à Viſdomino ſcriptas, antea legeret, quam iis mitterentur, ad quos dabantur; atque interdum ſolitum eſſe quædam in illis mutare, vel unum verbum delere atque ejus loco alterum ſubrogare; quæ tamen erant ejuſmodi, ut magnum lumen ac pondus illis literis adderent, atque magiſtrorum quorundam vim haberent, quæ iis, qui diſcendi cupidi eſſent, oſtenderent, ad quam formam dirigendæ eſſent epiſtolæ, quibus perfecta atque abſoluta judicii prudentiæque ratio ineſſet. Sed uſque adeo Cardinalis Viſdomino delectatus eſt, ac Viſdominus Cardinali uſus eſt benevolo, ut neminem illorum, alterius ſatietas ac faſtidium ceperit: uſque adeo, mutuum illud amoris benevolentiæque vinculum, quo invicem erant adſcripti, integrum inviolatumque permanſit, ut nulla vis alia, niſi mors Cardinalis, illud diſſolverit atque diremerit. At poſteaquam lumen illud conſilii, gravitatis, atque prudentiæ, deſiit nobis illucere, poſtquam tam eximium ampliſſimi Cardinalium Senatus ornamentum ac decus exceſſit è vita, voluit fortaſſe, tot laboribus egregie perfunctus procul à Repub. quietem atque otium ſequi; ſed prohibuit ipſa Reſpub. quæ non

eſt

eſt paſſa deſiderari à ſe egregiam ac tot in rebus perſpectam ejus viri virtutem. &, à multis expetitus, vicit tamen ceterorum ſtudia Cardinalis Tontus, potentiſſimus eo tempore, cujus ex arbitrio auctoritateque Paulus V Pontificatum max. adminiſtrabat. Sed ex his quoque vinculis expeditum, tandem Comum, ejus patria, recepit, ibique humaniſſimis his literis operam dantem vita defecit, epiſtolis ſuis antea editis.

XXVIII. EVCLIO IVRISCONSVLTVS.

HOmini parce parco, in nulla re alia occupato niſi in facienda cogendaque pecunia, nihil tam cavendum eſt, quam, ne honorum cupiditati aditum in animum ſuum aperiat. etenim nullæ res duæ ita inter ſe contrariæ ſunt, nullæ ita inter ſe vehementer atque acriter pugnant, ut parſimonia & ambitio. ubi enim hæc pedem fixit, inde illa altera ſuum referat neceſſe eſt; quodque quis, ſuum defraudans genium, comparſit miſer, ambitioni, extraordinariis ſumtibus, diſtrahendum diſſipandumque permittat. largiendum, convivandum, liberalius epulis indulgendum, rhedæ equique parandi, major familiarium numerus alendus eſt illi, qui honorum gloriæque ſtudio ducitur. Sed fit interdum, ut ea honorum capiendorum alacritas & fiducia parſimoniam, paulo ante pulſam, accendat ad pugnam, ut arcem animi, quam amiſerat, recuperare, ejuſdemque rurſus potiri conetur, nec inanem operam ſumat, ſed in veterem regni locum poſſeſſionemque reſtituat. Vt aliquot ante annos accidit in Euclione I.C. Hiſpano. Hic juvenis Romam ſeſe contulerat, ut ibi negotiaretur; hoc eſt, ut ex labore ſtudioque, quod ad res aliorum conferret, rem ſuam ſtrenue augeret. itaque, ut mos eſt eorum hominum, ſtatim clerici veſtem & ornatum accepit, cœpitque nonnullorum ſuæ nationis commiſſa ſibi negotia ſtudioſe diligenterque peragere: verum, ex mercede, quam conſequebatur, vix tantulum decerpebat, quod eſſet ad vitam parce ac duriter agendam ſatis; ſed quantum neceſſitatibus naturæ detrahebat, tantundem nummorum acervo, quem cumulare inſtituerat,

addebat. qui acervus cum jam satis ex sententia excreviſſet, ſtatuit, adveniſſe tempus, quo liberalius ſumtui genioque eſſet indulgendum. itaque famuli unius famulæque operas conduxit, & largius menſas cœpit inſtruere; ita tamen, ut ſingulis diebus, non amplius quam quinis obolis carnes, & binis olera ac poma, in cœnas ac prandia, coemenda mandaret. At cum ſæpe in potentiorum ædes ſe conferret, ut negotiis ſibi commiſſis operam daret, furtim, & tanquam per cuniculos, ejus in animum irrepſit ambitio; quod videret, iis præ ceteris honorem haberi, qui caudam traherent, quos vulgus Antiſtites vocat; ſtatuit, parſimoniæ, cui tanquam uxori, quo nullum eſt arctius vinculum, hærebat, nuncium remittere, eamque ſuas ſibi res habere jubere, ac novas cum ambitione affinitates ſocietateſque contrahere. Itaque dedit operam, ut ad eorum numerum adſcriberetur, quos aula Referendarios appellat, quique, niſi ſimul ſuperioris alterius ordinis munere fungantur, nigra tantum veſte utuntur. atque, ut eum, quem inſcenderat honoris gradum, pro dignitate tueretur, rhedam equoſque coëmit, circumpedes quatuor, qui ſe ſectarentur, mercede conduxit, ac varia veſte ornavit. Vſque illi ſumtus viſi ſunt Euclioni neutiquam graves, donec, amicorum ſalutationibus & adulantium gratulationibus inflatus, intumuit. at poſtquam favor ille, tanquam flatus, hominem defecit, quo elatus in altum fuerat, continuo, quaſi è cælo delapſus, decidit, tanquam in lutum, in memoriam ſordium antiquarum, in quibus olim totis veſtigiis hærebat. itaque in otio, quo ſua eum ambitio perduxiſſet, cum animo reputans cogitanſque, jam ſibi hordeum, fœnum, avenam, qua equos aleret emendam, circumpedibus quatuor mercedem, cibum, veſtemque præbendam, curandum ut equi unguibus ferro ſubactum haberent ſolum, laxiores ædes conducendas, ſumtuoſius menſam inſtruendam, aliaque ejuſmodi, quæ, omnibus fere horis, crumenæ animam intercipierent; hæc igitur ſedulo in animo verſans, ea moleſtia affectus eſt, ut ex ægritudine in morbum inciderit. Advocatur medicus; accurrit. at ille, qui naturam & conſuetudinem hominis noſſet, cui medicinam adhibere debe-

debebat, continuo, quo morbo laboraret, intellexit ; atque : Præsul, inquit, Reverendissime, gravis est hic morbus, ut video, qui te invasit ; nec longius abes à periculo. quamobrem magnopere tibi laborandum est, ex eo ut convalescas. Ita est, ut loqueris, ait ægrotus ; fer igitur opem ; equidem angor, crucior, differor doloribus, partem mihi viscerum abripi sentio. Medicus, qui, ex pulsu, carere eum febri, non ignorabat, risum tenere vix poterat ; atque : Bono, inquit, animo es jam ; reperisse me arbitror, quod bonam hujus morbi partem à te dejiciat ; missos fac duos ex iis famulis, quos circa te habes ; postridie revertar, ut videam, ecquid præsidii fuerit in hoc pharmaco, quod tibi propino. Ille, cui nihil tam erat cordi quam sanitas, non procrastinat, sed statim, ex medici præscripto, duorum hominum sumtu, hoc est, non minima se ægritudinis illius parte, levat. Revertitur medicus ; rogat, ut valeat, ut medicamentum illud eum juverit, quod jusserit sumere. Bene, respondet Euclio, sed non tamen se usquequaque ex sententia valere. Vin' tu, inquit medicus, huic stulto auscultare, neque medico amplius egere? Loquere, ait ille ; audio lubens ; nam nihil est, quod magis misere cupiam. Igitur, subdit medicus, reliquos duos famulos domo, quantum potest, abige, & mutare coloniam jube ; tum, auctione facta, equos, rhedam, & rhedarium quoque, ei, qui licitetur, addicito, atque ad veterem vivendi rationem, multo hac salubriorem, quasi postliminio revertere. At Euclio : O medicum singularem, exclamat, neque jam cum Hippocrate & Galeno comparandum, sed Æsculapio etiam ipsi & Apollini anteferendum ! ut ad intima ejus morbi penetralia se intulit ! ut rationem, qua illi occurri possit, invenit ! Vix biduum intercessit ab hoc sermone, quem cum medico habuit, cum, rheda equisque divenditis, & rhedario ac circumpedibus, qui tantum illi morbi creaverant, in malam rem jussis abire, domũ vacuam fecit, seque in perpetuum omni molestia dissolvit ; atque octo illos annos, quibus deinceps vixit, ita sano fuit corpore, ut sua causa nullus medicus, vel ramento saltem plumbeo, factus sit ditior. Humatus est in templo suæ nationis, prope sacrarium.

XXIX. MARCELLVS VESTRIVS BARBIANVS.

QVi ſummis in Repub. viris, & virtutum maximarum fama clariſſimis, aliquo cognationis nexu implicati tenentur, magnam ſibi ab eorum claritate vim attrahunt, vel ad vituperationem vel ad laudem. nam, ſi ſe ab illorum virtutibus longo intervallo disjunxerint, eorum improbitas fortaſſe jacuiſſet in tenebris; ſed ob luminis propinquitatem, cui adhærent, latere non poteſt, magiſque edito in loco atque perſpicuo collocatus, obloquentium ſermonibus, tanquam jaculis, patet. Ex contrario, qui cognatorum ſuorum, omni dignitate principum, ſimilitudinem imitatione perſequi ſtudent, id aſſequuntur, ut non ſolum ſua virtute clari exiſtant, verum etiam, ab illorum ſplendore, claritatis ac nobilitatis plurimum hauriant. Timotheum non propria tantum laus, ſed quoque accepta à patre gloria, quam, multis ille virtutibus auxit, nobilitavit. Africanus ille minor, cujus virtute Carthago, æmula imperii Romani, à ſtirpe interiit, nonne avunculi, imperatoris ſummi, rebus geſtis notior atque illuſtrior, omnium linguis ac literis celebratur? Sed nullus erit finis, ſi ſigillatim referre omnes placeat, ad quorum laudem, majorum commendatio plurimum influit. Item contrà infinitum eſſet, in eorum commemoratione verſari, quorum improbitas atque nequitia eo majore odio ac contumelia digna videtur, quo magis ipſis relictæ à majoribus, à quibus degenerarunt, gloriæ repugnat. Hinc laudatiſſimus antiquorum mos ille defluxit, ut viri nobiles, ſuarum ædium in atriis, eorum ex ſua familia virorum imagines depictas haberent, quorum nomen vel eloquentiæ vel Reipub. bene gerendæ laus, vel rei militaris gloria, memoriæ poſteritatis ſempiternæ mandaſſet; quæ imagines non ſolum commemoratione hominum & cognitione formarum delectarent, ſed poſteritatis illorum animos ad imitationem ſimilium factorum incenderent. Verum, inter eos, qui majorum ſuorum ima-

imagines, vel in tabulis pictas, vel in æs inciſas, vel in marmore inſculptas, ac magis in animo impreſſas habuerunt, ut illorum in ſe virtutes, imitando, effingerent atque exprimerent, Marcellus Veſtrius Barbianus, non poſtremum locum ac numerum obtinet. etenim Octaviani patris ſignum, affabre è marmore effictum, ſuo in cubiculo collocatum, ut ſæpius ipſemet vidi, habebat; credo, ut præclaris domeſticæ virtutis exemplis excitatus, ad illius ſimilitudinem ſe conformaret atque componeret. Natus eſt hic Octavianus Foro Cornelii (quamquã, ab origine ultima, ſtirpis Romanæ ſe diceret) nobili & honeſto inter ſuos loco. jus civile didicit; in quo adeo perfectus evaſit, ut Romæ, quo ſe contulerat, Iuriſconſultus in primis haberetur. ubi cum aſſidue in foro judiciiſque verſaretur, complures ſummos viros opera forenſi ſibi devinxit, & ad divitias pervenit. Sed uſque adeo ingenio, quo præſtabat, ac longo etiam uſu ac exercitatione, omnes Romanæ aulæ mores, ac fori jura, poſſedit, ut eruditiſſimum doctiſſimumque librum, de omnibus Vrbis magiſtratibus, ac de omnium judiciorum ratione, ſcriptum ediderit: in quo totius aulæ Rom. forma expreſſa conſpicitur; ut, qui ſit in ea rudis atque hoſpes, continuo, ejus libri ope, aſſequatur, ut penitus totam illam Rempub. noverit. Hic Marcellum filium genuit ex ſe, atque, pro ut ipſe erat ſtudioſus literarum, omnem, ad filium eruddiendum, laborem ac ſtudium contulit. nec inanis ejus fuit labor. nam in puero, præter docilitatem ingenii, ſummus diſcendi ardor perpetuuſque flagrabat. ſed erat in primis Latinæ eloquentiæ cupidus; in eaque, id quod ſibi ſummæ felicitatis loco tribuebat, magiſtrum habuit M. Antonium Muretum, omnium tum ſuæ tum multo etiam ſuperioris ætatis oratorum eloquentiſſimum. neque apud illum operam perdidit; nam, ſi non aliud, illud ſaltem ab eo diligens faciendæ expoliendæque orationis ſtudium arripuit, in quo ille excellebat, & in primis purum ac dilucidum ſcribendi quoddam genus, quod hodie à pleriſque vel negligitur vel, quia in difficili labore verſatur, quem maxima pars hominum fugit, deſperatur. Sed, quoniam patri ille erat unicus,

coactus est uxorem ducere, virginem nobilem Romanam, ex Rusticorum familia; quæ familia, mea ætate, ut de multis aliis contigit, Franciſci Ruſtici, ad quem unum redacta erat, morte interiit. ex qua uxore virilem ſexum ſuſcepit, quem ex parentis ſui nomine, Octavianum appellavit, omnium elegantiſſimarum artium inſtructu ornatum, quæ in nobilem virum conveniunt; adeo ut ne Muſices quidem eſſet ignarus; nam eleganter & fidibus & voce canebat, ac propter ejus artis ſtudium, quo adoleſcens mire tenebatur, omnes ejus ætatis modulandi facultate magiſtros arcta ſibi familiaritate conjunctos habebat, ut Lucam Marentium, Felicem Aneſium, Rogerium Ioannellum, alioſque. ſed cum, poſt mortem patris, propter divitias quibus præſtabat, illi liceret uxorem dotatã nobili genere ducere, ex qua liberos procrearet qui genus propagarent, maluit libertati, quæ, ſimul ac uxor pedem intro in domum fert, exulatum abire compellitur, quam poſteritati familiæ, conſulere. itaque, depoſito pallio gladioque, erat enim honorarius Calatravæ in Hiſpania miles, togam ſumſit, & ab Vrbano VIII, cujus, etiam tum Cardinalis, in intimam familiaritatem pervenerat, ejus in aulam exceptus eſt, & in amicorum numero habitus, quibuſcum requieſcere ſolitus erat, ſicubi eum ſatietas hominum & negocii odium ceperat: in eoque gradu, majora ſperans, eſt mortuus, ejuſque morte quæ illius fuerant bona, ad ſororem, quæ Romæ in cœnobio S. Annæ perpetuam Deo virginitatem dicaverat, lege redierunt. Sed ad Marcellum patrem revertamur, unde paululum digreſſi fuimus. qui cum plures annos cum ea, quam habebat, uxore egiſſet, & ea illum, ille vero eam tuliſſet, aſſecutus id eſt, quod mariti fere omnes miſere cupiunt, nec impetrant tamen, ut illa, ipſo ſuperſtite, domo foras efferretur. ſed, cum vegeta ac robuſta adhuc eſſet ætate, ac plures ipſi conditiones, quibus dos magna comes eſſet, objicerentur, nullam voluit accipere; tum aliorum, tum multo magis ſuo exemplo doctus, quantum ſit negotii in una muliere, quæ nunquam ſatis ornatur, nunquam ſatis expletur, quantæque incommoditates, ſumtuſque intolerabiles, dapſiles dotes,

con-

consequantur ; præsertim , cum satis sibi liberûm esset, quorum procreandorum causa maxime uxor expetitur : sed aulam sequi , & fortunam experiri constituit. quæ statim ab initio vultum illi alacrem ac lætum expromsit. nam traditam à Gregorio XIV Pont. max. earum epistolarum , quæ Brevia appellantur , scribendarum provinciam accepit. Neque parvo atque vulgari , sed magno ac peculiari , ab eo affectus beneficio est , magnumque de sua ipsius virtute judicium factum. nam nemo ad id officiū admittitur, nisi fide & industria cognita , quod magna in eo juris civilis & pontificii notitia requiritur, & quod necesse est , multorum magnorumque in Repub. consiliorum eum esse participem. Quod munus eo illi gratius accidit , quod eloquentiæ declarandæ facultas obtingeret. nunquam enim , quamvis re uxoria implicitus , Latine scribendi usum exercitationemque dimiserat ; qui usus est illi necessarius in primis , qui recte tueri id munus efflagitat. quem locum honoris non solum tenuit apud Gregorium , quoad ille vixit , verum etiam apud Clementem VIII , annos , quibus vixit , omnes. novissimo tempore apud Paulum V eidem muneri præfuit ; quo Pontifice, primis fere pontificatus illius annis, vivere desiit. Fortunam adversam nunquam expertus est , nisi semel in una ex sororibus, nobili viro nupta , quam , rumor emanaverat, parum honeste pudicitiam habere. sed id fortasse fama magis quam re ipsa valebat. Verum ille , bonæ existimationis cupidus , quique à suis non solum flagitium , sed flagitii suspicionem abesse debere existimaret , usque eo commotus est, ut illam , quoad rumor ille , sive verus sive falsus , evanesceret , non in aliquam nobilium sacrarumque Deo virginum domum, quod proclive illi fuisset, includendam , sed in meretricum conversarum claustra rapiendam condendamque curaverit ; neque , amicorum cognatorumve precibus exoratus , adduci potuit, ut cum ea rediret in gratiam, vel ea saltem vincula, in quæ , ejus jussu, conjecta fuerat , solvenda mandaret. Erat in eo judicium acre , ac prudentia non vulgaris , sed quam quasi veteratoriam diceres. adeo ut Clemens VIII , cum eum ad se venientem aspiceret ;

Vulpes adeſt, diceret, nos paremus ad cavendum. Habebat aliquot circa ſe canes, quibus vita erat, ſua ipſorum opera ad eas literas, quas Brevia vocari diximus, procurandas, clientibus mercede locata; quibus quia ad ſua negocia utebatur, omnia, quæcunque poſtulaſſent, impetrata reddebat; idque volebat eſſe mercedem laborum ac ſolicitudinum, ſi quas pro ipſo capiebant. atque erat ſuſpicio, multa eum ipſis, tanquam à Pontifice impetrata deferre, de quibus ne mentionem quidem cum illo feciſſet. ac Clemens VIII, qui hominis fidem ſuſpectam habebat, die quodam, manifeſto in flagitio ſe deprehenſum eum habere exiſtimavit. nam cum breve quoddam ab eo, ſuo annulo obſignandum, accepiſſet, in quo neſcio quid, nemini antea conceſſum, continebatur, elatus ira: Si iſtuc, inquit, eſt à me datum, nihil moror, quin ſuſpenſus inteream. Sed Veſtrius, nihilo commotior factus, domum accurrit, ac ſupplicem libellum retulit, Pontificis ipſius manu ſubſcriptum, in quo Petri Cardinalis Aldobrandini, fratris filii, honoris gratia, beneficium illud, poſtulanti, deferebat. Quo inſpecto, Pontificem, tantum capiti ſuo mali ſe gratis deprecatum fuiſſe, pœnituit. Videbatur Cardinalatus honoris cupidus; ad quem aſcendiſſet, niſi aquæ inter cutem morbo ſubreptus antea fuiſſet. Poſt cujus mortem, legi ego paginam, ſuo chirographo ſcriptam, in qua familiam totam ordinabat, mihique, ac Fabio Sergardio affini ſuo, epiſtolarum ſcribendarum partes aſſignabat. Habuit ſemel orationem ad S. R. E. Cardinales, cum, ſubrogandi Pontificis cauſa, conclave ingreſſuri eſſent; quæ extat; eaque non tam verborum ſententiarumque luminibus, quibus enitebat, placuit, quam actione, quæ fuit in eo ſingularis.

XXX. ANSALDVS CEBA.

LIgures, ac Genuenſes, in primis Liguriæ totius principes, nullis Italicarum regionum atque urbium hominibus, ingenii præſtantia judiciique acumine, cedere, præclara ingenia, quæ inde provenerunt, oſtendunt. multi enim numerari à nobis poſſunt, partim in ſcriben-

benda hiſtoria, partim in poëtica facultate, partim eloquentiæ fama, illuſtres. Sed plures ſemper, quam neceſſe eſſet, earum urbium decori ornamentoque, à literarum gloria ad lucri cupiditatem & cogendæ pecuniæ ſtudium abſtraxit; tanquam ſi Rebuſpub. ſit honeſtius, cives ſuos divitiis affluere, quam virtutum laude præſtare. quod longe ſecus eſt: nam divitiarum gloria, fluxa atque fragilis eſt, virtus clara æternaque habetur; ac multo præſtat, unum in civitate eximium doctrina virum, quam multos divites eſſe. num Colophoni, Chii, Smyrnæ, Salaminæ, exiguum hominum locupletiſſimorum numerum fuiſſe exiſtimamus? immo plures erant, nec, divitiis, iis inferiores, qui hodie Picos auro ſuperare creduntur. at nunquam inter eas civitates certamen fuit de divite aliquo, qui opum magnitudine ceteris anteiſſet, ſed de Homero acriter vehementerque pugnatum eſt ſemper. unaquaque enim earum civitatum, eum ſibi vendicabat, repetebat, ſuum eſſe aſſerebat. Magna omnino vis eſt virtutis ac ſplendor, præ cujus claritate, ceterarum rerum lumen, tenebrarum inſtar videtur habere. Quod intelligens Anſaldus Ceba Genuenſis, quamvis generis nobilitate, quamvis formæ dignitate, quamvis opibus ac potentia, nemini ſuorum civium eſſet inferior; nam ex ſuis majoribus aliquot Rempub. Genuenſem, Ducis honore ac nomine, adminiſtraverant: tamen generoſa quadam contumacia, à magnitudine animi ducta, contemſit divitias; pecuniæ faciendæ occaſiones, quarum magna ſe copia dabat, omiſit; æqualium ſtudia, ludos, jocos, convivia, magna ex parte deſeruit; ac totum ſe poſſidendum literis tradidit, eo labore ac contentione animi, ut nulla quies, nulla remiſſio, ab illis abſtraheret; ut etiam inde ea corporis ægritudo manaverit, quæ uſque ad exitum vitæ obſeſſum atque irretitum eum tenuit. Semper doctum aliquod carmen, vel philoſophicum quidpiam, ex Ariſtotelis vel Platonis diſciplina deſumtum, meditabatur; & uſque adeo in attenta harum rerum cogitatione defixus hærebat, ut neque, domo exiens, & in publicum prodiens, ab eadem deſerereretur. nam fiebat interdum, ut pileo caput tegere, ac pallio humeros onerare oblivíſceretur,

retur, neque antea, se iis carere, animadverteret, quam, ab aliquo salutatus, vellet salutem mutuam reddere. nam, manum ad caput adducens, inane à pileo illud esse comperiebat. Multa, adolescens, ut fit, amatorie scripsit, sive ætatis sive cupidinis æstu abreptus, quæ deinde, paulo natu grandior, cum sese jam etiam odisset, emendavit atque correxit. nam aliis hymnis odisque editis, plenis gravitatis pietatisque, quæ minus caste religioseque scripsisset, occultanda atque ex omni memoria evellenda curavit; si tamen assequi potuit, quod voluit; nam melius ac facilius in agro inhærent ac succrescunt inutiles ac steriles herbæ, quam salubres ac fertiles. Totum se deinde tradidit ad Ester, poëma sacrum componendum; quod etiam feliciter absolvit atque edidit. sed cum illud deinde in Cardinalis Auriæ, Archiepiscopi Panormitani, judicantis arbitrium venisset, multa sunt inventa in eo, quæ titubare viderentur. videlicet, quod multa in eo continerentur absurda, quæque à communi hominum sensu abhorrerent. quam ille accusationem, literis ad Cardinalem, cujus ille delinitor esse debebat, arrogantibus sane verbis, scriptis, est resolvere conatus. quarum literarum exemplum placuit hoc loco subjicere.

Cardinalis Illustrissime. Poëtæ magni, quos sine furore esse posse, Democritus negat, sunt excusandi, si, eo impetu, penè à sensu mentis abstracti, quædam interdum efferant, quæ incredibilia & irrisione digna existimentur, ut, apud Sophoclem, in Trachiniis, Deianira, Nessum Centaurum, ait, homines ab una fluminis ripa ad alteram manu traducere; quod est intelligendum, nullis velis remisque adhibitis. idem etiam Sophocles in Tragœdia, cujus nomen est Electra, eandem Electram, Chrisotemi sorori, nescio quid secum afferenti, quod patri sacrificaretur, imperantem inducit, ut illud, quidquid erat, in pulvere alte defossa abstruderet, aut ventorum in gremio. ubi Scholiastes Græcus: Verbum, inquit, abstrudendi, sive celandi, apte congruenterque pulveri convenit, non autem ventis; quamobrem aliud extrinsecus est addendum, quod minime à ventis abhorreat; cujusmodi illud esset, ventorum in sinu auferen-

ferendum aſportandumque depone. id quod etiam Homeri, poëtarum principis, auctoritate confirmat, cum dicit, arma equoſque jacere. jacere enim, eſt quidem proprium armorum; equorum autem (niſi, ſi dormiant) ſtare. quocirca, ſubintelligendum illud eſt verbum. Quapropter, me judice, magnis hominum ingeniis, quibus quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas, ſi quid audacius dixerint, non eſt vitio vertendum, ſed potius ſuſpiciendum, vel aliquod tanquam myſterium habendum, quod vulgus imperitorum noſſe vel aſſequi intelligentia non poſſit. Adde, quod interdum contemnere, nec ſingula ſingulis reddere, argumentum eſt magis, furoris magnificentiâ, commoti elatique in altum animi, quam hominis, ignorantiæ tenebris obſiti. Quamobrem ſine me remigio veloque in altum capeſſere, neque in eo offendaris; & quamvis fortaſſe minutos inter poëtas enumeres, patere me in præſentia, magnorum præſidio fultum, elabi, eumque, quem, ſervos tuos inter, locum mihi dediſti, tuere, atque defende. Carignani.

Cui epiſtolæ, Cardinalis in hæc verba reſpondit: Non fuit igitur alienum à ratione, genus illud dicendi in dubitationem vocare, quod inſolens & abnorme eſſe, fateri cogamur, cujus tuendi gratia ad ſummorum poëtarum auctoritatem ſit confugiendum, quodque furoris poëtici, qui tranſverſos homines, nempe de recta via, agit, excuſatione defendatur. & ſane loci poëtarum, quos te magiſtros habere dicis, mirifice ad rem, de qua ambigitur, faciunt. verum, illud animadvertendum eſt, cum, in Trachiniis, Neſſus Centaurus dicitur manibus homines flumen trajicere, non remis navigando vel velis, trajiciendi verbum apte convenit, tum velis remiſque tum manibus. utroque enim modo flumina trajici poſſunt. itaque hæc dicendi ratio non mihi videtur eam inconvenientiam habere, quam habet illa, quæ narrat, quendam decem millium viam iſſe pedibus, non equo equitando, neque navigio. nam poteſt quidem aliquis ire navigio, non autem equitare. quid enim commune habet equitandi ratio cum navigatione? mitto, quod remis remigare, idem eſt quod remis ferri; ſed additur,

tur, remigando, quo res magis explicetur ; ut cum dicimus, verbis aliquem loqui. Ad Electram quod attinet, narratur mihi, magis eam esse verborum sententiam, ut Chrisotemi imperetur, ut id, quod ferret, in ventis constructum ac reconditum haberet, aut in pulvere, non autem, quemadmodum tu ipse vertis, vel in pulvere vel in ventis. ita enim sequeretur, ut non statim venti suum sibi verbum vindicarent, sed post pulverem. Mitto illud, quod ventis celandum quidquam tradere (quod tum fit, cum ab illis dissipatum atque dispersum, è conspectu hominum evolat,) non est ita novum (pace Scholiastæ dixerim,) nec Virgilio visum est tale, qui etiam nova magis ratione, de eo qui urbem relinqueret, ait, quo longius ab ea recederet, eo etiam illam magis abscondere. Postremo, non me latet, Homerum in Iliade Vlyssem à Dolone quærentem induci, ubinam Hectoris equi armaque jaceant, quo, etiam dicendi genere, nisi memoria me fugit, usus est alibi. sed ajunt, jacendi verbum, ut, Eustathius est auctor, in duplici significatione versari ; neque solum, jacere, eum dici qui fusus sit humi, sed illud etiam quod uspiam sepositum sit atque reconditum. idem fere tradit Budæus, qui hújus verbi nomine, situm, in quo aliquid collocetur, designari confirmat. Quamobrem, ni fallor, exempla ista, in quorum castra, tanquam ad petendum auxilium, confugis, tuum remorum inflatum nihil adjuvant ; nisi si illud, quod quispiam inusitatius & enormius dixerit, argumenti sumendum sit loco, vel præstantioris illius in arte poëtica facultatis, vel meæ inscitiæ, quorum utrumque libenter dedero, neque repugnabo. Quæ cum ita sint, infla, per me, tuo arbitratu vela remosque ; nunquam enim in eo offendar ; sed dabitur mihi existimandi locus, ubi tuus iste flaverit ventus, omnem in scribendo licentiam habituram esse vim legis.

Vtrius oratio propius ad veritatem accedat, non hujus est loci definire ; sed mihi videtur uterque pugnare pro nugis, ac velitari inter se, quemadmodum est in veteri proverbio, *de lana caprina*. verum, utut sese res habeat, illa Ansaldi epistola, aliquanto liberius scripta, illi fraudi fuit. nam data est opera, ut poëma ejusdem,

jam

jam editum, è manibus hominum eriperetur, atque inter libros prohibitos referretur. neque alia ejus decreti causa afferebatur, nisi quod historiæ sacræ veritatem mendaciunculis multis contaminasset. neque, ad flectendum rigidum irati hominis animum, quidquam illi suffragatum est jus poëtarum atque potestas; qui poëtarum nomen tueri non possunt, nisi vera argumenta inventis suis augeant atque ornent.

XXXI. IO. FRANCISCVS PERANDA.

VEtustissimum epistolarum scribendarum usum, utilitates multæ, eæque maximæ, consequuntur. etenim, earum beneficio, fere omnium quæ ubique, etiam in ultimis orbis terræ regionibus geruntur, certiores efficimur, amicorum benevolentiam conservamus, novas amicitias conglutinamus, veteres instauramus, eos, qui cordi in primis cari sunt nostro, ut parentes, liberi, fratres, cognati, amici, quamvis, longo à nobis intervallo disjunctos, adimus, amplectimur, alloquimur, consolamur, salvere jubemus; ea, quæ coram ne efferamus, prohibet metus aut pudor, epistola omni penè metu ac rubore soluta, non titubanter, neque perplexe, sed audacter diserteque profundit; quæ illi mandata committis, alacriter excipit, diligenter custodit, fideliter explicat. Ac propter tam magnas utilitates & commoda, quæ ab ea percipiuntur, factum est, ut omnibus fere seculis, summus illi honor tributus sit, magnoque in pretio habiti sint, qui tantum munus præstare potuerint, ut scite eleganterque epistolas scriberent. quorum hominum, magna semper paucitas fuit. quot enim sunt ex iis, qui epistolas ediderunt, quos æquo animo legere possimus? M. Cicero, apud antiquos, ut ceteris in rebus, quibus studium suum dedisset, fuit omnium facile princeps. secutus est Plinius junior; cujus similitudinem multi assequi imitatione conantur. ac multa post secula, cum nullum jam veteris eloquentiæ vestigium appareret, enituit Symmachus, qui unam scribendi laudem putavit esse brevitatem. avorum proavorumque nostrorum memoria, Cardinalis Papiensis, singulari judicio ac sapientia

tia vir, magnam in ſcribendis epiſtolis conſecutus eſt laudem; ſunt enim gravitatis prudentiæque pleniſſimæ. paulo ſupra noſtram ætatem Epiſcopus Bajuſæ & Io. Guidiccionus, Foroſempronii Epiſcopi, floruerunt, quorum epiſtolæ, Italica lingua conſcriptæ, feruntur in cælum. nec minorem ſunt gloriam adepti, Iacobus Sadoletus, ac Petrus Bembus, Cardinales; quibus auctoribus, penè priſtinus Latinæ eloquentiæ honor eſt redditus. Quid igitur cauſæ eſſe dicam, cur in ea re, quæ communi hominum ſocietati eſt adeo neceſſaria, in qua omnes fere quotidie elaborant (quotus enim quiſque eſt, qui non cuipiam neceſſe habeat literas dare?) tam pauci, non dicam admirabiles, ſed, ſi verum fateri liceat, tolerabiles inveniantur, niſi rei quandam magnitudinem ac difficultatem? nam quo loco poſita laus eſt, omnis ſemper ad eum aditus arduus atq; difficilis extitit; ideoque quam minime multis illuc perveniendi facultas atq; animus adfuit. multis enim & multigeneribus opus eſt illi virtutibus, qui hanc tantam ſpe laudem animoq; complectitur. primum dum eſt opus ingenio, opus judicio, multis opus literis, opus eloquentia, opus rerum maximarum uſu, opus in primis acerrimo exquiſitoque judicio. At noſtra memoria magnum, in ſcriptoribus epiſtolarum, nomen habuit Io. Franciſcus Peranda; de cujus facultate licet exiſtimare ex libris epiſtolarum, quos edidit. at illi ingenii acuendi & exercendi facultas & occaſio non defuit. etenim Henrico Cardinali Cajetano navavit operam, ab epiſtolis; qui Cardinalis, ob honores quos gerebat, ob munera quibus fungebatur, ob nobiles illas legationes quas obivit, nullam fere horam, vacuam à negotio potuit ſumere; quarum occupationum multitudinem in eum erat redundare neceſſe, quem conſiliorum omnium participem eſſe voluerat. erat enim Henricus, non ſolum Cardinalis, cujus ordinis hominibus nunquam ſolet negocium deeſſe, verum etiam S. R. E. Camerarius, civitatem Bononiæ, legati nomine, adminiſtravit, profectus eſt deinde in Galliam, hoc eodem titulo, turbulentiſſimis illis ejus Regni temporibus, cum, Henrico III occiſo, Rex Navarræ, arctiſſimo illi cognationis nexu devinctus,

ſed

sed tum temporis simulans, se esse à Catholica religione sejunctum, quia ita sibi facto opus erat, Regnum illud, tanquam sibi debitum, occupare studebat: ubi Cardinalis eas res gessit, quæ, Romam perlatæ, à concionatoribus, in suggestis, miris in cælum laudibus efferebantur. quæ Sixtus V graviter ferens, & aliorsum, atque ab ipsis dicebantur, accipiens, concionatores illos comprimi jussit; in quibus fuit Bartholomæus Blondus, Soc. Iesu; qui postea, vulgi judicio, primum tenuit concionatorum locum. Postremo, ad Regem Poloniæ, maximis de rebus, à Clemente VIII legatus est missus; quam legationem scimus fuisse magnificentissimam; nam, præter circumpedum gregem, varia indutum veste, præter magnum honestissimorum hominum numerum, qui eum, honoris gratia, sectati sunt, præter ingens auri & argenti pondus ac preciosam supellectilem, quibus se rebus instruxerat, magnam vinorum præstantissimorum vim, tota Italia exquisitam, secum avehendam exportandamque curavit; quo hominibus illis longe gratissimum fecit, qui non utuntur vino nisi importato, *ac regio illa ferret piper & thus ocius uvâ*; quod vinum, non solum in conviviis, quæ quotidie agitabat, large copioseque profundebat, verum etiam omnibus, quantumvis multibibis atque merobibis, exhiberi jubebat, qui ædes suas adirent, ut ventrem proluerent; unde cum madidi exirent, exclamabant: O virum principem, vini potentem! O regiones Italiæ felicissimæ, quæ boni tantum effertis! quis non optaverit, se in ea Italiæ parte ubi optima vina gignuntur, sepultum esse, quam hic in patria vivere! Iamque sua illis cervisia, præ illorum vinorum præstantia, nautea erat; neque eam poterant amplius aspicere. Interea Cardinalis Henricus non cessabat Perandam, cujus opera quantæ sibi esset utilitati ornamentoque, sentiebat; non cessabat, inquam, pecunia ac muneribus sublevare, ejusque rem, quod poterat, augere. cujus amplificandæ materiam dabat Camerarii provincia, quam sustinebat. atque ad divitias perveniisset, si sciisset uti foro, neque id, quod dabatur, maluisset perdere, quam conservare. etenim quantum à domini in eum benignitate prodibat, tantundem,

& eo amplius, refundebatur in eos, qui ex veteris Romæ ruinis ſigna, vel marmorea vel ænea, ſi quæ eſſent, aut alia egregiæ antiquitatis monumenta eruerent. quod negotium cum aliter illi cecidiſſet atque opinatus fuerat, nimirum tetre infeliciterque, factum eſt, ut rurſus in eum ſe inopiæ locum detruderet, unde eum Cardinalis conatus erat extrahere, immo rem eo reduceret ſuam, ut bonis elaveret. Erat præterea optimorum librorum ſtudioſus in primis, in quibus tota Vrbe exquirendis comparandiſque, nulli neque labori neque ſumtui parcebat. quorum unus, longe ſibi cariſſimus, quem, diu expetitum, vix tandem invenerat, (ut Gabriel Bombaſius, ejus amicus, mihi narrabat) ſimiæ cujuſdam opera ſive aſtu, pene corruptus totus interiit. erat hæc ſimia Cardinali in amoribus ac deliciis, quæ lepidos de ſe ludos iis, qui paululum oblectare ſe vellent, omnibus dabat; ſed die quodam, cum vincula, quibus erat conſtricta, rupiſſet, totas ædes vaga luſtraverat, ac demum, ne capi poſſet, ita ſe occultaverat, ut nulla cujuſquam diligentia reperiretur. aberat tum domo Peranda; in quam cum multas poſt horas ſe recepiſſet, ac lumen afferri & cubiculi ſui fores aperiri juſſiſſet, ſimiam offendit; quæ, ne otioſa ibi ſederet, ex atramentario goſſipium, multo imbutum atramento, extraxerat, eoque ſingulas ejus libri paginas infecerat, turpiterque fœdaverat; quod ubi factum eſt palam, ceteris, ad quos nihil ea res pertinebat, riſum, illi autem, qui ſciret quanti librum emiſſet, quamque cordi carus eſſet ſuo, cordolium exhibuit. At vir hiç, quamvis egregius, non potuit effugere, quin ad eundem ſcopulum navim offenderet, ad quam aulici fere omnes ſuam impellunt; nimirum ut inſigni aliqua calamitate, tanquam fabulam vitæ, concluderet. At quonam fato fieri dicam neſcio, ut, qui propter aſſiduitatem, diligentiam, fidemque, quam dominis ſuis præſtant, propter illorum auctoritatem & gratiam, propter illuſtrium virorum amicitias quas in aula contrahunt, meliore conditione deberent eſſe quam ceteri, eorum præ ceteris vita, fortunæ jaculis pateat. etenim vel bonorum naufragium faciunt, vel in renium, vel in artuum, vel in veſicæ morbum

bum incidunt, vel in nosocomium aliquod, naturæ debitum reddunt. quamquam hæ illorum infortuniorum causæ possint afferri: primum, bonorum naufragium, quod sæpe aulici incurrunt, ut dominis rem gratam faciant, qui domini familiares suos fere pulcra veste, quam ingenio bono, esse ornatos malunt; itaque illi, præter quam res ipsorum patitur, studeant elegantiæ: deinde, adversæ valetudines, quod, dies noctesque, horam fere nullam, operæ ac laboris vacuam, habeant, ut dicto audientes sint dominis; qui, æquum an iniquum sit quod imperant, non cogitant. Sed Perandam, præter egestatem, ea calamitas oppressit, quæ omnem ab animo voluptatem ac lætitiam abigit; videlicet cæcitas, ut Tobias senex Raphaëli Angelo, in humana figura, perpetuum ipsi gaudium precanti, non incommode respondisse dicatur: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video?* At ille tantum infortunium ita æquo hilarique perpessus est animo, ut, tanquam ea delectaretur, jocos facetiasque continere non potuerit; eas tamen facetias, quæ serium aliquod ac grave significarent. Nos, ex omnibus, quæ facete jocoseque dixit, unum tantum eligemus; unde appareat, quantum id, quod ceteri summum fere malum putant, ipse contemserit ac pro nihilo duxerit. Finxit, in actis Parnassi (nam Trajanus Boccalinus, in illis componendis, eo adjutore præsertim est usus,) finxit, inquam, missum fuisse Romam ab Apolline unum, collyrium nescio quod ferentem, quo si oculos Peranda inungeret, amissum lumen recuperaret; ac Perandam, primum nuncio delectatum fuisse, tum illum rogasse, num melius cum rebus humanis ageretur, quam antea esset, quam ipse aspectum prorsus amitteret; cumque accepisset, nihilo meliore, immo deteriore, eas loco inveniri, tum Perandam dixisse: Quid mihi igitur opus est oculis? nempe ut ea videam, quæ ne aspicerem, oculos effodi mihi juberem? ergo maximas Apollini gratias ago habeoque; sed collyrium istud nihil moror. Atque hanc animi constantiam alacritatemque ad extremum usque spiritum conservavit.

XXXII. GREGORIVS PORTIVS.

FElix illa virtus ingenii, qua olim, docta Græcorum natio, unde omnis vis eloquentiæ, omnium disciplinarum inventa, emanarunt, cunctis orbis terræ gentibus longe multumque anteceſſit, etiam nunc in iis elucet, quos ex illis regionibus, quondam florentibus, nunc temporum injuria, quaſi adverſis tempeſtatibus, afflictis ac perditis, Romam, tanquam ad aliquem portum, naufragos appuliſſe conſpeximus. Meminimus, Io. Matthæum Caryophylum, Petrum Arcudium, Io. Demiſianum, alioſque, quos invida mors, celerius quam rei literariæ expediret, ſumma cum laude in omnium doctrinarum genere fuiſſe verſatos. Nunc vero oculis noſtris cernimus Leonem Allatium Chium, qui ad ornamentum hujus ſæculi, ad ſplendorem literarum, ad aperiendum veritatis lumen, cui lucis inimici tenebras conantur offundere, ad eccleſiæ Romanæ defenſionem, contra improbos hæreticorum conatus, denique ad omnia ſumma natus, propter excellentem ſingularemque Græcæ Latinæque eruditionis ſcientiam, videtur mori nunquam debere. Atque in iis, qui deceſſerunt, immortali dignus memoria eſt Gregorius Portius, qui patre Græco in Italia natus, ſtatim ab ineunte ætate educatus eſt in Collegio Græcorum, Romæ à Gregorio XIII, Chriſtianorum omnium, Eccleſiæ filiorum, patre amantiſſimo, fundato. eruditus eſt in literis humanioribus à Io. Demiſiano, Græcæ linguæ eloquentia diſertiſſimo; quamvis ille poſtea Græcis literis non multum operis ſtudiique tradiderit; quod intelligi poteſt ex iis, quæ, ſi quando opus erat, Græce tum ſoluta oratione tum verſibus ſcripſit; ſunt enim omnia, inepte, inſulſe, ineleganterque conſcripta; ſed omnem ſolicitudinem atque laborem in Latinis dictionibus collocaverit. Cur autem Græcis literis Latinas antepoſuerit, cauſæ, ni fallor, poſſunt afferri veriſſimæ duæ; primùm, laudis gloriæque ſtudium, cujus erat avidiſſimus; etenim majorem ingenii eloquentiæque laudem ſe poſſe adipiſci putabat, ſi in Academiis, ubi frequens aderat apud eos qui eſſent

essent Græcæ propemodum linguæ expertes, Latine „ ornate eleganterque loqueretur, quam si sermones suos minus polite elaboratos, Græca lingua scribentium dictis sententiisque referssset; que dicta aut essent interpretanda non sine magno aurium fastidio ac satietate, aut sine explicatione relinquenda, nulla auditorum cum utilitate fructuque. altera Græci sermonis despiciendi causa fuit rei familiaris inopia, qua laborabat; quærebat enim ingenio suo aliquem sibi regem ac dominum adipisci, à quo è solitudine & egestate eriperetur. itaque, non quascunq; academias, ingenio suo dignas, aut satis rebus suis pauperculis aptas, existimabat, sed eas tantum, ubi plures purpurati Patres adessent; cujusmodi erāt eæ, quæ in ædibus Andreæ Cardinalis Deti, atque Mauritii Cardinalis à Sabaudia, celebrabantur. Interfui ego, cum, in Academia Cardinalis Deti, memoriter recitaret poëmata duo, unum de Pithecusa insula, multitudine simiarum, poëtarum fabulis, inclyta; alterum, de Scacchicæ ludo; quo argumenti genere lusit olim elegantissime M. Hieronymus Vida Cremonensis: quorum operum ratio, & verborum ac sententiarum splendore erat illustris, ac poëticum in homine ingenium inesse declarabat. verum, quidam in eis versus, pedum vitio, claudicabant; quod facile in iis contingit, quos ingenii celeritas incitat, nec limæ labor ac mora retardat. Orationes aliquot habuit in Sacello Pontificio, ac duas præsertim, feria IV in capite jejunii, quas ille hoc titulo inscripsit: *Orationes in diem, quo sacra cinericia celebrantur*; quibus magnam apud omnes laudem meruit. ac prima, in Æde D. Sabinæ in monte Aventino habita (ibi enim eo anno Paulus V, una cum S. R. E. Cardinalibus, solemnibus Missæ sacrificiis interfuit) tantum habuit commendationis, ut Scipio Cardinalis Burghesius, ejusdem Pauli Pont. sororis filius, in aulam illi suam aditum aperuerit, & quotidianum cibum attribuerit. quæ oratio, tum per se ipsa placuit, erat enim elegantissima sententiarumque plenissima, tum multo magis ex actione, qua præstabat, omnium in se admirationem excitavit. illa enim, ut veteres omnes scriptum reliquerunt, qui eloquentiæ præcepta tradiderunt, in agendo una dominatur; illa

clamores & admirationes in iis, in quibus cernitur, facit; illi merito Demosthenes primas, secundas, ac tertias, detulit; illa tantam vim habet, ut eadem oratio, alia esse videatur, auctore mutato. quæ actio, cum tribus præsertim ex rebus constare dicatur, oculis, voce, gestu, tria hæc adeo in eo erant illustria, ut sola, sine alia eloquentiæ laude, eloquentissimi cujusque disertam ac copiosam orationem obscurare posse viderentur. Sed antea quam in Burghesii clientelam ac domum perveniret, nuper è Collegio Græcorum, curriculo studiorum suorum exacto, egressum, Iulianus Dux Cæsarinus suam in domum excepit, ac benigne & liberaliter omnibus in rebus habuit. Illud vero ferri non poterat, quod in circulis, in amicorum conventibus, jactabat, interdum etiam, fidei facieudæ gratia, lacrimas exprimens, se, in postremis Cardinalium comitiis, à Paulo V habitis, fuisse designatum Cardinalem, ut amplissimo illi Collegio, Theologum aliquem, quo genere hominum illud egeret nunc maxime, suppeditaret; qui Pontifex, sive ut familiæ suæ opes augeret, sive quod ita crederet, sive quod re vera ita esset, sibi persuasum habebat, neminem esse eo honore dignum, nisi, qui sororis filio navaret operam famulus: sed tantum sibi bolum fuisse ereptum, ajebat, ab ipsomet Card. Burghesio, qui ceteris ex sua familia, ejus honoris cupidis, Stephanum Pignatellum, quem suis omnibus consiliis intimum semper habuerat, anteferebat, atque etiam Garziæ Cardinalis Millini opera factum, ut Burghesio gratificaretur, qui Card. tum apud Pont. multum auctoritate & gratia pollebat. At mihi, qui tum eram aulicus, ac curiose omnes aulæ rumores colligebam, erat deridiculo. primum, nunquam ille Theologiam, ne à limine quidem, ut est in proverbio, salutaverat; atque, si tum actum esset de aliquo, theologica facultate prædito, ex familia Pontificis in collegium Cardinalium cooptando, quis non illi anteponendum esse dixisset, vel Gasparem Pallonum, Basilicæ Vaticanæ Canonicum, ac Pontifici ab arcanis principum virorum Latinis epistolis, & generis nobilitate & doctrinæ laude & secunda perpetuæ probitatis fama conspicuum, vel

Æneam

Æneam Caſtellum, ſummum ejuſdem Pont. Eleemoſynarium, ac Theologum egregium ? Deinde, non eſt eundum inficias, illis comitiis, ampliſſimo Patrum purpuratorum ordini, theologum aliquem fuiſſe quæſitum; ſed de honore illo Deſiderius Scaglia, cauſarū fidei generalis Commiſſarius, cum Hyacintho Petronio, ſacri Palatii Magiſtro, contendebat. hi enim, ex Dominicana familia, obtrectabant inter ſe. ſed vicit Scaglia, ſuffragante Card. Millino, homine, ut diximus, his temporibus potente, ideo quod magno ſibi uſui eum fore putaret ad Pontificatum max. ſuo tempore obtinendum. Sed, quantum opinionis ſuæ errore homines decipiantur, oſtendit eventus. nam, in ejus, quem affectabat, contentione honoris, nullum majorem habuit adverſarium. At Gregorius Portius, quamvis de tanta ſpe, Cardinalis Scipionis opera, ut ipſe querebatur, ejectus, non tamen, poſt Pauli V è vita diſceſſum, eum deſerere, atque aliam fortunam experiri voluit ; ſed in ejus aula permanſit ; eoque etiam mortuo, alterius Cardinalis Burgheſii familiæ numerum auxit ; quo etiam extincto, ad ſuos lares ſe recepit, cœpitque ſuo, ut dicitur, veſperi vivere. quod, cum minus ipſi ex ſententia ſuccederet, inopia cogente, coactus eſt, ſenex, ex Card. Cornelii domo cibum petere, eique ſuas operas non ita magna mercede locare. apud quem deinde ex fiſtula, cum fluere ea deſiiſſet, interiit. In aleæ ludo, uſque adeo fuit felix, ut maximas ex eo pecunias ſibi confecerit, quibus elegantiſſimam, & Cardinalitia propemodum magnificentia dignam, ſibi ſupellectilē confecit, ac præterea eam argenti, tum puri tum cælati, vim comparavit, ut fictilia omnia vaſa faſtidiret, neque aliis patinis, niſi argenteis, pranderet atque cœnaret. ac raro inventus eſt pauxillulum aliquod nummorum amittere, cum ipſe alios contra omni ære dirueret. Verum, tam pretioſa ſupellex, tanta vis argenti, benefacti, in malam rem abiit. nam fit plerumque, ut, per hanc rationem partum, male diſpereat. Denique eo inopiæ redactus eſt, ut, ad æs alienum, quod contraxerat, diſſolvendum, & ad vitæ munia ſuſtinenda, neceſſe habuerit, non vulgarem bibliothecam, magno emtam, parvo divendere:

neque jam aliqua ſibi ſpes lucri erat in alea; ſiquidem jam expertus fuerat, quam mutabilis eſſet fortuna, qua aſpirante, colluſores ſuos argento emunxerat, tunc autem ab eis, à marſupio inanis, diſcedebat, neque, ab ingenio in ſpem aliquam divitiarum & commodi vocabatur; cujus amor neminem fere unquam divitem fecit. Multa poëmatia, alia ab aliis ſeorſim edita, reliquit; quæ, ſi in unum corpus conferrentur, juſti voluminis formam efficerent.

XXXIII. BERNARDINVS BISCIA.

MVltos hæc ætas, in qua verſamur, Iuris civilis ſcientia peritiſſimos habuit, quorum etiam formas ingeniorum (quamvis non omnium) quod in nobis fuit, deformatas, Pinacothecæ noſtræ mandavimus. verum, in Bernardino Biſcia, quem merito dicere poſſumus, non ſuæ modo ætatis, ſed multarum etiam ſuperiorum, fuiſſe ejus artis antiſtitem, ea fuit Iuris civilis ſcientia, ea iis, qui conſulendi gratia ad eum veniſſent, in reſpondendo prudentia, ut doctrinæ ſuæ fama, è toto orbe terrarum ad ſe omnes alliceret, qui in rerum maximarum cauſis, de jure civili, controverſias haberent, atque non ſolum is eſſet, unde ſibi omnes ſui cives, quemadmodum apud Ennium gloriatur Pythius Apollo, conſilium expeterent, ſed etiam ad quem populi, ac Reges omnium maximi, rerum ſuarum incerti, confugerent, ut ejus ope ex incertis certi diſcederent. Erat ille tum paterno tum etiam materno genere clarus. matrem enim habuit Laudomiam Bracalonam, Ioannis Bracaloni filiam; ejus, inquam, Ioannis, qui olim apud Tranum ſeu Trajanopolin, una cum Ioanne Capotio & Hectore Iuvenali, civibus Rom. nobiliſſimis, aliiſque decem fortiſſimis Italis, glorioſo certamine, Romanorum Italorumque cauſam ſuſcepit defenditque, contra eorum arrogantiam ſuperbiamque, qui, bellicæ virtutis gloriam à Romanis Italiſque ad ipſos tranſiſſe, affirmare non dubitabant, idque armis ſe eſſe paratos oſtendere. accepta conditio eſt, ac tredecim ex Italis, totidemque ex aliis, qui Italos præ ſe contemnebant, electi; fœ-

fœduſque ictum, ut ea natio, cujus electi ad eam pugnam homines, victi diſceſſiſſent, bellicæ virtutis laudem gloriamque, illorum, à quibus ſui ſuperati eſſent, nationi concederent. itaque ſex ac viginti illi juvenes, tum ſuo marte feroces, tum adhortantium vocibus ad pugnam accenſi, in medium prodeunt; ſigno dato, infeſtis armis concurrunt; ſumma vi ac viribus pugnant; denique, ut Deus voluit, Italorum ſuperat manus, omneſque adverſarios ſuos, præter unum, qui in certamine percuſſus conciderat, vinctos, ante ſe ducentes, magna cum gloria, ac fauſtis omnium acclamationibus, ſua in caſtra victores reverruntur. Ab hac indole profectus Bernardinus, cum fortaſſe potuiſſet, ſi profectus eſſet in bellum, majorum ſuorum virtuti par eſſe; attamen, præſtantiſſimum ingenium à bellicis laudibus ad literarum ac præſertim Iuris civilis ſtudia traduxit, maluitque, in pacis ociique artibus, omnibus præſtare, quam in bellicis exercitationibus multos pares habere. Acerrimo erat judicio, & incredibili prudentiæ vi præditus. nam ab eo, qui ſuam ad ipſum cauſam deferebat, edoctus, ſtatim acutiſſime, quid cauſa poſtularet, & quid judici probandum eſſet, intelligebat, atque, omiſſis ceteris argumentis, in eo hærebat, ac defixam ſuam cogitationem habebat. atque id erat cauſæ, cur in conſiliis dandis non ita multis verbis uteretur. nam paucis ea verſibus deſcripta continebantur; ſed, pauci illi verſus id à judicibus impetrabant, quod multæ aliorum paginæ aſſequi non poterant. neque mirum. etenim, cum omnibus in rebus, plus uno vero eſſe non poſſit, eo perſpecto, ſi ſit, qui illud explicare dilucide poſſit, minime multis verbis eſt opus. At viris ſimplicibus, iiſque, qui de aliorum facultate, non tam ex virtute, qua præſtant, quam ex inani verborum volubilitate, ſi quam habeant, judicant, videbatur aut indoctus, quod ab aliis verborum rerumque numero ac copia vinceretur, vel, ſi ita erat doctus, ut vulgi erat opinio, avarus atque malignus, quod ea, quæ apud ſe ſepoſita ac conſtructa haberet, ne mercede quidem accepta, auderet ad aliorum uſum utilitatemque proferre. Atque, in iis qui in hac opinione hæſerunt, fuit vir quidam, minime malus, qui

cum in Vrbem veniſſet, ut litis cujuſdam moleſtia ſe expediret, qua implicatus tenebatur, rogavit, quiſnam, in civitate, juris conſultiſſimus omnium haberetur, cui patrocinium ſuæ cauſæ poſſet tuto committere; atque audivit, Bernardinum Biſciam eſſe, cui primæ, omnium fere conceſſu, deferrentur. arripuit ille, neque quidquam ſibi faciendum prius exiſtimavit, quam ut hominem adiret, ſeque ſuamque cauſam in ejus fidem patrociniumque rejiceret. venit, hominem convenit, cauſam ſuam exponit, ita aperte atque dilucide, ut deſiderari non poſſet planius, atque conſilium ad rem ſuam aptum expoſcit; tum nummos aliquot aureos profert, quos mercedem illi eſſe voluit laboris ac moleſtiæ, quam ſuſcepiſſet. Bernardinus, tota cauſa ex illius narratione cognita atque perſpecta, quo erat ingenii acumine, ut diximus, ſtatim, quid controverſiam faceret, vidit, &, ſumto in manus calamo ac pagina, in eaque, ſecretis ac remotis iis quæ eſſent leviſſima ac parum utilia, pauca quædam exaravit, ad controverſiam illam dirimendam firmiſſima ac validiſſima; atque homini: Cape, inquit, & legenda hæc judici trade; nam ſtatim ſua tibi ſententia litem adjudicabit. ille accipit, gratias agit, abit; ſed vix exiit è cubiculo foras, cum paginam illam aperit, exiſtimans, longa oratione, cauſæ defenſionem ſuæ ſe eſſe in ea viſurum; at ubi comperit, vix quatuor verſibus totam ſuam cauſam peroratam atque concluſam, revertitur triſtis, ac: Cape, ait, à me nummum alterum aureum, & plura iis, quæ à te ſcripta ſunt, adjice. cumque Bernardinus, nummum illum aureum recuſans, otioſo eum eſſe animo imperaret, quod tantum ibi eſſet ſcriptum, quantum ad cauſam obtinendam ſufficeret; ille, in eadem ſententia perſeverans, nempe vilitatem mercedis eſſe in cauſa, cur Bernardinus à ſcribendo deterreretur: Video, ait, me tuam operam deputaſſe parvi precii eſſe; en, ad ſuperiorem, alterum nummum aureum addo; &, ſi plures requiris, plures dabo; quæſo, operæ ne parcas tuæ, totam iſtam paginam imple, mihique animum exple. at tandem Bernardinus, quid ille metueret, intellexit; ac ridens: Abi ſis hinc, inepte, cum tuis nummis; pauca iſthæc, quæ tu contemnis, ſi judici oſten-

oſtenderis, cauſam tibi expeditiſſimam dabunt; non enim multa, ut tu opinaris, ad vincendum valent, ſed ea tantum, quamvis pauciſſima, quæ cauſæ proſint. credidit ille, judici ſcriptum, ſibi datum, quo cauſæ ſuæ defenſio, non ita multis verbis comprehenſa, continebatur, exhibuit, ab eoque ſententiam, cujus erat in primis cupidus, abſtulit. nec mora, totus redundans hilaritate & gaudio, ad agendas Bernardino gratias, rediit. Diximus antea, maximis eum in rebus atque graviſſimis, Regibus, atque ampliſſimis viris navare operam ſolitum. itaque, die quodam, cum ex Patribus purpuratis quidam, arctiſſima cognatione Regi cuidam adnexus, cui neſcio quid negocii ex animi ſui ſententia contigerat, illac rheda vectus tranſiret, ubi Bernardinus habitabat, eumque innumera fere hominum multitudo, officii gratia, ſectaretur, è rheda caput protulit, ac Bernardinum feneſtræ incumbentem aſpexit, illico rhedarium juſſit rhedam ſiſtere, ac magna voce, ita ut omnes, qui aderant, audirent: Sciſne, ait, conſiliis noſtris eum, quem optabamus, exitum contigiſſe? eademque opera, totum illud negocium, quod ſibi lepide ſub manus ſucceſſiſſe gloriabatur, expoſuit. tum ſummo eum opere rogavit, ut ſecretum illud, quod ſibi commiſerat, in latebras abſconderet pectore penitiſſimo. cui Bernardinus: A re quidem, inquit, nullus tibi metus eſſe poteſt; nam, quod apud meum animum depoſueris, ſalvū ſemper indidem, cum volueris, auferes; ſed quæſo te, iſtuc idem huic hominum multitudini, quæ te circumſtat, præcipe. Plures ex ſeſe liberos reliquit, tum virilis tum fœminei ſexus; in his Lælium Biſciam, qui poſtea ab Vrbano VIII in Cardinalium Collegium eſt cooptatus, ob ejuſdem in Rempub. merita, quod Cameræ Apoſtolicæ Clericus, annonam, totamque rem frumentariam, quibus provinciis multos annos præfuerat, ſumma cum laude adminiſtraſſet: denique, tanta prudentia, in his duobus muneribus graviſſimis difficillimiſque gerendis fuit, ut hodie, nullo fere negocio, illæ regantur ab aliis, Lælii inſtitutis ſervandis & quaſi veſtigiis perſequendis. Sepultus eſt in Æde D. Franciſci, ad Tiberis ripas, ante aram maximam, à majoribus olim ſuis ex-

extructam ; quam etiam aram una cum ejus hemicyclo, antea quam fieret Cardinalis , inſtauravit , ornavit , ac ſacris precioſiſſimis veſtibus auxit ; exædificavitque ſcalam, cujus gradibus ad cellulam aſcenditur , qua vir ille ſanctiſſimus uſus fuiſſe dicitur , dum in Vrbe verſaretur.

XXXIV. CRESCENTIVS SACCARDVS.

PVlcherrima atque amœniſſima artium elegantiſſimarum ſtudia, plures , quam utile fuit Rebuſpub. à graviſſimis diſciplinis, ac præſertim à Iuris civilis ſcientia, qua civitates gubernantur, abductos, in ſui amorem abſtraxerunt. neque ſatis illis fuit , interdum , à revolvendis Iuriſconſultorum libris , in quorum tractatione, voluptatis minimum , laboris plurimum ſolet eſſe , defeſſis , quaſi colligendi ſui gratia , in humaniſſima illa ſtudia , tanquam in hortos , omni florum herbarumque varietate excultos, ſeſe conferre ; ſed ea amœnitate pulcritudineque percepta , avocantes ſe à ſenatu, à curia, à foro, decreverunt, ibidem habitare, quieſcere, otioſam refertamque deliciis honeſtiſſimis vitam exigere, & iis, qui vellent , Reipub. bene gerendæ laudem gloriamque relinquere. In hunc numerum referendus eſt Creſcentius Saccardus ; (quamquam Reipub. quam aliqua ex parte attigit, adminiſtrandæ , ut videbimus , laude non caruit.) Hunc Auſculi honeſto genere natum , Brunus Saccardus parens, prout ipſe amabat literas, (erat enim medicus non poſtremus , in iis qui morbis medentur ,) celeriter puerile filii ingenium magiſtris excolendum tradidit. ac, quibus in locis, tum Grammaticam, aliaſque artes , quibus puerorum mentes fingi ad humanitatem & virtutem ſolent , tum etiam Ius civile didicerit, referremus, niſi majora potioraque haberemus. At Bononiæ, Collegii Montis alti alumnus, Iuris civilis, magiſtri ac doctoris nomine, docendi interpretandique auctoritatem eſt conſecutus : ſed continuo cum ea diſciplina , quam , tanquam uxorem , ſibi conjunxerat , divortium, ut ita dicam, fecit , ac totum ſe ad humaniſſimas literas tranſtulit , ad quas naturali quodam impetu

fere-

ferebatur, in eoque ſtudio, ingenio uberrimo affluens, longe multumque profecit. Scribebat plura, tum ſoluta oratione tum verſibus; ſed in ſoluta oratione, ad quam à natura erat mirabiliter factus, longe melior atque præſtantior inveniebatur; in eaque magno eſt apud eos, qui eum noverunt, in honore ac gloria. quamobrem, ſuæ ſibi facultatis conſcius, ad ſcribendas pro ſummatibus viris literas, animum appulit. ac primo, annos natus ſex & viginti, Philippo Segæ, ſumma doctrina & eruditione Antiſtiti, qui tum Beneventanam Rempub. prætor adminiſtrabat, navavit operam ab epiſtolis; eundem poſtea locum tenuit apud Mileti Epiſcopum; tum idem munus, pari modo, proſecutus eſt apud Alexandrum Guidiccionum, Lucæ Antiſtitem. atque ab his, tanquam per gradus, aſcendens, pervenit in aulam Petri Card. Aldobrandini, à quo eaſdem ſcribendarum epiſtolarum partes accepit; quas quia egregie Cardinali præſtabat, & quia ille, ejus operam privatis ſuis in rebus magno ſibi uſui eſſe, intellexerat, voluit eandem publicis etiam in rebus experiri. Erat Petrus Card. Aldobrandinus gazæ Pontificiæ præfectus, quem Rom. Eccleſiæ Camerarium vocant. itaque illi arcana earum decimarum negotia credidit, quas Paulus V ex omnibus eccleſiaſticorum bonorum redditibus detrahendas perſolvendaſque mandaverat. in quibus negotiis pari cum fide ac diligentia verſatus eſt; ac per hanc rationem, dici quodam modo poteſt, partem eum Reipub. aliquam attigiſſe. Cardinali Aldobrandino vita functo, non eſt paſſa ejus opera torpeſcere, ſed à Gregorio XV traditus eſt Hieronymo Aguccio, qui tum arcanorum omnium de Repub. ſummæ præerat, ut illi eſſet ad manum, conſiliorum omnium particeps; quem in locum nemo admittitur, niſi fide & induſtria cognita. qualis autem quantuſque vir eſſet Aguccia, ingenio, eruditione, prudentia, ac rebus agendis, ſupervacaneum eſt dicere, cum res ſit omnibus nota atque teſtata. Cujus ingenio adeo Creſcentius delectatus eſt, ut eundem, ab Vrbano VIII Nuncium ad Rempub. Venetam miſſum, ſit ſectatus, nec prius deſeruerit, quam illum vita defecerit. &, cum eſſet Venetiis, inſigne in Aquilejenſi eccleſia ſacerdotium,

tium, quod Canonicatum appellant, ab Vrbano VIII ultro ſibi delatum, accepit; nec diu tenuit, ſed reſignavit, eoque ſe exuit. nec eſt prætereundum, quod illud ibi probitatis, ingenii, prudentiæ, aliarumque virtutum, quibus florebat, lumen exhibuit, ut Marcus Cornelius, Epiſcopus Patavinus, magnis præmiis ad ſe vocatum attraxerit; magis id adeo, ut amicorum, quam ut ſervorum numero ac loco, haberet. Magnus tanti viri honos jucundior Creſcentio fuiſſet, ſi diuturnior eſſe licuiſſet. etenim, ut ex longo difficilique, quo erat implicitus morbo, ſe expediret, fuit coactus, Patavio diſcedere, ac perſequi Vrbem. in quam vix intro pedem intulit, nondum recuperata valetudine, cum expetitus eſt, honorificiſque ſtipendiis invitatus in domum ſuam ab Hippolyto Cardinali Aldobrandino, ipſius meritorum optime conſcio. qui, quo amoris exiſtimationiſque loco apud ipſum eſſet, & vivus multis ipſe rebus oſtendit, & in morte declaravit. nam ducentena ſingulis illi annis, quoad vita ſuppeditaret, ſcuta teſtamento legavit; ac viſus eſt etiam, ſuum erga illum amorem ſtudiumque in Io. Georgii fratris ſui filiam, una cum hæreditate tranſmittere; quæ per aliquod eum tempus domi ſuæ retinuit, ut fideli atque opportuna ejus opera, non tam in epiſtolis ſcribendis, quam in conſiliis, de rebus ſuis, ſibi dandis uteretur. atque ea fuit hominis, in omnibus lectiſſimæ præſtantiſſimæque fœminæ negotiis ſedulitas ac diligentia, ut nulla illi in re opera conſilioque defuerit, uſque eo, dum per valetudinem licuit; qua ſemper infirmiſſima uſus eſt. quæ cum in dies decreſceret, accreſceret labor, de medicorum ſententia, placuit à natalis ſoli cælique clementia auxilium expetere; quod reliquum iis ſolet eſſe remedium, quorum exulatum abiit ſalus. Ac, ne omnis plane eſſet expers operæ atque laboris, à Cardinali Gabriellio, Epiſcopo Auſculano, ſubrogatus eſt in locum demortui cujuſdam, ſuæ Cathedralis Eccleſiæ, Canonici, ibique ſummo in otio & tranquillitate, ſuo muneri ac valetudini operam dabat. cujus muneris functio, quo, affecta jam ætate homini, minus gravis ac moleſta contingeret, traditus illi eſt ſocius atque adjutor, qui, cum eſſet

opus,

opus, labori ſuccederet. Vrbanus VIII interim, fato ſuo funĉtus eſt, & Innocentius X pro eo in id faſtigium receptus. itaque rerum omnium commutatio conſecuta, & Io. Iacobo Card. Pancirolæ, arcanorum omnium ſumma commiſſa; qui, Creſcentii fidei, virtutis, induſtriæque fama commotus, magnis pollicitationibus, (ut fit, cum rei cujuſpiam cupientes ſumus) tanquam ſocium ac conſortem honeſti & glorioſi illius laboris, ad ſe illum advocat. credit homo ſimplex ac probus; advolat; neque vana ſpe ductus ad credendum impellebatur. ætas enim acta, capillus albus, longus rerum maximarum uſus, majora etiam iis, quæ ſibi promittebantur, poſcere videbatur: ſed non editiori ſe eſſe poſitum in loco, invenit, quam in quo annos antea viginti fuerat; niſi quod & ſenilis auctoritas, ac propria ac ſingularis virtus, perficiebat, ut ejus opera, ceterorum induſtriæ anteponeretur. quo factum eſt, ut graviora cum eo negotia communicarentur, ac Pancirola morbis impedito, ad interiora de Repub. conſilia, tum coram Pontifice, tum aliis, admitteretur. ac quorundam fuit opinio, quemadmodum, virtutis præſtantia, magnam Principis benevolentiam conſecutus eſſet, non minorem eum etiam aulicorum quorundam invidiam excepiſſe, quo facto illos, ad eum laborum onere opprimendum, conſenſiſſe. quæ res feliciter illis ſucceſſit. nam annos natos unum & ſexaginta, ſuæ curriculum vitæ confecit; magis laudibus, communi bonorum omnium conſenſu, ſibi delatis, cumulatus, quàm, externis honoribus opibuſque, ſive fortunæ ſive hominum malignitate ſibi detractis, ornatus. Erat omnibus comis, benignus, humanus, omnibus in rebus inſerviens amicis, niſi fides vel religio prohiberet; nihil cuiquam denegabat, quod in ſua eſſet manu, tribuere; ſi quid autem poſtulabatur, quod ſuis eſſet viribus majus, eum oculis, voce, vultu denique, animi dolorem præ ſe ferebat, quod non poſſet illorum poſtulatis occurrere; ut, qui rogaverant, amiciores ab eo diſcederent, quam ſi, quod voluerant, impetraſſent.

XXXV. IACOBVS CICOGNINVS.

PVlcherrimus elegantiſſimuſque, jam inde uſque ab antiquiſſimis temporibus, ut eſt omnium fere eruditorum opinio, mos viguit, ut tragœdiæ, eclogæ, aliaque ejuſmodi in ſcenis poëmata, à muſicis, ad tibiarum chordarumque ſonum agerentur & canerentur. verum, hæc tam erudita tamque elegans conſuetudo, multis jam ſeculis intermiſſa, atque in oblivionem adducta, plane perierat; neque inveniebatur quiſquam, qui eam auderet, tamquam exſtinctam, revocare in lucem, atque in theatrorum ſcenarumque celebritate, unde fuerat exacta, reponere; credo, quod arbitraretur, ejus, qua nunc utimur, muſicæ rationem ſuis conatibus reſpondere non poſſe; quæ ratio longo intervallo infra eam dicitur relinqui, quæ Damonis aut Lampi aut Dionyſii aliorumque hujus notæ muſicorum florebat. Sed quid non poteſt, in hominis, alto excelſoque animo prædiți, pectore, laudis gloriæque cupiditas? quæ enim laus tam arduo tamque difficili poſita loco eſt, ad eam obtinendam, egregiam multorum inſignium muſicorum acuit ingenia. atque Florentiæ, (etenim, in ea civitate, præſtantiſſimorum in omnium virtutum genere artificum abundanti, hoc primo tentari cœptum eſt) Æmilii Cavalerii, patritii Romani, Iacobi Perii Florentini, Mantuæ Horatii Vecchi, Romæ Dominici Mazocchii, ac Virgilii fratris, aliorumque, quos ego prætereo, quod eorum nomina, ad meam notitiam non pervenerunt; qui variis temporibus, dramata modulati ſunt, quorumque egregia, in reperiendis lepidis, concinnis, neque ante id tempus auditis modis, deſudavit induſtria. Neque minor illuſtrium poëtarum ardor ac ſtudium illuxit, qui, in iis poëmatibus, quæ eſſent ad fidium tibiarumque cantum agenda, concinnandis, ſummam dederunt operam, ut eos verſus facerent, qui modulatorum artificio atque aurium voluptati ſervirent. cujuſmodi fuerunt, P. Auguſtinus Mannus, vir ſanctiſſimus ac religioſiſſimus, è Congreg. Oratorii; qui animi & corporis de veris voluptatibus comparandis habita inter ſe conſilia,

silia, cum hinc mundi illecebræ, illinc ratio ac Dei metus instarent, deduxit in actus ; Octavius Rinuccinus, qui Daphnin, Eurydicen, Ariannam, feliciter docuit ; Octavius Tronsarellus, qui cathenam Adonis, & Abundium Abundantium, spectandi copiam fecit ; Respigliosus, vir ingenio, eruditione, & amplissimis in Repub. muneribus gerendis longe clarissimus, qui dum Vrbanus VIII Pontificatum maximum tenuit, varia poëmatum optimorum genera, tum sacra tum profana, quæ non est enumerare necesse, Cardinalibus Barberinis, ac Thaddæo, germano eorum fratri, lepide concinneque composuit : denique Iacobus Cicogninus, de quo agimus in præsentia ; qui longum & insigne dramaticum carmen, in solemnibus ac celeberrimis Michaelis Peretti, Venafrani Principis, & Annæ Mariæ Cæsiæ nuptiis, versibus dulcissimis & ad fidium vocumque cantum accommodatissimis, scripsit ; quod splendidissimus ac liberalissimus ille vir princeps, infinito propemodum sumtu ac regali magnificentia, populo spectandum præbuit ; ad cujus oculos nunquam antea tantæ rei amœnitas pulcritudoque pervenerat. Erat etiam Iacobus I. C. & causarum patronus, non infacundus, vel potius qui verborum copia alios obrueret. aliquot etiam oppida, cum potestate prætoris, administravit. exercuit etiam inimicitias cum Andrea Salvadore, ex mulierum contentione susceptas ; quod Andreas mulierculæ cujusdam esset cupidus, quam domi suæ Iacobus habebat, cujusque potiundæ causa noctu ille per tegulas, in Iacobi domum sese demitteret ; cujus dolor injuriæ eum impellebat, ut maximum acerbissimumque adversus Andream odium conciperet, &, ad persequendas suas contra ipsum injurias, acriter vehementerque compelleret. Obtrectabant etiam inter se, ut est mos eorum, qui eandem artem exercent, quod Iacobus inique pateretur, in scribendis versibus, & in omni poëtica facultate, anteponi sibi Andream. Lingua utebatur celeri & incitata. multus in eo jocandi lepos, multæque facetiæ. cavillator festivus, conviva commodus, in communi amicorum consuetudine usuque hilaris ; jucundus, affabilis ; nisi quod interdum obliviscebatur, suæ orationis justam partem

perſequi, & ſuam aliis, quibuſcum erat, relinquere. Sed his omiſſis, omnino inerat illi præſtans, amœnum, ac poëticum plane ingenium. neque ſibi defuit, ſed illud ad poëticæ facultatis ſtudia contulit, ab ejus præſertim linguæ notitia, in qua natus erat, impulſus, quæ verborum uſu & copia bonorum, pulcherrima & eruditiſſima omnium, quibus nunc Itali loquuntur, habetur: neque injuria, ſi tamen excipias quendam, qui in ea reſonat ac recinit, vocis ſonum; qui, cum non recte & preſſe & æquabiliter, ſed aſpere, hiulce, crebroque in guttur incidens, ex ore fundatur, minus auribus gratus, atque etiam in quibuſdam, qui incorruptam illius antiquitatem conſervant, ridiculus accidit. qui ſonus, atque alius quivis, qui peregrinitatem aliquam redoleat, nunc plane à Romanis civibus abeſt; in quibus eſt omnis urbanitate quadam quaſi colorata oratio; in qua, præter pauca quædam verba, Romanæ Vrbis propria, quæ jam penè obſoleverunt, nihil offendi, nihil diſplicere, nihil ſonare aut olere peregrinum poſſit. In ſua igitur lingua, quæ venuſtate elegantiaque ceteris, ut diximus, præſtat, plura ab eo leguntur ſcripta dulciſſime; neque, cum fere ab omnibus ejus opera expeterentur, aliquod illi pretium avare conſtituit, ſed cunctis, qui uti ea vellent, propoſitam habuit. atque, non ſuos tantum amores, ſed amicorum etiam, lepido, ut inquit ille, ad cælum verſu, vocavit. Erat omnino ad omnem poëticæ facultatis laudem, ad quam à natura ferebatur, mire propenſus; verum ſcenicæ in primis artis amore adeo incenſus, ut nihil dies noctesque ſtudioſius, quam fabularum argumenta, meditaretur atque conficeret. Nullus erat mimorum grex, quem ille non noſſet, nullus in eis actor, præſtantior ceteris, quem cupidiſſime non audiret, quem non arctiſſimæ amicitiæ vinculo comprehenſum haberet, quem non officiis beneficiiſque omnibus proſequeretur. atque eo amentiæ in hoc poëſis genere progreſſus dicitur, (id quod ego non credo, nec mihi fit veriſimile, in homine, honeſto genere nato, liberaliter educato, ac liberalibus diſciplinis inſtituto,) ſed dicitur tamen, Frittellini, notiſſimi mimi, qui tum in ſcena dominabatur, artificio captus, ſtatuiſſe, filium, quem ex uxore ſua ſuſcepe-

ceperat, illi in disciplinam tradere. at, si verum id est, quod ego non credo, æquum erat, eum antiquis illis temporibus in Græcia nasci, quibus temporibus neminì erat turpitudini, in scenam prodire, ac populo esse spectaculo; immo nulla dicitur fuisse Lacedæmoni tam nobilis vidua, quæ non in scenam iret, mercede conducta. Sed aliud (si vera est fama, quam nimis cupio esse falsam) admisit, quod illud superius, si perfecisset, longe multumque stultitia antecedit. ajunt enim, amoris impatientia, quod ejus sævitiam, cujus ille ad insaniam cupiens erat, ferre non posset, se de fenestra, præcipitem in puteum egisse, unaque opera, & ardoris, quem illi faciebat amor, & vitæ, finem inveniisse. Numerabatur in omnibus fere celebrioribus Italiæ Academiis, & in ea præsertim, quæ tum Romæ florebat, Humoristarum.

XXXVI. OCTAVIVS TRONSARELLVS.

SEmper verum illud existimavi, hominum ingenia nunquam deesse, sed partim parentum negligentia, à doctrina puerili, aut ipsorum desidia, à studio & exercitatione, deserta, tanquam agros uberes ac fertiles, nulla cujusquam opera excultos, silvescere, partim, nullis præmiis in lucem evocata atque traducta, in occulto sine laude ac fama latere. Novi ego puer in scholis, ex meis sodalibus, non parum multos, ingenio peracri, & studio flagranti, ac memoria singulari; qui si eum, quem cœperant, cursum tenere voluissent, ad summam eloquentiæ doctrinæque laudem perveniissent. celeriter accipiebant quæ tradebantur, arcte memoria custodiebant, atque inde, quoties poscceret usus, accepta promebant. sed eos deinde, vel otio, quod plerique sequuntur, ad summam inertiam, vel, inopia, qua premebantur, ad alias artes, quæ panem ipsis præberent, fuisse traductos. Deinde, quam multos unaquæque ætas haud absimiles Ciceroni Virgilioque proferret, si suus esset, ut par est, literis honos! *Honos*, inquit, ille, *alit artes*. verum, si hoc illis pabulum subtrahatur, macies, ut ita dicam, atque interitus accedat necesse est. Atque nostra tem-

tempeſtate, Octavius Tronſarellus, verum illud eſſe, quod antea dicebamus, oſtendit; nimirum ingenia ſemper, ſi colantur, exiſtere, ac fructus ex ſe maximos & uberrimos edere. qui quidem Octavius facultatem, ſibi à natura conceſſam ac traditam, non eſt paſſus, culturæ inopia, efferari atque ſylveſcere: ſed ſtudio & exercitatione, nullius potentioris ope ſublevatus, eatenus progreſſus eſt, ut nemo ſibi præcucurrerit, qui in id ſtudium, in quo ille erat, incumberet; ſed poëta eſſet, gravis, magnificus, ſummus; quamvis, ob rerum ac ſententiarum amplitudinem majeſtatemque, quibus abundat, non nemini paulo videatur obſcurior. Ejus majores, orti in Gallia, in Italiam commearunt, ac ſedem domiciliumque ſuum Galleſii, quod eſt oppidum in Sabinis, collocarunt. ſed Octavii avus, relicto Galleſio, Romam petiit, anno uno poſt, quam ab exercitu Cæſaris direpta eſt; & Antonium, Io. Franciſci, Horatii, & Octavii patrem, adhuc infantem puerum una ſecum adduxit. ex ejus filiis Io. Franciſcus Iuvenali Ancinæ, Saluciarum Epiſcopo, navavit operam Vicarius; quod maximi argumenti loco eſt, optimis eum moribus inſtructum & ornatum fuiſſe; cum nemini in illius ſanctiſſimi Epiſcopi familiam aditus pateret, in quem vel minima errati cujuſpiam ſuſpicio conveniret. quam Vicarii provinciam, quoad Epiſcopus ille vixit, ſumma cum laude doctrinæ & æquitatis adminiſtravit. eodem, veneno, ut erat fama, ſublato, Bononiam ſe contulit, ut ibi, quod reliquum erat vitæ, traduceret. quod reliquum vitæ ſpacium, celerius multo quam erat neceſſe, confecit. nam, ſi diutius in eo verſari potuiſſet, amicitiæ, quæ ſibi cum Alexandro Ludoviſio intercedebat, fructu non caruiſſet. qui Ludoviſius, primum Bononiæ Archiepiſcopus, tum Cardinalis, creatus, incredibili celeritate ad ſummum Chriſtianæ religionis faſtigium evolavit; hoc eſt, auguſtiſſimum Petri, Apoſtolorum principis, ſolium obtinuit. verum, quo amoris gratiæque apud ſe loco ac numero illum haberet, etiam tum Archiepiſcopus declaravit. nam, mortuum, in Archiepiſcoporum ſepulcrum juſſit inferri. Puer Octavius, præter P. Felicem Soc. Ieſu, exquiſitos è tota illa Societa-

cietate magiſtros habuit ; in literis humanioribus , P. Farnianum Stradam , & P. Bernardinum Stephonium, in Philoſophia P. Terentium Alciatum. à Philoſophiæ ſpaciis, ſtudium ſuum contulit ad Iuris civilis cognitionem , ac dignus eſt habitus , cui leges interpretandi , ac de jure reſpondendi facultas publice traderetur. Frequens erat, per id tempus , in Sodalitate primaria Deiparæ Virginis Annunciatæ , in Collegio Romano Soc. Ieſu ; ſed admonitus à P. Bombino, ut vel verſus facere deſiſteret , vel in eum Sodalium conventum locumque venire deſineret , maluit eo cœtu in perpetuum carere, quam à ſperata egregii poëtæ nominis gloria diſcedere; atque Sodalitati illi Academias anteponendas ſtatuit , deditque operam, ut in Academiam Humoriſtarum exciperetur , quæ tum ingeniorum optimorum nobilitate florebat ; quod illi antea , per Sodalitii illius, in quo erat, leges facere non licuiſſet ; quibus legibus,in improborum atque à directa virtutis via aberrantium numero, pueri & adoleſcentes illi habentur , qui in academicis, cujuſvis academiæ,præter Partheniam, nomen profiteri audeant ſuum. Exceptus igitur in Academiam Humoriſtarum , ingenii augendi & declarandi amplam occaſionem eſt nactus , ſed tandem ſatietate faſtidioque alienatus ab ea eſt, quod , ut ipſe ajebat , certorum adoleſcentium arrogantiam ſuperbiamque ferre non poſſet; ſed re vera , quod cum Auguſtino Maſcardo , ejus Academiæ tum temporis principe, ſibi non conveniret. Itaque ad Academiam Ordinatorum trauſeundum cenſuit; quam Academiam Cardinalis Detus, in ſuis ædibus,fundandam erigendamque curavit, ut domum ſuam à ſolitudine vindicaret , atque ea remiſſione animi liberaliſſima, aliqua ex parte, moleſtiam, quam morbus afferret, leviorem efficeret. ſed clariſſimus purpuræ , in qua ille renitebat , ſplendor , & cognationis nexus , quo Aldobrandinis principibus implicabatur,tum ſuaviſſimus vocum & chordarum cantus, quibus eruditæ illæ exercitationes condiebantur , Cardinalium complures , eorum præſertim, quos Clemens VIII in illum ordinem cooptaverat , tum præcipuos aulæ Romanæ Antiſtites,, ac præterea magnum honeſtiſſimorum hominum ad ſe nu-

merum alliciebat. quapropter graviſſimus ille dicendi locus, maxima ambitione, à multis expetebatur. Octavius igitur par ingenii ſui & vocis eruditæ dignitati theatrum nactus, cum ſemper aliquid, ſe & conſeſſu illo dignum, afferret, laudationes ac plauſus referebat. verum, cum hoc ſibi negotium datum eſſet, ut Academiæ univerſæ impreſam, quam vocant, è multis, quæ proponebantur, eam potiſſimum, quæ ſibi aptior videretur, eligeret, magnam cum Margarita Sarrocchia contentionem certamenque ſuſcepit; quæ mulier, qua erat animi elatione & impotentia, eam ceteris anteponendam eſſe, maxima voce ac pluribus verbis, ajebat, quam ſuo ipſa ingenio peperiſſet. ea erat ſalinum, plenum ſalis, cum hoc dicto, A SOLE. ſed Octavius, cum eſſet argumentatus, quantum res ferebat, hoc ipſum etiam poſuit pro argumento, quamobrem impreſa illa nullo eſſet modo recipienda, quod nullum inde elegans nomen elici poſſet, quod Academiæ univerſæ imponeretur. at Felix Cima, qui in comœdiis, non ſine plauſu, Raquettis, hoc eſt, Galli hominis, Italo ſermone ſed Gallico accentu ſonoque loquentis, partes agebat: Tace, inquit; ego habeo nomen, quod confiteamini, nullum cum hac impreſa poſſe nobis aptius inveniri. Quodnam? ait Sarrocchia. Ego dicam tibi; quoniam eſt in animo, nos ad ſalinas damnare, errones vagoſque eſſe appellandos cenſeo; nam hæc hominum natio hoc affici pœnæ genere ſolet. Atque ut ejus opera numeremus, quibus eſt laudem adeptus; primum, magnum illi nomen famamque confecit, Cathena Adonis; cujus dramatis componendi cauſam attulit controverſia quædam inter Io. Georgium Aldobrandinum & Io. Dominicum Lupium orta, de duabus mulieribus cantatricibus, quibus tum temporis primæ dabantur, utra nimirum alteri, vocis ſuavitate & canendi arte, præſtaret; hæ erant, Ceccha quædam, quæ, quoniam habitabat in ea parte Vrbis, quæ olim ſtagnantibus aquis exundabat in morē lacunæ, Ceccha à lacuna appellabatur; & Margarita Coſta, non magis canendi artificio, quam turpi quœſtu, famoſa. in eo enim dramate ambæ commitebantur, & utrique æqua pars cantus dabatur, in qua, quidquid

una

unaquæque earum posset, ostenderetur. sed ne musicum hoc certamen committeretur, fuit impedimento Aldobrandini Principis uxor. itaque mulieribus substituti sunt eunuchi. verum illud drama, tantum habuit commendationis, ut septies eo anno reponeretur, & typis mandari curaretur. & quia objecerat non nemo, inventionis expers esse illud opus, primo negavit id quod objiciebatur, seque, quod fecisset, equitis Marini, poëtæ clarissimi, auctoritate fecisse, ac suis eum vestigiis prosequutum esse, à quo eadem inventa mutuassset, quibus olim ille suam Daphnen in actus redegisset, scenæque mandasset. Deinde fabulas edidit, postea Rhythmos; quibus accessit trium inter se dearum de formæ principatu contentio, ac poëmatia quædam, quæ musicis postulantibus modulanda tradiderat; ad hæc, egregia poëmata duo adjunxit, heroico plane stylo conscripta, unum, Constantinus, dictum, in quo Imperatoris illius res gestas exponit; Victoria navalis, alterum, quo incredibilis apud Naupactum pugna illa navalis exprimitur, cum, interfectis Turcarum ducibus, eorum classis devicta est atque depressa. postremo sanctorum, Abundii & Abundantii, profusam pro Christi nomine vitam ac sanguinem, eleganti dramate comprehensam, exhibuit. multa præterea alia honorariis Principis Cardinalis à Sabaudia, ephebis scripsit; in cujus viri principis aula jucundus, & in Academia ejusdem, admirabilis extitit. Iam inde ab ineunte ætate, erat aucupii studiosus in primis; quapropter sæpius erat in agro; neque labori operæque parcebat suæ; ipse concinnabat aream, ipse offundebat cibum, ipse retia explicabat, ipse attrahebat, attrahendoque, tanquam aliqua in cavea inclusas, in illis aves excipiebat, & onustus præda domum revertebatur. postremo vineam emit, quæ præcipuam mortis ejus causam sustinet; tanti nimirum illi, rnris voluptates, cum incredibili studiorum labore conjunctæ, steterunt. frequens ibi aderat semper; in sole, operis à se conductis instabat; sæpe etiam attente illorum officiis fungebatur: nam fodiebat, occabat, aut aliquid ejusmodi opus faciebat; & quamvis hæc voluptati erant, ejus tamen vires, ex labore, debilitabantur, neque aderat

cerealis mensa ac plena, quæ eas recrearet & instauraret; sed ejus victus, asperam, ut inquit ille, commeabat viam; hoc est, parce ac duriter vitam agebat. nam quinque obolis carne, tum agnina, tum bubula, pro temporum varietate, se ac famulam sustentabat suam, quodque de suis fructibus comparserat miser, suum defraudans genium, totum in libris collocabat, quos frequenter emebat. Sed tandem, tertiana febri correptus, cum nullus ab initio metus ostenderetur, non ita multo post ab atra atque lethali bile oppressus, excessit è vita, prid. Kal. Septemb. anno cIↃ IↃc xLI; cum jam nox appeteret: ut non ineleganter quidam dixerit, Phœbo occidenti nihil tam convenire, quam ut astra succederent. Multa, nondum impressa, reliquit, quorum pars magna interiit. in his Papia, à Carolo magno recuperata; cujus operis duo tantum libri sunt inventi. Fuit homo apertus ac simplex, grato animo, ac moribus ingenuis, ac libero homine dignis.

XXXVII. IOANNES BRICCIVS.

SI verum est illud, quod paulo ante posueramus, cum Octavii Tronsarelli imaginem spectandam contemplandam proponeremus, nempe ingenia hominum bona atque præstantia, omnibus annis, atque adeo omnibus horis, humano generi dari, quæ si magistrorum opera ac studium accederet, veterum excellentiam, in omni genere bonarum artium possent æquare; id in Io. Briccio verissimum patuit. ille enim aberrare eos ostendit; qui, neminem posse, ajunt, liberalis cujuspiam artis partem aliquam, nisi à magistris monstratam, attingere. nam ea ille virtutis indole fuit, ut sine cujusquam ope, naturæ tantum auxilio, non unius tantum ingenuæ artis, sed plurium etiam notitiam sit assequutus. non fuit ille in aliqua earum excellens; esto; sed cuinam mirum videri non debeat, rudem hominem, ingenii æstu abreptum, & industriæ diligentiæque quasi remigio veloque, sine rectore, compulsum, illuc fuisse delatum, quo pervenit? atque ab initio ventis fluctibusque jactatus, inde repellebatur, quo aggredi cupiebat. nam parens, mi-

mirum in modum averſus à literis, fortaſſe quod nollet, filium aliqua in re ſuum ſibi, qui literas non didiciſſet, ſuperiorem videri, nunquam eum miſit in ludum, immo acriter verberabat, ſi, quo erat ille diſcendi ſtudio incenſus, tabellam abecedariam in manibus habere cernebat; nec quidquam illi frequentius decantabat, niſi, ſe nolle eum aliam artem addiſcere, niſi eam quam ipſe noſſet, quaque ſe familiamque ſuam tueretur; erat enim culcitrarum concinnator verus, ac totos dies Romæ, in foro D. Pantaleonis, pectini lanario, equulei formam præ ſe ferenti, inſidens, expectabat, dum à quopiam in opus conduceretur. At Ioannes, nihil parentis minis verberibuſque perterritus, clam illum, omnia literarum nomina, quæ ſæpe ab æqualibus ſuis ordine recitari audierat, memoriæ mandabat. nam, quod eſt præcipuum ingenii ſignum in puero, quidquid tradebatur, facile percipiebat, & fideliter cuſtodiebat; tum, ſumta aliqua tabella, in qua omnes literarum notæ, eo ordine quo eas ipſe memoriæ mandaverat, erant deſcriptæ, ſuis ipſas nominibus appellare aſſueſcebat, tum literas jungere, ac verba ſyllabatim pronunciare ſtudebat; ac demum, tantum ſtudio & exercitatione profecit, ut nemo eo plenius ac celerius legere putaretur. nec minori induſtria diligentiaque literis, ad exempli quod ſibi propoſuerat imitationem, primum ruditer, tum magis concinne exprimendis, ſcribere didicit. Incredibile memoratu eſt, quanta aſſiduitate ſtudioque, quidquid à culcitris inſtaurandis concinnandiſque reliquum erat temporis, in omnium librorum, qui quidem Italico ſermone ſcripti eſſent, lectione conſumeret. quo fiebat, ut multarum rerum varietate & copia pectus impleret, quas deinde, cum eſſet opus, expromens, omnibus diſciplinis inſtructus, nihilque ſibi à doctrina deeſſe, videbatur. ſed cum poëtis ſibi magis rem eſſe exiſtimabat; quippe qui, ad verſus faciendos, ſe à natura impelli ferrique ſentiebat. itaque eorum libros attentius diligentiuſque volutabat. ac primo cantiunculas quaſdam compoſuit, quas mendici, orbi luminibus, canerent in triviis ac popinis: tum, in parvulis, neſcio quibus, dramatibus factitandis, ingenii vires exercuit, quæ, feriis Bacchanalibus, pueri

atque infimæ ſortis homines in plateis, perſonati peragerent; in quibus quia ridiculæ perſonæ inducebantur, vulgus delectabatur. hinc, majore animo, comœdias aggreſſus eſt ſcribere, à præceptis non aberrantes, quæ præſcribuntur ab iis, qui ea tradiderunt; ac plures edidit, in quibus primo loco numerantur, Tartarea infernalis, Maga formoſa, Pantaleon, hoc eſt, ſenex decrepitus, ex amore inſaniens, aliaque, quæ in Apiario Clariſſimi viri, Leonis Allatii, leguntur. verum, cum hæc omnia, ut ipſum etiam eorum nomen clamat, nihil niſi fabulæ eſſent, cumque, ſi à piſtore panem peteret & vinum ex cœnopolio, niſi æs afferret, nugas referret, ſtatuit, ad ea ſtudia animum etiam adjungere, quæ cibum præberent. ſed nunquam induxit animum; ad ſordidum illud artis genus, tanquam poſtliminio, reverti, unde elegantium diſciplinarum ſtudia, captum vinctumque, in ſua caſtra perduxerant. atque ad picturam, ſtudii genus non illiberale, auxilium ab ea petitum, confugit; quam per ſe ipſe ea facilitate, vel felicitate potius, qua ceteras artes, eſt aſſecutus, in eaque ſe exercuit; ita tamen, ut non eas tabulas, quibus Apelles & Protogenes inviderent, efficeret, vel, in quibus omnia, adeo cum ipſius veritate naturæ certarent, ut ad uvæ racemos (ſi eos contigiſſet effingi,) aves deceptæ circumvolarent, ſed quæ tantum illi, tritici, olei, ac vini, in penum congererent, quod eſſet ſibi familiæque ſuæ omni ſatis. ac præſertim coriaceis in ſtragulis, familiarum inſignia, quæ in ſcuto depicta, plumæ è clypeo dependentes ambirent, tanta cum venuſtate artificioque formabat, ut omnium ad ipſum concurſus exiſterent. comicorum mimorumque gregibus, ad ſcenas coloribus ornandas illuminandaſque, operas ſuas elocabat, ipſe quoque in ſcenam, mercede conductus, prodibat, ac populo ſpectaculo erat. nam, ſumma cum venuſtate, ridiculas perſonas agebat. Neque homo, à natura factus ad omnia, muſicæ fuit expers. nam & cantiunculis, quas filii, quos docuerat, canerent, modos faciebat, ac perpetuo, quoad vixit, Sodalitatis ſanctorum Ambroſii & Caroli, in via Flaminia, muſicæ, Præfecti nomine, præfuit. Sed, ingraveſcente ætate, conflictari cum adverſa valetudine

cœpit,

cœpit, ac doloribus artuum ita premi, ut se commovere non posset. sed quamvis corpus, ægritudine annisque infirmum, gereret, animum tamen, semper validum vegetumque, retinuit. neque illum passus est esse otiosum; atque eo ipso tempore, quo gravius esset æger, quod vehementer ejus artus laborarent, agitabat aliquid ingenio, ac commentabatur. Sed tandem fuit illi necesse, morbo, cujus vim ferre non posset, cedere. At hic mihi vir generi hominum datus à Deo videtur, qui esset argumento, neminem in studiis literarum aut in aliqua alia re laudabili, ingenii sui viribus debere diffidere, neque in rebus magnis, ac magnopere expetendis, labore, qui nunquam potest esse sejunctus, exterritum, una cum spe, ejus quod concupierunt, cogitationem abjicere. nam multi, cum otium desidiamque secuti, id, quod volunt, se assequi posse desperant, non inertiam suam, sed naturam, quæ benigna est omnium parens, accusant.

XXXVIII. IO. VILLIFRANCVS.

VOlaterris, Etruriæ urbe notissima ac celeberrima, egregia & immortalitate digna ingenia multa prodiisse, ut de aliis taceam, præclara Raphaëlis Volaterrani doctrinæ monumenta declarant, quibus pulcherrima elegantissimarum artium studia illuminantur. In quorum numerum merito referendus esse videtur Io. Villifrancus, ibidem natus; qui aliquot ante annos extra eandem urbem mortem obivit. Erat in eo non contemnenda ad poësin indoles, ac præsertim admirabilis, ad versus faciendos, vis atque celeritas; in sermone familiari, multa festivitas multæque facetiæ, quibus principum ad se virorum voluntates alliciebat; magna in omnes comitas; in suscipiendis amicorum negotiis alacritas, in procurandis diligentia; in commissis continendis neque prodendis fides; in comessationibus, in conviviis, hilaritas. Sed has virtutes, multa alia vitia æquabant. magnæ, in omni victus genere, sordes; itaque cubiculo habitabat, incomto, immundo, pulvere atque operibus aranearum pleno; vestibus utebatur obtritis, fœdisque maculis, omni ex parte, refertis; subu-

cula

cula induebatur ita illuvie simul ac sudore, tanquam glutine, imbuta, ut parieti hæsisset, si quis eam in illum impulisset. summa in victu parsimonia; nam omnia ejus prandia cœnæque erant asperæ atque terrestres, multis oleribus; neque jusculi præterea quidquam degustabat, nisi si quando foris cœnaret aut pranderet; nam tum, aliquo invitatus, biduo antè esuriales ferias ventri indicebat, quo ille plus caperet. Perpetua in sermone procacitas, ac nulla fere modestia; in versibus fundendis obscœnitas; in illud enim carminum genus erat à natura propensus; ac dum esset Florentiæ, ridiculum ac facetum quoddam fecerat carmen, in quo, si recte memini, infelicem ac miseram poësis conditionem deplorabat, cui qui operam darent, eos semper egere contingeret; verum pluribus erat verbis obscœnissimis consperſum refertumque. venit ad aures uxoris magni Ducis, hujus carminis fama, in quo ille ridicule in adversam poëtarum fortunam & inopiam luserat, magnaque mulierem cupido incessit ejus carminis inspiciundi. nec mora; misit ad eum, qui suis verbis nunciaret, ut ad se quamprimum cum carmine illo veniret. homo, cui mulieris sanctitas ac religio nota erat, cujusque aures ab omni verborum obscœnitate turpitudineque abhorrebant, tulit moleste, illius in animum eam cupiditatem fuisse illapsam; sed quoniam erat obtemperandum, prout temporis brevitas patiebatur, conatus est turpia illa verba removere, & alia, eorum loco, reponere. neque, pro sui felicitate ingenii, id quod voluit, non est assecutus; sed quia facetiæ illæ magna ex parte in verbis habebant leporem omnem, iis mutatis salem amiserant. Audivi eum ego, alterum carmen legentem, à se missum ad puerum longe formosissimum, in quo se suosque mores graphice deformabat. Mira etiam in eodem inerat ad cupiditates omnes voluntas atque propensio; &, quo fortasse eisdem obsequi posset, maximum divitiarum opumque desiderium. etenim, Virginio Vrsino Brachiani Duci cum suas operas, non ea qua ipse voluisset mercede, conductas haberet, qui ipsius ingenio facetiisque delectabatur, neque, præter pactam mercelem, quidquam ab eo muneris acciperet; accidit, ut

die

die quodam Virginius, coram Cosmo, magno Etruriæ Duce, aliisque summis viris, qui simul animi causa convenerant, & ex Ioannis argutiis sibi risum voluptatemque captabant, Ioanni diceret: Ne multum de Epitaphio, quod sepulcro tuo incidas, componendo labores; nam illud inveni, quo, si omnia quæras, nullum invenias, quod paucioribus verbis te totum designet atque exprimat. Cedo, inquit ille, quodnam est istud? nam mire ejus audiendi sum cupidus. Audi igitur, ait Virginius:

Hoc Villifranci tumulantur ibi ossa sepulcro,
Presbyter ac Vates panem qui rosit in aula.

Tum Villifrancus: Bene, inquit, lepide & eleganter est dictum; non potuit melius: sed quæso, mea causa hos duos illi versus alios adjunge:

Qui dum Virginio Vrsino serviret, ab illo
Pumice non unum potuit deradere nummum.

Hoc extemporario carmine audito, in tantum repente risum effusi sunt omnes, ut disrumpi viderentur, ac Virginio, merito relatam esse gratiam, dicerent, quod crabrones irritasset. Maxime juvenum vel adolescentium familiaritates appetebat, quo melius hilari jucundæque vitæ se traderet; quod adolescentium ætas, mollis ac fluxa, alienum à rebus seriis & gravibus animum gereret, ab eisque cohiberet, ac totum in omnem hilaritatem ludumque diffunderet. itaque cum adolescentibus omnibus fere horis conspiciebatur. Elegantem edidit Eclogam, Amaranta nomine. scripsit etiam poëma heroicum, Columbi videlicet navigationem, quod manu ipsius scriptum, Pauli Iordani Vrsini, Brachiani Ducis, Virginii filii, custodiis asservatur. id opus dum scriberet, frequens à Virginio, ad venationes prodeunte, sibi comes adhibebatur, ut suis ipse oculis, non alieno ore, venationum certamina, quæ sibi in eo poëmate describenda erant, acciperet. At hic homo, ita voluptatibus obsequens, ut se Regem esse cuperet quo illis indulgere ex sua libidine posset, non modo ad divitias, quas optabat, pervenire, sed ne prima quidem senectutis limina attingere valuit. nam fallaces ejus spes, & inanes

cogi-

cogitationes, in ipso propemodum ætatis ipsius flore, mors sæva pervertit; quæ in triremi, in qua una cum Paulo Iordano navigabat, tridui eum morbo fatigatum, oppressit, atque, in oppidulo, Cajetæ proximo, quod Circejus mons dicitur, pro temporis & facultatis ratione humatus. Reliquit longum ac jocosum epigramma, Italicis versibus ab ipso scriptum, quod suo sepulcro inscriberetur; ac nos conati fuissemus in totidem Latinos illud versus convertere, si verba Latina illum potuissent leporem salemque retinere, quem habent Italica; sed quia omnis noster labor irritus fuisset, non fuit consilium, inanem hanc operam sumere, præsertim cum majora potioraque habeamus. tantum satis sit dicere, fuisse illud, tum ejus ingenio, tum vita ac moribus, dignum.

XXXIX. HIPPOLYTVS MERENDA.

PRoxima atque adeo finitima Etruriæ aliisque Italiæ populis Æmilia, magno Romanis Pont. quorum illa imperio subest, semper utilitate atque usui fuit, magnum aulæ ornamentum ac decus ex suis civibus attulit. Ecquando non illa strenuos ad bellum duces, militiæque artis peritissimos, dedit? ecquando illa milites egregios, bellatoresque fortissimos, ad belli ejusdem usum non præbuit? illa præstantes ad pacis artes ac studia viros complures semper exhibuit, qui Reipub. bene gerendæ scientia præditi, urbibus, quas regerent, saluti & commodo essent, qui curiæ ornamentum, ordini amplissimo splendorem afferrent. sed multos in primis in jure civili peritissimos misit; in his Merendas, patrem & Hippolytum filium. sed Hippolytus longo fuit intervallo, paternæ industriæ superior, quem, dici vix potest, quanto illum anteceſſerit in respondendo celeritate, in inveniendo subtilitate, in iis quæ maxime firma essent eligendis prudentia. itaque omnes ad eum causæ deferebantur; quas studiose recipiebat, ac fideliter tuebatur; neque ullam fere defendit, quam non obtinuerit; nisi si quando ii, quorum res erat, & à quibus totam causam fuerat edoctus, falsa ad eum detulissent. nam tum, vinci non assuetus, ita exclamabat, ita ira incendebatur, ut furere

rere omnibus videretur. Primo patroni munus exercuit, ac ſtatim principem in patronis locum obtinuit. Sed, cum multos jam annos floruiſſet, magnamque pecuniam feciſſet, ſive quod laborem ferre non poſſet, ſive ut in patria bene partis in ocio uteretur frueretur, ſive ut valetudini, qua minus erat firma, ſerviret, reverſus eſt Cæſennam, in patriam; ubi cum multos annos beatius, vel remiſſius certe, vixiſſet, tandem, vel recuperata valetudine, vel veteris famæ lucrique memoria (quamquam nulla illi inerat avaritia, ſed erat liberalis ac ſplendidus) in Vrbem ſe recepit, ac revocavit in curſum; præſertim cum Alexander Cardinalis Ludoviſius, Gregorii XV nomine, ad Pontificatum max. fuiſſet evectus; quo cauſarum Rotæ Auditore, multum fuerat in foro verſatus. Romam igitur rediens, eodem ille quidem ingenii acumine, eruditione, doctrina, ac fortaſſe etiam majori quam antea, præditus, ſed non iiſdem moratus moribus, rediit. nam cum primum juvenis in forum venit, vel quia totum animum in eo collocatum concluſumque retineret, ut nobiles cauſas agendo, in principibus patronis numeraretur, nullam ejus partem, ad voluptatum illecebras, dilabi patiebatur: verum, quum ea jam eſſet ætate, quæ hæc juvenilia facinora fugere magis quam ſectari ſolet, tum illa magis perſequi cœpit, neque ſibi indecorum duxit, capite candido ac barba alba, quæ ſunt adoleſcentium, facere. Hæ tamen ineptiæ, ad quas ille animi relaxandi gratia, quāvis aliena ætate, deſcendebat, vix forſan videntur, tanto ac tali viro, vitio vertendæ; quas ineptias, ingentes virtutes obruebant: primum, tanta juris civilis ſcientia, ut diximus, quanta vix in altero, qui ea eſſet ætate, reperiebatur: tum, ſingulare veritatis ſtudium; nullam enim cauſam tuebatur patrocinio ſuo, quæ nullis veritatis radicibus niteretur: præterea, conſtans erga amicos fides ac benevolentia; ut etiam uni eorum, lucubrationes ſuas, cui nullum ſatis dignum pretium poteſt conſtitui, teſtamento legaverit: poſtremo, eximia erga Chriſti pauperes liberalitas, quorum neceſſitatibus, omnibus horis, large copioſeque ſuppeditabat; quam in eos liberalitatem, tum ſemper multis in rebus oſtendit, tum maxime in morte declaravit,

ravit, cum, pauperrimam Converſarum, ut vocant, Romæ, in via longa, domum, hæredem omnium ſuorum bonorum, quæ ſunt ſcuta quinquaginta millia & eo amplius, inſtituit: in cujus etiam Æde ſacra, D. Iacobo dicata, ſepultura affici voluit. Fiebat interdum, ut ex nimis attenta cogitatione, qua defixus in ſtudiis hærebat, ad quædam ridicula delaberetur, quæ propiora viderentur eſſe inſaniæ, quam rationi. cujuſmodi illud eſt, quod, cum, die quodam, rheda vectus, quam nemo præter ipſum inſcenderat, via Flaminia ferretur, rhedariuſq; ad portam Vrbis perveniſſet, ac vellet reverſionem facere, vetuit ille, atque eum juſſit progredi longius; quatenus exiſtimatis? eatenus, quoad Ariminum, vel ut alii dicunt, Cæſenam veniret.

XL. CÆSAR VALENTINVS.

NOn imprudenter omnino & inſcite, à nonnullis magnis viris ſummiſque oratoribus, factum exiſtimo, ut, cum ſe putarent ſatis magnam adeptos eſſe dicendi gloriam, nullam poſteris vellent ingenii ſui monumenta relinquere, unde illis de ipſorum facultate exiſtimare fas eſſet. Etenim, cum tanta in actione vis ſit, ut Demoſthenes, interrogatus, quid primum, quid ſecundum, quid tertium eſſet in oratore, ſtatim primas, ſecundas, ac tertias, actioni detulerit; ſæpe accidit, ut ea, quæ, dum agerentur, actoris voce ac geſtu ſublevata, clamores & admirationes efficiebant, deinde, cum legerentur, quoniam actio literis mandari non poteſt, ita vileſcerent, ut admiraremur, tam alias res egiſſe populum, ut, audiens, in iis admiraretur, exclamaret, atque exhorreſceret. Ac multos, noſtra memoria, vidimus & audivimus, in ſuggeſtis, in ſcholis, quibus, dum audirentur, nihil videbatur fieri poſſe doctius, nihil limatius, nihil perfectius; ſed, cum nos ad eorum ſcripta, ſi quæ ipſis excidiſſent, convertebamur, fiebat, ut judicium noſtrum contemneremus, noſque actionis lenociniis fuiſſe deceptos, fateri cogeremur. Atque, omiſſis ceteris, quos proferre poſſemus, ne vagetur oratio noſtra longius, ea Cæſare Valentino definietur, quem hoc

ſermo-

sermone referre instituimus. Hic ab origine ultima stirpis Romanæ, honesto genere natus, statim ab ineunte ætate, à parentibus est liberalibus disciplinis institutus; & in primis Latini sermonis elegantiæ studuit: sed, à prima illa puerili institutione abstractus, complexus est juris civilis ac pontificii disciplinam. quam cum omni ex parte cognovisset, publice ejus docendi facultatem obtinuit; atque annos quinque & viginti in Gymnasio Romano, præsertim Ius Pontificium, magno discipulorum concursu, magnisque stipendiis, edocuit. quo tempore exacto, quasi rude donatus, ejus vacationem muneris habuit, cum tamen nihil de stipendio deperderet, sed integrum, usque ad finem vitæ, perciperet. In hoc homine præsertim apparuit, quantum antestaret ceteris artibus eloquentia; cujus tantum specie, tam magnum ad se discipulorum numerum attrahebat, ut aliorum magistrorum, quantumvis doctissimorum, exedras auditoribus vacuas redderet. Latini igitur sermonis elegantiam, cujus ab ineunte ætate studiosum fuisse docuimus, ad ea, quæ tradebantur, quamvis aspera atque horrida, transferebat. Voce erat clara & acuta, jucunde ad aures accidens oratio, ita volubilis, atque ita facile, quo eam ille ducebat, excurrens, ut nusquam insisteret: quo fiebat, ut magno cum silentio audiretur; nec quisquam erat adeo dissolutus, adeo incommodis moribus præditus, qui dicenti auderet obstrepere. quamobrem iis, qui videbant, ejus artis princeps videbatur. verum, sæpenumero fiebat, ut, qui venissent, ab eo non tam docti quam delectati, non tam expleti quam avidi inanesque, discederent. ut bene cum illius existimatione esse actum existimem, quod neque ipse neque quisquam alius, quod sciam, ejus in Ius Canonicum commentaria in lucem ediderit. quæ enim lepida atque jucunda, auctoris oratione ac voce prolata, aurium, quæ suavitate capiuntur, judicium sibi conciliarant, eadem literis, quæ nemini adulantur, expressa, oculorum, quod est acrius & incorruptius, judicium non effugissent. Magnam pecuniam fecerat, quam, tum ex stipendiis quæ diximus, tum ex re familiari, quo satis erat ampla, collegerat. quod facile fuit homini & frugi & optimis ac sanctissimis moribus

prædito, qui ſemper omnia extraordinariis cupiditatibus denegaſſet, in quibus comparandis nequam homines ſæpe evertuntur fundis ac familiis. Quam pecuniam collocatam habebat in iis bonis, quæ una cum vita amittuntur; videlicet in officiis Cancellariæ, quæ vocant. neque unquam à Pontifice qui tum rerum potiebatur, homine parco & in re facienda occupato, cum eſſet ſenex & capularis, ad quem ſua morte, bona illa redibant, impetrare potuit, ut officia illa divenderet, atque ex mercede, quam coëgiſſet, fundos vel ædes aut alia ejuſmodi mercaretur, quæ poſſent ad hæredes teſtamento tranſmitti. ille enim Pontifex, princeps ex omnibus, iis, qui paulo proceſſiſſent ætate, officia illa vendendi, facultatem ademerat, cum ceteri ante ipſum cuivis, quantumvis decrepito, id liberum reliquiſſent. Cum jam à laboribus alios docendi, ſuo jure, quieviſſet, quia & vir erat probus, & humaniſſimis literis deditus, frequens in Sodalitatibus conſpiciebatur, in ea præſertim, quæ ex nobilibus, in domo profeſſa Soc. Ieſu convocatur, ubi etiam, una cum aliis, eloquenter copioſeque diſſerebat; & in Academia Humoriſtarum aderat, non ut ibi ipſe aliquid ageret; ætas enim eum prohibebat eas partes ſumere quæ ſunt adoleſcentium, ſed ut alios, dicentes, & ſua poëmata recitantes, audiret, & ſi quid in eis titubatum eſſet, animadverteret, & pro ea auctoritate, quam ipſi ætas dabat, modeſte humaniterque corrigeret; quod tamen jus, quoniam ſingulari etiam erat modeſtia, ita uſurpabat, ut magis ab auctoribus illarum ſcriptionum ſibi permiſſum, quam vendicatum ab ipſo, videretur. Sed demum, cum ævum in longum protraxiſſet, fato ſuo functus, humatus eſt in Æde Virginis Capitolinæ, in ſepulcro majorum ſuorum. Oblatum ſibi à Xiſto V Epiſcopatum, conſtantiſſime repudiavit, quod ſcientiæ ſuavitate, qua nihil eſt hominibus jucundius, delectatus, quietam vitam turbulentæ, otioſam negotioſæ laborioſæque, anteponendam eſſe putaverit.

XLI. GENESIVS PROIDA.

SVmma ac prope ſingularia naturæ dona, quibus cumulatur Hiſpania, primum ab Ibero amne Iberia, poſtea ab Hiſpali Hiſpania cognominata, ſi velimus hîc omnia referre, longius nos ab inſtituti noſtri ratione digrediemur, quibus non eſt propoſitum, urbium vel regionum naturas ac dotes exponere, ſed hominum, qui in iis aliqua ingenii laude floruerunt, imagines, ut ſæpe dictum eſt à nobis, brevi oratione deſcribere; aliarum vero rerum cognoſcendarum cupidos ad illorum volumina relegamus, qui ea omnia diligentiſſime ſunt literis perſecuti. Illud vero nonnihil ad rem noſtram facere videtur, quod ajunt, ibi corpora hominum naſci, ad vigiliam, inediam, ac laborem animi promta, tum firmiſſima corporis valetudine, ob cæli ſalubritatem, quæ per omnem Hiſpaniam æqualis eſt, quia aëris ſpiritus, ut referunt ii qui de regionibus illis ſcripſerunt, nulla paludum gravi nebula inficitur. quo factum opinor, ut poſt multa ſecula, cum ſe ad literarum ſtudia contuliſſent, inventi ſint multi, qui in omni eorum ſtudiorum genere, cui ſe dediſſent, excellentes evaderent, non in iis ſolum diſciplinis, in quibus ſingulare ingenii judiciique acumen exigitur, ut in Philoſophia ac Theologia, ſed in iis etiam, in quibus ingenii ejuſdem amœnitas celſitudoque requiritur; cujuſmodi humaniſſimæ liberaliſſimæque ſunt artes. Etenim laborem, patientiam, & ſolicitudinem, quæ ſunt afferenda ab iis, qui exquiſitius, quam vulgus hominum, ſtudere literis poſtulant, non reformidant, ſed cum ſint, ad ea perferenda ſuſcipiendaque, à natura facti inſtitutique, in ſe recipiunt ac transferunt. Nonne plures, ex una Hiſpania, ſacrarum ac divinarum rerum interpretes prodierunt, qui Theologicam facultatem doctiſſimis ſuis commentariis illuſtrarunt, præſertim ex Dominicana atque Ignatiana Societatis Ieſu familiis, quam ex ceteris orbis terræ regionibus? nonne in omnium elegantia literarum exculcos, tum vetere tum noſtra memoria, eos dedit, quibus nihil deſideres melius neque præſtantius? Vnum eſt, in quo

Italia Hiſpaniæ & ceteris nationibus præſtat, Iuriſconſultorum videlicet copia, qua non ſolum abundat, verum etiam redundat, propter eorum multitudinem, qui, vix ac ne vix quidem literis tincti, veniunt, eum emtum locum ac numerum; nemo enim, qui precium afferat, ab eo repellitur: atque, ſuperiore anno audivi non neminem ex iis, quos inter, lucrum illud diſtribuitur, miſere querentem, locum illum honoris in opinione hominum eviluiſſe; nam minus multos, quam antea, ejus cupidos inveniri, neque ſceleſtiorem, eo vendendo, ſe vidiſſe annum, quam ille ſibi obtigiſſet. at contra in Hiſpania, nemo in eum ordinem admittitur, niſi probata induſtria; immo nemini ejus muneris petendi poteſtas tribuitur, niſi illi, qui antea, longis graviſſimiſque diſputationibus, ejus, quod didicerit, periculum fecerit. Ab ea ſchola profectus eſt in Italiam Proida. ac primum Neapoli cœpit cauſas agere; ubi etiam uxorem duxit, mulierem Neapolitanam, facie non ſatis honeſta atque decora. ſed, cum minus amplum ſuæ virtuti theatrum, forum illud exiſtimaret, ſe Romam contulit, & in foro eſſe cœpit. ubi cum nondum eſſet cognitus, pauci, vel nemo potius, ejus conſilio utebatur; quod, uxor avara, quam perpetuam ſibi oblatratricem in ædibus habebat, quæque Neapoli, ubi major ejus arti quœſtus fuerat, curabatur nitidius, ejus inſcitiæ vel negligentiæ cum tribueret, eum miſerum habebat, &, prius quam galli cantarent, eum à ſomno excitabat; poſcebat, aurum, veſtem, aut unctiuſculum jentaculum; cumque hæc ille denegaret, ſeque inopiæ excuſatione defenderet, illa irata, ac dote fortaſſe ferox, contumelias ac jurgia ſuſcipere, ac dicere: Ignaviſſime, impuriſſime, decoctorum nequiſſime, aulæ Romanæ dedecus, fori ludibrium. contra ille, cum non poſſet bilem continere, aliis illam maledictis verberabat, atque inſanam, rabioſam fœminam, canem appellabat. ſed ejus petulantiæ par eſſe non poterat, quæ poëtria erat, prorſus ad eam rem unica; multo enim plura, quæque acrius hominem urerent, inveniebat. at ille tandem victus, cum nihil ſe verbis proficere, quibus erat illi inferior, intelligeret, minis eam perterrefacere, ſibique obnoxiam facere conabatur;

ac: Nisi, ajebat, linguam cohibes, eam tibi comprimam, ac, capillo abreptam, in mediam viam protraham, ac convolvam in luto; ac, si pergis esse inepta, vita ipsa devolvam. Istuc, inquit illa, videre velim; nam, si me digitulo uno attingas, feres infortunium; nonne te subit, me Migni Cappelli filiam esse? at cujus viri? nempe ejus, qui toti Neapoli terrorem injiciat. Atque hæc eo confidentius scribo, quia meis ipsemet auribus accepi; quod domus, in qua habitabat, paries mecum esset communis. Nonnunquam etiam res ad manus atque ad pugnam veniebat, & eam ille capillo scindebat, ea unguibus illi in oculos involabat, magnosque toti viciniæ ludos præbebant. ac fuit, cum, jurgio uxoris impulsus, candelabrum ex aurichalco, è mensa sublatum, ob os illi objecit, ac non leve vulnus inflixit. tum ille, sive misericordia commotus, sive quod metueret, ne ejus nomen ad magistratus deferretur, idque existimationi, quam de se conciliare studebat, officeret, depositis Jurisconsulti partibus, eas, quæ sunt chirurgi, suscepit, & eatenus sua vulnus illud manu curavit, quoad ad sanitatem perductum est. Atque hæc antea, quam in foro celebratum ejus nomen esset. Verum, posteaquam, quibusdam in judiciis, ejus industria cognita atque probata est, omniumque sententia judicatum, nullam esse causam, quæ non ejus digna patrocinio videretur, jamque munera illi multa atque pecuniæ domum à litigatoribus convenirent, perpetua inter eos pax atque otium constitit. Mira in eo ingenii vis aderat, judicium acre; nam cum vidisset, quid causam faceret, quidque judici probandum esset, in eo hærebat; in interpretando, in definiendo, in explicanda æquitate, summa prudentia; adeo ut judices eam causam probabiliorem existimarent, quam ipse defenderet. Verum cum jam Romæ sic floreret, omnesque ad eum causæ maximæ, quæcunque erant, deferrentur, evocatus est Neapolin, ut insignem quandam provinciam à Rege ipsi delatam, capessendam accederet, unde an rursum in Vrbem redierit, nescio; illud scio, ejus filias Romæ fuisse nuptui datas. Id illi unum erat vitium, quod nimis studiose latrunculis luderet; adeoque interdum, cum se honestissimæ

illi animi remissioni dedisset, eatenus ludendi ardore incensus progrediebatur, ut causarum, quas tuendas susceperat, patrocinium desereret, ac clientum oblivisceretur, qui venerant ut eum ad judices docendos adducerent.

XLII. LVDOVICVS VIGNATVS.

DIximus antea, in Genesio Proida, nullam esse in Europa regionem, in qua vilior sit Iurisconsultorum, sed nullius sæpe frugis, annona, quam in Italia, cum, in Hispania, & in aliis quibusdam exteris nationibus, qui faciunt civibus omnibus consilii sui copiam, pauci quidem sint, sed doctrina rerumq; usu præstantes. atque, si ad numerum illorum, qui illum mercantur ut eo se jactent, spectetur, non possumus ire inficias, quam plurimos inveniri, qui indigni sint eo loco ac numero: sed si ad eos convertamus nos, qui serio ad Ius civile se conferunt, ut in eo studio excellant, plures se nobis objicient, quos non solum illis æquare, verum etiam longo intervallo anteferre possimus. Atque multorum hactenus Iurisconsultorum imagines, quantum facultas nostra tulit, à nobis expressas, in hunc librum retulimus, qui jurisprudentiæ gloria sunt ab omnibus habiti, non solum Vrbis, sed totius etiam orbis, oraculum. neque tamen persecuti sumus omnes, quos, me superstite, egregie aliis consulentes vita defecit. atque in præsentia se mihi offert Ludovicus Vignatus, Laudis Pompejæ, Transpadani oppidi, nobili loco natus; qui Romam florente adhuc juventa se contulit, non ut in foro disceret, sed ut, quantum efficere posset, doctus, in forum veniret; ac primo se, ad Scipionis Lancelotti ductum aggregavit, in ejusque contubernio, quoad ille vixit, permansit; qui tum erat Rotæ Auditor, ac postea à Gregorio XIII, ob ejus doctrinam, Cardinalis est factus. eo mortuo, domum aperuit, ut omnibus, qui vellent, in suis rebus dubiis se ad consulendum daret; tum sua industria, dum Horatii Lancelotti, Cardinalis Lancelotti fratris filii, Rotæ Auditoris, qui postea, Paulo V Pont. max. Cardinalium numerum auxit, amicitia

fretus,

fretus. Etenim iis, qui versantur in judiciis, ad obtinendas causas, Auditorum gratia plurimum prodest. quo factum est, ut brevi sit adeptus illustrem inter advocatos locum; atque ea etiam de causa libenter ab iis, qui controversias habebant, adhibebatur, quod mira erat in eo, in rebus cognoscendis, earumque ponderibus examinandis, accuratio; ut non facile in ullo diligentior majorque inveniretur. cujus fama virtutis adeo hominum in se studia ad deferendas sibi causas alliciebat, ut postea Horatius, ab Auditoribus Rotæ ad Cardinales, ut paulo ante dixi, traductus, nihil illi de numero clientum ademerit, sed eodem quo antea, & majore etiam, illorum concursu domus ejus celebraretur; quod nihil sit, quod ii, quorum res est, tantopere cupiant, quam sua ab iis, quos sibi patronos adoptant, negocia cum cura ac diligentia suscipi atque tractari. commendabat hoc etiam formæ dignitas, & naturalis quædam humanitas comitasque, qua ad se venientes excipiebat. sed florebat, ut cum maxime, & clientum & causarum numero tum Vignatus, cum Paulus V, ejus virtutum fama commotus, Maphæo Cardinali Barberino, qui Legatus Bononiam proficiscebatur, comitem eum adjunxit, ut insignem ibi magistratum administraret; cui admirabili quadam doctrinæ, æquitatis, industriæque laude præfuit. quamquam mihi narratur, inter ipsum atque legatum, nescio quid discordiarum, de rebus ad Rempub. pertinentibus, intercessisse, ac propterea deinceps illum apud Legatum, minus auctoritate & gratia valuisse. quod (si fictum non est) non longius abesse à vero videtur. Erat in Maphæo Barberino, ut perspici potest ex iis quæ scripta reliquit, ingenii vis magna, erat exquisita juris civilis multarumque doctrinarum notitia, erat excellentis industriæ ac prudentiæ laus eximia; sed tot tantarumque virtutum cognitio adeo ab intelligentia sua non aberat, ut eam animo comprehensam haberet, ac propter eam tantum sibi tribueret, ut, quod ipse probasset, aliis etiam probatum esse debere, quasi suo jure contenderet, alioque, qui contrariæ essent sententiæ, in inscientium vel malevolorum loco reponeret, atque acceptum est ab iis, qui sermoni inter-

fuerunt, die quodam, cum jam Pont. max. factus, cujusdam, quem in ampliſſimum dignitatis locum evexerat, ſingulares virtutes ſummis in cœlum laudibus efferret, exclamaſſe illum & dixiſſe: O virum ſummum, ac majore etiam honore quam ille eſt, quem illi tribuimus, dignum! quid vultis amplius? nulla unquam in re à nobis ille diſſenſit. Magni cujuſdam argumenti loco ſumebat, ſummæ illum ſapientiæ arcem tenere, quod omnibus ipſi in rebus aſſentiretur. At nihil novum fecit; ſed ſummis ingeniis uſitatum, præſertim ſi incredibili virtuti, qua ille erat præditus, ſummum imperium habeant adjunctum, ut dictorum factorumque ſuorum aſſenſionem omnium exigant. At Vignatus, Bononia Romam reverſus, ſe revocavit in curſum, & rurſus cauſas agere cœpit. quem curſum felicíter, ut antea, tenuit. ſed hominis virtutem, Romæ, Mediolanum invidit. nam illum ad ſe vocavit, & in ampliſſimum illius Civitatis Senatum cooptavit. quo munere cum egregie fungeretur, audivit, Gregorio XV è vivis ſublato, in ejus locum ſubrogatum fuiſſe Cardinalem Barberinum, quicum una, ut diximus, Bononiæ fuerat; ac continuo, pro vetere amicitia, ac pro ſua virtute, cujus in nobili illa legatione ſatis magnum ſpecimen dederat, in maximam ſpem ampliſſimæ dignitatis inductus, Romam advolavit. quo cum perveniſſet, & aliquot poſt dies, ad novi Pont. pedum oſculum fuiſſet admiſſus, nihil ab eo niſi verba retulit. itaque animadvertens, ſpei, quam conceperat, eventum non reſpondere, ſtatuit Mediolanum redire; ubi, non multos poſt annos, repentina morte deperiit.

XLIII. IVLIVS BENIGNVS.

INepte, ne dicam ſtulte, mea quidem ſententia, faciunt, qui egregium à natura ingenium adepti, cum ingenii ejuſdem viribus, tanquam alis, in altum elati, locum aliquem honoris ac famæ conſcenderint, non nihil à majoribus ſuis, cum ea non adſit, claritatis ſibi uſurpare conantur. tanquam ſi eorum virtus minus clara futura ſit, niſi eidem aliquid ab illis ſplendoris acceſſerit.

ſerit. Quod longe ſecus mihi videtur. etenim honeſtius duco, nobilitatem & gloriam totam nos parere, quam aliquam ejus partem, ab aliis partam, accipere; ac longe præſtantius exiſtimo, majores noſtros ex nobis, quam nos ex majoribus noſtris, magnos & claros exiſtere. quin illud, ex majorum recte factis, incommodi iis, qui nobili genere nati ſunt, accidit, ut, ſi iis, quorum fumoſis imaginibus gloriantur, diſſimiles inventi fuerint, nihil ex eorum commemoratione in ſeſe, niſi infamiam ac dedecus, attrahant, ſi quidem ipſorum flagitia, cum illorum virtutibus in comparationem adducta, majorem ſermonum anſam hominibus præbeant, qui quidem videbantur quieturi fuiſſe, ſi illorum improbitas in tenebris obſcuritatis familiæ delituiſſet. Venit mihi in mentem, tum M. Catonis, hominis ſapientiſſimi, tum Q. Pompeii, humili atque obſcuro loco nati; quorum uterque ſibi glorioſum & honeſtum duxit, ſui generis initium ac nominis à ſe gigni ac propagari, ac propterea maximis in laboribus, uſque ad ſummam ſenectutem, ſumma cum gloria vixit. Noſtra memoria, vir maximus atque clariſſimus, cum, nulla commendatione majorum, ſed propria virtute, ex infimæ ſortis hominibus in eum locum perveniſſet, quo nullus neque excelſior, neque auguſtius invenitur, oſtentationis gloriæque cauſa commemorabat, ſe puerum, parva mercede conductum, in ſumma inopia & in pannis, ovium ac ſuum greges paſtum adduxiſſe ac reduxiſſe. quid multa? adeo, in tanto faſtigio collocatus, ſuarum ipſum ſordium non pudebat, ut eas etiam materiem honoris ac laudis haberet. Sed alio erat animo Iulius Benignus. nam, non contentus ea nobilitate, quam ſua ſibi virtus peperiſſet, volebat etiam videri, aliquam à parente accepiſſe; atque in ſepulchro è marmore, quod illi conſtituerat in Æde Deiparæ Virginis Romæ, quam vocant, de pace, dedit illi formam, ſane liberalem, haud illis abſimilem, quam in ſtatuis nobilium Romanorum videmus; tum genus nobile, partes honeſtas. nam fecit illum I.C. non unum è multis ſed prope ſingularem. quæ ſi quis vera eſſe contendat, non repugnabo. ſed ego, etiam tum adoleſcentulus, audivi ſæpius, de duabus matronis

tronis honestissimis, ac veritatis diligentissimis, sancte affirmantibus, se talem patrem, qualem ipse deformabat, nunquam vidisse, neque novisse; usas tamen fuisse familiarissime ejus matre, quam ajebant esse mulierem pauperculam, una cum illo puerulo, annum ætatis quintum non excedente, Canonicorum regularium, illius cœnobii, misericordia victitantem. præterea ajebant, Abbatem, qui tum cœnobio illi præerat, quod videret fulgere in eo puerulo indolem virtutis, (erat enim modestus, gravis, ingeniosus,) suis sumtibus erudiendum eum curasse, neque operam ac sumtum perdidisse, quod ille in omni genere literarum clarius explendesceret quam ceteri condiscipuli, vinceretque omnes, studio, diligentia, ac celeritate ingenii; atque, ab his initiis ad eum doctrinæ & honoris locum perveniisse, quem postea tenuit. Quarum rerum ego maxima documenta hæc habeo, quod semper Canonicos illius cœnobii in parentum loco habuit, dilexit, coluit, neque accepti beneficii memoriam apud ipsum exoleviisse, & vivus multis in rebus ostendit, & in morte sua testamento declaravit; cœnobium enim illud reliquit hæredem, sed usum fructum, omnium fere bonorum, juveni cuidam, qui erat ipsi à cubiculo, quemque diligebat ex omnibus plurimum, legavit. Verum, utut sese res habeat, sive illi generosa stirps adfuit, sive defuit, fuit homo probus, gravis, eruditus, disertus, Iuris autem civilis adeo peritus, ut ceteris magistris, qui illud in Gymnasio Romano docerent, anteire existimaretur. in quo docendi munere cum quinque & viginti confeciisset annos, est postea rude donatus. sed antea in collegium Advocatorum Consistorialium cooptatus fuerat; & quoniam, illorum legibus, nemo in eum ordinem, qui est honestissimus, admittitur, qui non sit etiam nobili genere natus, sudatum est ab iis, quibus hujus rei inquirendæ provincia data fuerat; vix enim quisquam superstes erat ex iis, qui de jure respondentem eum vidissent, cujus monumenta formæ ac nominis in sepulcro, de quo diximus, imprimenda curasset. interrogatæ sunt etiam mulieres illæ, quas commemoravimus; quæ pro testimonio dixerunt id, quod erat ipsis notum atque testatum; tantum

tum de matris paupertate reticuerunt, ne ejus honori obstare viderentur. Quemadmodum autem, in disputationibus publicis ac privatis, quibus de doctrina eorum qui cooptantur periculum fieri solet, se gesserit ille, qui tot annos in docendo disputandoque versatus sit, quid me attinet dicere? nam postquam ægre impetratum est, eum non esse à nobilium virorum numero excludendum, ea felicitate ingenii, ea doctrinæ, ea eloquentiæ vi, in disputationibus illis, eorum argumenta diluit, qui ea, quam ille, tuenda proposuerat, infirmare ac labefactare conabantur, ut esset omnibus admirationi. Itaque Petrus Card. Aldobrandinus voluit eum habere à cognitionibus, Auditoris loco; quod munus egregie laudabiliterque defendit. Interea Paulus V, cum decrevisset multa vitia emendare atque corrigere, quæ in omnia Vrbis magistratuum tribunalia irrepserant, ob eximiam juris civilis scientiam eum, unum ex illis voluit esse, cui tantum munus demandaret. Hic Romæ mos viget, ut ex advocatis Consistorialibus, quos diximus, unus eligatur, qui pauperculis hominibus, atque omni patrocinio destitutis, advocatus adsit, iisque diligentem ac gratuitam operam præstet. hic sedet inter primores Vrbis magistratus, cum statis diebus in carcerem conveniunt, ibique vinctos, qui se vel adversariorum vel judicum injuriis oppressos queruntur, audiunt, cavetque, ne contra rem pauperum decernatur aliquid injuria. id ille munus, multos annos, summa cum pietatis & diligentiæ laude sustinuit. Videbatur homini inesse quædam ambitio, neque quidquam ipse tam cupere, quam in specioso Antistitis habitu ornatuque spectari. itaque dedit operam, ut in eorum Archiepiscoporum numero esset, quibus, cum illorum Ecclesiæ in Turcarum potestate sint, nulla procuratio subest, sed Archiepiscopi tantum nomen ornatusque relinquitur. itaque impetravit in beneficio & gratia, ut Archiepiscopus titulo tenus, metropolis nescio cujus, à Turcis possessæ, renunciaretur. Obtinuit etiam, ut Congregationis sacrorum rituum Secretarii munere fungeretur; ad quod officium nemo admittitur, nisi in aliquo ejusmodi dignitatis gradu constitutus. Neque eo fuit con-

ten-

tentus, sed summa ab eo adhibita est opera, ut ad Episcopos, quos vocant Assistentes, rescriberetur. Postremo, adeptus est, ut in Sacello Pontificio, ipso præsente Pontifice, solemnibus cærimoniis, Missæ Sacrificium faceret. Atque hæc meta fuit cursus honorum ipsius & vitæ. nam paulo post lethali est morbo consumtus.

XLIV. ANGELVS DE ACIARIA.

SI cui Angeli de Aciaria, Senis nobili loco nati, probitas, religio, doctrina, minus nota sit, si eum audiat, Roberto Bellarmino, avunculo suo, carum in primis extitisse, nonne maximi argumenti loco habeat, in omnibus iis virtutibus, quas indicavimus, perfectum absolutumque eum fuisse? Ea enim erat hominis longe sanctissimi gravitas, ille ejus adeo distractus atque sejunctus ab omnium rerum humanarum cupiditate animus, ut nulla cujusvis affinitatis cognationisque necessitudo, ad eum diligendum & aliquo in numero habendum, momenti aliquid esset habitura, nisi ea etiam fuisset cum virtutis omniumque bonarum artium societate conjuncta. Complectebatur igitur hominem summo studio ac benevolentia, non tam ut cognatum, quam ut virum in primis probum, honestum, ac doctum. Sed, quem ille æstimationis locum in Bellarmini opinione teneret, tum maxime apparuit, cum ab eo, insigni ac locupleti S. Benedicti, Cassinensis olim familiæ, quæ erat Capuæ, est Sacerdotio donatus; quod Sacerdotium, cum ipse Abbatis jure ac nomine possidetet, sibi detraxit, & in Angelum, eodem Abbatis jure ac nomine, transtulit. nam quid potuit facere elegantius, ut ostenderet, quanti hominem faceret? quid enim est, in quo viri sanctissimi plus operæ tribuant, quodque illis magis sit cordi, quam ut bona Ecclesiæ, eorum fidei tutelæque committantur, qui in eos usus illa conferant, ad quos à majoribus nostris, religiosissimis mortalibus, relicta fuerunt; nimirum ad pauperum inopiam sublevandam, & ad sacras ædes, collabentes, instaurandas? quid contra est, quod illi tam graviter dolenterque querantur, quam in illa bona eos invadere, qui, ad suas cupidita-

ditates explendas, ea improbe nefarieque profundant? Quamobrem, tametsi Angelo jucundissimus erat honor ab avunculo sibi tributus, tamen majorem voluptatem capiebat ex eo, quod homines essent existimaturi, honorem illum, cum à Bellarmino provenisset, non quia aliqua cognationis, qua cum illo implicaretur, necessitudo intercessisset, sed quia sic oportuerit, eoque dignus esset, sibi contigisse. Quod si hæc omnes, quibus pinguia sacerdotia deferuntur, cura torqueret, multi pravi è Repub. Christiana mores radicitus evellerentur. non illorum animos, pecuniæ cupiditas, non vitiosus propinquorum amor, non libidinis æstus exureret; non apud eos, pessima aleæ, venationis, & conviviorum studia vigerent; non villarum amœnitas, non ædium magnificentia, non pretiosæ supellectilis luxus, eorum cogitationes sibi devinctas haberet; sed pietas, religio, modestia, bonarum artium studia, ac pauperum inopiæ sublevandæ solicitudo, in illorum mentibus dominaretur. Sed ut ad Angelum revertar, qui tot tantisque à Bellarmino laudibus elatus ornatusque fuerat, non eum erat æquum, otiosum domi sedere, sibique tantum, non etiam aliis, usui esse; ideo fuerat compellendus in lucem, hoc est in opus, & in oculis hominum constituendus. *nemo* enim, ut Christus ait, *accendit lucernam, & ponit eam sub modio.* pater enim luminum, qui eam virtutis flammam incenderat, non passus est eam in occulto latere, sed aliorum oculis esse expositam voluit. itaque primum ille Episcopo Novariensi Vicarius generalis est traditus; cui provinciæ tanta cum laude præfuit, ut diligentiam solicitudinemque admirarentur omnes, prudentiam & vitæ integritatem agnoscerent. quamobrem ejus virtuti, hoc ecclesiæ regendæ quasi tyrocinio, spectatæ ac cognitæ, jam deberi existimatum est, ut editiore in loco collocaretur, atque ipse non vicarias alterius, sed suas proprias partes ageret. itaque Theani creatus est Pontifex. Qui magnam virtutis cujuspiam exspectationem sustinent, hoc fere semper habent incommodi, ut vix unquam tantum illius virtutis ex se dare possint, ut non multo plus homines de ipso speraverint, at hic, in re Ecclesiæ suæ gerenda, adeo fuit felix,

lix, ut non ſolum, quam de ſe commoverat, expectationi par fuerit, verum etiam eidem aliquanto ſuperior extiterit.

XLV. FRANCISCVS BRACCIOLINVS.

INclyta poëtarum natio, vatum præſertim ſolet appellatione cenſeri, quaſi, quæ ſint futura, vaticinentur. neq; iſtuc ipſi non profitentur. nam iis, quibus immortalitatem nominis, ſuis carminibus, pollicentur, poſtquam magnifica oratione falſas plerumque laudes, non modio neque trimodio, ſed toto, ut inquit ille, horreo, ſunt emetiti, continuo vel opes ac divitias, vel honores, vel, ſi militares ſint homines, glorioſas de potentiſſimis hoſtibus victorias atque triumphos, ſæpe prædicunt. At ſi in eo poëticæ facultatis vis inſit, ut res futuras multa ante prævideat atque denunciet, iſque in ea facultate præſtantior ceteris habeatur, qui magis rerum futurarum ſcientia polleat, quique certius ac verius, quæ ſint eventura, præſagiat, mirum dictu eſt, quantum Franciſcus Bracciolinus, Piſtorienſis, ſui ævi vates in primis, divinandi artificio ſuperatus ſit ab eo, qui ſibi erat ad manum, ſcribæ loco, &, quod admirabilius videri debeat, qui poëticam nunquam attigerat, nec verſus facere didicerat. etenim ille multo ſapientius Franciſco, ut poſtea videbimus, divinavit, quæ è ſua re eſſent. atque eſt, quod Franciſcus Apollini, quem jam inde à pueritia ſectatus eſt, jure ſuccenſeat, quod divinandi ſcientiam, in qua ille princeps ponitur, quamque ſectatoribus ſuis ita large magnificeque promittit, ſibi denegaverit. nam, per hanc perfidiam, multæ magnæque ipſi utilitates & commoda præcluſa fuerunt, quæ patuiſſent, ſi ſervare voluiſſet in eo, quod promiſerat, fidem. itaque, merito queri poteſt, ſe ab eo fuiſſe deceptum. atque ex his illius perfidia incenſum ira, arbitror, poſtea poëma illud, quod *Ludibrium deorum* inſcripſit, compoſuiſſe; cum nimirum ipſum puderet, fidem habuiſſe iis, quæ de Apolline traderentur, ipſum eſſe, qui vim quandam in hominum mentes infunderet, qua illæ concitatæ, quæ futura ſint, ederent, & quaſi diffunderent.

Verum

Verum videtur non debuisse Apollinis unius peccatum universo deorum concilio fraudi esse. Sed abeamus à jocis, & ad rem ipsam accedamus. Maphæus Barberinus, tum Cameræ Apostolicæ Clericus, utebatur, in scribendis epistolis, opera Franciſci Bracciolini; quem etiam, ob præclarum ingenium, & communium studiorum societatem, carum habebat in primis; cum à Clemente VIII, Pont. max. missus est Nuncius in Gallias ad Henricum IV, Galliæ ac Navarræ Regem; ac Franciſcum, cum eodem scribendarum epistolarum munere, secum duxit in Galliam, ac plures eum menses, eo loco ac numero, assidua atque utili opera, habuit. sed, cum Roma, de Clementis VIII morte esset allatum, cœpit Franciſcus desperare, eum, quem hac spe sectatus fuerat, posse Cardinalem evadere; quod fere mos sit novi Pontificis, ejus, cui succedit, Nuncios revocare, & eorum in locum alios substituere. itaque statuit, eum deserere, & in patriam redire, ut ibi in Musarum hortulis, molliter ac delicate in herba ac rosa recumbens, penitus avocaret animum à Repub. Neque fecit secus quam cogitavit. nam ægre à Maphæo venia impetrata, qui ferebat molestè, talem virum à sese divelli, Pistorium venit, ibique, quemadmodum constituerat, se totum Musis addixit. At ejus amanuensis, multo quam ipse sapientior, & in divinando felicior, delatas sibi à Maphæo scribendarum epistolarum partes arripuit, easque egregie gessit; adeo ut ille, jam creatus Pontifex, cum Cardinalitias deponeret vestes, ac Pontificias indueret, Cardinalibus, qui aderant, ejus operas ac mores mire commendaverit. Verum ubi Bracciolinus eum, à quo discesserat, non solum in Cardinalium Collegium, id quod ille nunquam putaverat fore, perveniſſe, verum etiam summum Pontificem factum, audivit; tum vero se falsum vatem fuisse, suumque amanuensem multo sibi antecessisse sapientia, existimavit; ac relicto florum rosarumque cubili, ubi in Musarum nutricatu cubabat, Romam venit, seque in Vrbani VIII (id enim erat Pontifici nomen inditum,) conspectu constituit. Non est Pontificis illius humanitas atque benignitas prætereunda hoc loco; qui cum deberet eum rejicere, nec perpeti,

peti, ante oculos ſibi adduci, à quo, alieniſſimo tempore, & cum maxime ejus opera indigeret, eſſet deſertus atque deſpectus, adeo nullum adverſus eum irati vel commoti animi ſignum oſtendit, ut etiam humaniſſimis & amantiſſimis eum verbis ſit proſecutus, & Antonio Cardinali S. Honuphrii, fratri ſuo, tradiderit, ut illi eſſet ab arcanis; tum, quoad vixit, ſicubi negocii eum odium ceperat, dabat illi ſeſe, atque in ejus ſermone ac ſuavitate omne ſuperioris temporis faſtidium deponebat, erat enim jucundus, facetus, hilaris, amœnus, atque omnium, ut dicitur, horarum homo; & interdiu, æſtate præſertim, habebat decretum ſemper aliquem locum, puta tabernam aliquam aromatariam, ante cujus fores ſedens, una cum amicis, qui ejus conſuetudine uſuque delectabantur, ſuaviſſimis ſermonibus diem conſumere. multa ejus dicta, tum gravia, tum arguta, tum jocoſa, tum ridicula, feruntur, quæ, cum alia ſint in eo potiora, relinquimus. multa ſcripſit Etruſco ſermone, tum jocoſa, tum ſeria; utroque enim in genere præſtitit; tum ſoluta oratione, tum verſibus, quæ, ſi quis ſibi nota eſſe expetit, licebit ea ex Leonis Allatii Apiario, ubi fere omnia referuntur, accipere; in quibus poëma illud enumeratur, quod *Vrbani VIII electio* inſcribitur, libris tribus & triginta cõprehenſum; quod Pontifex ille, cum ſibi traderetur, dixiſſe Bracciolino dicitur: Gratum eſt nobis munus, quod defers, ac maximas de eo tibi gratias habemus agimuſque; ſed illud, ad te remunerandum, invenimus, quod non ſolum largitatem tui muneris æquet, verum illud etiam longo intervallo exſuperet, quodque, in omni futuri temporis ſpacio, immortale tuum nomen efficiat, ut tute fatearis, nos eſſe imitatos agros fertiles, qui multo plus reddunt, quam acceperunt: itaque dehinc, auctoritate noſtra, appellaberis Bracciolinus ab Apibus, quod eſt inſigne noſtræ familiæ; atque nos primi te hoc cognomine nuncupamus; Braccioline ab Apibus, vale. Hoc ille nomen obtinuit, atque ita ſe poſtea appellari paſſus eſt; illudque operibus, quæ deinceps edebat, inſcripſit. In omni genere poëticæ facultatis ſe multum exercuit. nam lyricum, tragicum, heroicum, paſtoritium, jocoſum; in eiſ-

eiſque magna eſt cum laude verſatus ; ſed in lyrico laude impari ; in eo enim multos habuit ſuperiores : at in heroico, non video, præter Areoſtum & Taſſum, cui ille debeat cedere ; immo non video , quiſnam illi comparare ſe audeat , qui una ſit ætate. neque in uno tantum poëmate elaboravit, ſed in pluribus ; & in omnibus inventus eſt ſui ſimilis. Incidi in non neminem, qui, cenſorio ſupercilio, omnia ejus opera , ac præſertim heroica, adunco, ut dicitur, naſo ſuſpenderet ; quod diceret , omnia in eis eſſe deterrima, jamque contigiſſe, ut antea illa fato ſuo fungerentur , quam ipſum vita deficeret. quod falſum eſt. nam Chriſti Crux, ab Heraclio è Perſis recuperata , (id enim nomen eſt illi poëmati) ipſo vivente , ter eſt typis impreſſa , ſemel Pariſiis , iterum Lucæ , tertio Venetiis. Sed quid miremur , Braccioli-num illi diſplicere , cui ne Torquatus quidem Taſſus poëta videatur ? Plura igitur heroica ſcripſit carmina , Vrbani VIII creationem, & Crucem Chriſti à Perſis recuperatam, de quibus diximus, atque, exacta jam ætate, annos natus ſeptuaginta , Bulgaros ad Chriſti fidem converſos , ut ipſemet in fine ejus carminis fatetur. atque in his omnibus carminibus nihil eorum deſideratur, quæ ſunt inſignia ad maximam laudem; argumenti majeſtas ac dignitas, inventionis & ingenii acumen, genus orationis altum , exaggeratum , ſublime , non tamen caligine obſitum ac mentis aciem effugiens, ſed planum, perſpicuum , atque omnium intelligentiæ ultro ſe offerens ; ſententiæ , non uſitatæ , non alteri ſurreptæ , non communes, ſed exquiſitæ , ſed à ſe excogitatæ , ſed rei , de qua agitur , propriæ ; ſententiarum ornatus non vulgaris, non obſoletus, non ſordidus, ſed elegans, nitidus, ac verborum ſplendore illuminatus ; tranſlata non ingentia, non majora quam res poſtulet, non vi , non precario, alienum in locum irruentia , non longius ducta , ſed moderata, ſed quæ orationem illuſtrent magis, quam verba propria & ſua , ſed quæ ſtatim penè in conſpectu animi ponant, quæ intelligi volumus , ſed quæ deducta, verecunde, quo vocantur, veniant. At illud fortaſſe aliquem in eo , ad reprehendendum , locum aperiat ; ejus nimirum nimis frequentibus verborum ſententiarum-

que luminibus referta oratio ; nam cum legas, in ſingulis fere verſibus cogeris inſiſtere, morari, & exclamare : Bene, recte, non potuit melius. ac ego vellem in ea quaſdam eſſe umbras ac receſſus, à quibus lumina diſtincta, magis extarent, clariuſque niteſcerent. At, quis non putaſſet, hominem, qui ſe orationis majeſtate amplitudineque cœlo inſeruerat, non etiam illuc attractas ſuas cogitationes habere ? ſed profecto ſic eſt ; ingenium in alto peregrinabatur, mens humi defixa hærebat. nam ſtudio pecuniæ tenebatur, quam nemo unquam, nobili excelſoque animo affectus, concupiſcit. at ille, quo rem familiarem ampliorem faceret, vitæ neceſſitatibus multa denegabat, ac ſordido vitam victu oblectabat. ac die quodam, cum audiſſet, celebrem quendam argentarium, apud quem multa aureorum centena depoſita habebat, bonis elaviſſe, tam improviſo & horribili nuncio percuſſus, ſenſit, ſibi intus, lienem, pulmones, jecur, chiras omnes, ſeditionem facere, adeo ut veſica alvuſque ſe fuderint, totaque illi femoralia impleverint. Denique, poſt Vrbani mortem, cum, octuagenario proximus, nihil ſibi jam Romæ relictum videret eſſe quod ſperaret, ſua ipſe oſſa in patriam reportavit, ut ibi ſepultura afficerentur. atque eum, ajunt, cum Roma migraret, ad portam Flaminiam, Vrbem reſpicientem, dixiſſe : Vrbs ſalve, ac ſimul vale ; nam hodie, poſtremum, ex te pedem extollo.

XLVI. ALEXANDER CHERVBINVS.

MAgnum Ioannis Pici, Mirandulæ Comitis, ingenium, ſummã rerum penè omnium ſcientiam, incredibilem memoriæ vim, ita majorum noſtrorum ætas admirata eſt, ut in eo homine, qui nondum tertium & trigeſimum annum egreſſus fuerat, & tamen tantam vim rerum complexus eſſet, tanquam in aliquo monſtro atque prodigio, propemodum exhorreſceret. Sola viri, etiam tum adoleſcentis, memoria Thomam de Vio, nondum Cardinalem, exterruit. Ediderat Picus, in illa nobili diſputatione quæ cum reliquis ejus operibus circumfertur, nongenta omnium fere ſcientiarum capita,

quæ

quæ publice ex ſuggeſto contra quoſcunque, qui ea impugnare vellent, tueretur atque defenderet. itaque cum Thomas ſellam, ex adverſo ſuggeſti poſitam, inſcendiſſet, centum argumenta expoſuit, quibus, totidem ex illis capita, labefactaret atque convelleret : at Picus, à poſtremo incipiens, ita ſigillatim omnia repetiit, ut Thomas, ſe de ſella proripiens, exclamaverit: Tace tace ſis, jam tua iſta repetitione mihi factum eſt ſatis. Et quamvis, quæ de illo narrantur, ampla atque magnifica, ut revera ſunt, fatear eſſe; attamen nobilitas generis, qua præſtabat, affinitatum, quibus implicabatur, ſplendor, opum divitiarumque, quibus affluebat, magnitudo, multo clariora ac celebriora ea reddunt, quam fuiſſent, ſi earum rerum, de quibus diximus, luce caruiſſent. Quis dubitat, ſi Alexandro Cherubino generis claritas adfuiſſet; quamquam nec humili nec obſcuro natus eſt loco; nam patrem habuit Laërtium Cherubinum Nurſinum, cauſarum, quæ conſtant ex crimine, patronum atque advocatum, tota Vrbe notiſſimum, quique Pontificum ſummorum Conſtitutiones, antea diſperſas, unum in corpus redegit; ſed illi generoſa ſtirps defuit: ſi præterea, opum divitiarumque, ut dicitur, montes acceſſiſſent, ſi imperii, ſi illuſtrium tota ex Italia affinitatum ſplendor, lumen addidiſſet: quis dubitet, inquam, quin ille multo illuſtrior atque etiam honoratior futurus fuiſſet? Etenim ſic comparatum videmus, ut vulgus homines non tam virtute quam fortuna metiatur, eoſque magnos appellet, qui communem hominum conditionem, præſtantia dignitatis ac fortunæ ſuæ, tranſeunt; ac, ſi eorum quiſpiam non plane ſit bonarum artium expers, ſed unum aliquod affectat, ut juris ſcientiam, ut eloquentiam, ut aliquam Græcarum rerum notitiam, iis, qui ſunt in earum facultatum generibus ſingulares, celebritate præcurrit; nam nomini, ſumma omnes ambitione, ſuis ſcriptis ac laudibus, lucem dare contendunt, ac ſumma ſæpe ingenia in occulto latere, obruta tenebris, ſinunt. è quibus nunquam potuit emergere hic Alexander, nec impetrare, ut aliquo edito digunoque in loco collocaretur, unde tanta vis ingenii, doctrinæque, quanta in illo fuit, pulcri-

tudo, multorum perveniret ad oculos. Cujus laudem, jam ſeneſcentem, ac propemodum intermortuam, meas eſſe partes duxi, ab interitu vindicare, & æternam, ſi ullo modo aſſequi poſſim, efficere. Quæ laus eo dignior eſt, cui multa ſæcula propagentur, quo ſpacium, ad eam ſibi promerendam datum, in anguſtius ſpacium, coactū eſt atque compulſum. ejus enim ætas, ſeptem ferme annis, brevior fuit, quam Pici Mirandulani; qui tres & triginta complevit annos; cum ille vix octavum & vigeſimum annum attigerit. quanquam tres poſteriores vitæ ejus anni magis ad mortem, quam ad vitam, referendi ſint; cum totum illud tempus acerbiſſimis viſcerum doloribus excruciatus, mortis potius, quam vitæ, ſimilem vitam vixiſſe videatur. Quamvis, quid annos numeremus in eo, qui ampliſſimos vitæ ſuæ fructus poſſit oſtendere? ille brevi vixiſſe dicendus eſt, qui, quantumvis ſenex ſit mortuus, nihil ex ſe reliquit, quamobrem vixiſſe exiſtimetur. etenim, qui nulli negotio intentus, egregiæ cujuſpiam artis ſibi famam quærit, hic, ut ſapientiſſimi mortalium ſcriptum reliquerunt, non modo non vivere, atque anima frui, ſed ne eſſe quidem, videtur. Nihil erat in unaquaque liberalium diſciplinarum arte, quod ille non noſſet; nullus liber, ad ſuam uſque ætatem, in lucem editus, quem ille attente non legiſſet, omniaque ejus dicta non meminiſſet. Summis, me puero, in cælum laudibus efferebatur Iacobus Lainez, è Soc. Ieſu, quod in Concilio Tridentino palam apud graviſſimos illos Patres gloriatus, nec mentitus in gloriando eſſet, nullam ſe Patrum ſanctorum ſententiam laudaturum, quorum ille libros integros non legiſſet, penituſque, quod in eis contineretur, non perſpexiſſet. idque ſumma eorum, qui audiſſent, admiratione exceptum eſſe, narrabant; quoniam vix credibile videbatur, poſſe quemquam in otio, etiam ſi aliud nihil, quoad viveret, faceret, nedum in vita occupatiſſima, qualis erat Iacobi Lainez, tantam auctorum copiam, qui de rebus ſacris ſcripſiſſent, ita ſtudioſe perlegere. Quod ſi tanta ille omnium admiratione ac benevolentia in cælo eſt, qui in unius tantum generis auctorum lectione conſumſit ætatem; quam magna in

laude

laude versari necesse est eum, qui nullis certorum auctorum libris, quasi finibus, suum legendi laborem studiumque circumscriptum habuit, sed peræque scriptores complexus est omnes? Sed, cum omnium ingenuarum artium cupiditate studioque flagraret, ad Philosophiam præsertim contulit suam operam, & ad eam inprimis, in qua princeps est Plato. Aperiebat illi ad Philosophiam aditum, Græci sermonis notitia, qua præstabat; eaque duce, facemque, ut ita dicam, præferente, ad intima ejus arcana penetravit; neque quidquam erat in ea ita constructum atque reconditum, quod non ejus intelligentiæ apertissimum promtissimumque redderetur. Eripiebat interdum philosophicis commentationibus aliquid temporis, illudque summorum doctorum Græcis voluminibus explicandis tradebat: quo factum est, ut multos libros Græcos Latine reddiderit. Sed quid multis opus est? tanta vis ingenii, eum exitum habuit, ut viscerum doloribus, quibuscum acerrime conflictari solitum eum diximus, consumtus, è vinculis corporis solveretur, simulque magno ære alieno, quo implicitus tenebatur, explicaretur. nam hunc quoque nodum mors, quæ solvit omnia, rupit; ac creditoribus, cum non esset unde illis satisfieret, nihil reliquit, nisi plorare. Sed cum Philosophi vita minime multis rebus indigeat, neque ille gutturi aut corporis ornatui præter modum indulserit, neque ita magnam familiam aluerit, & tamen tantum æris alieni conflaverit, suspicioni locum aperire videtur, fuisse alteram amici cujuspiam domum, in quam bona, sibi à patre relicta, & pecuniæ quas fœnori sumserat, exulatum abirent.

XLVII. MATTHÆVS SALINORVS.

CVm mihi de morte Matthæi Salinori, ex oppido Montis sancti Sabini, esset allatum; & jus amicitiæ, quæ mihi cum illo intercedebat, & locorum propinquitas, ubi uterque nostrum, domicilium suum constitutum habuit; erat enim jam diu mecum Leoninæ Vrbis incola; impulit me, ut statim ejus imaginem, rudi meo stylo, quasi penicillo, descriptam, in eam, quam nunc

molior, Pinacothecam inferrem. neque veritus sum; adolescenti graviſſimo, ingenio summo, eruditione singulari, delirum senem, ac poëtam oppido ridiculum, adjungere. non enim fiet tanto viro injuria, si ejus pulcritudinis elegantia, quæ, spectatu digniſſima, admirabilitatem maximam faciet, prope illum collocetur, cujus deformitas, non alia de causa, omnium in se oculos attrahat, nisi quia risum maxime moveat. nam, utroque in comparationem adducto, & unius formæ vis boni copiosius laudabitur, & turpis alterius oris imago deridiculo magis habebitur. Hic, jam inde ab ineunte ætate, magnus mulierum fuit amator; atque elegans formarum spectator haberi volebat. si quæ nova nobilis nupta prodibat, continuo versiculis, in ejus formæ laudem factis, se illi insinuare satagebat; cui, & versibus, quorum insulsitas ridebatur, & sermonibus, gloriarum stultitiæque pleniſſimis, miros de se ludos dabat. unicum illi erat studium, omnes amicitia comprehendere, summos, medios, infimos; sed principum virum & illustrium fœminarum familiaritates in primis appetebat; nam, per hanc rationem posse se à ceterorum hominum numero eximi, arbitrabatur, si summatum virorum atque omni dignitate principum amicitia uteretur, ac non solum sciri, verum etiam commemorari, audiret, se apud illos auctoritate & gratia pollere. atque hæc causa erat, cur, quoties vel Cardinalis, vel aliquis Regis cujuspiam aut Reipub. orator, publice Vrbem ingrederetur, daret operam, ut equo, quem ab aliquo potentiori amico utendum acceperat, vectus, in pompa conspiceretur, &, quo unus præ ceteris, omnium in se oculos converteret, varia ac dissimili ceterarum veste uteretur. quo assequebatur, ut non solum vulgi ad se oculos, sed sibilos etiam atque clamores, attraheret. Multas amavit mulieres; è quarum nonnulla liberos sui quam simillimos procreavit; in quarum amore quam multos versus scripserit, quam multa ridicule ac stulte fecerit, si velim proferre, longius ab incepto abstrahar: sed licet, qui voluerit, cetera ex hoc uno colligere. Quõdam Bacchanalibus feriis, cum, personatus, mulieri cuidam, quam diligebat ex omnibus plurimum, vellet osten-

oſtendere, quidnam potiſſimum ab ea in amore erga ipſam ſuo requireret, ſtragula quædam coriacea, quibus ille domi ſuæ parietes tectos habebat, ab amico utenda depoſcit; qui, rei totius ignarus, libenter tradidit. at ille, tum ſatis ſua ſponte, tum ex amore, inſanus, primum, equo ex eis phaleras, tum veſtem, corpori aptam ſuo, conflavit, ſtibique in tergo cubitalibus literis ſcripſit, INCORAMATO. quod verbum, vernacula lingua ambiguum, tum coriacea veſte indui, tum velle ex corde diligi amarique, ſignificat. Interdiu fere domi ſe continebat, neque exibat, niſi ſi qua res magna compuliſſet, ibique vel in hortulo, ædibus ſuis adjuncto, opus faciebat; quem hortum ſua manu optimis ficubus conſeverat; quarum fructibus, ſuo deinde tempore, tanquam è cælo miſſis, quos exiſtimabat ſibi amicos eſſe, donabat; vel in verſibus ſcribendis otium conſumebat, quibus prolatis riſus excitarentur. Paucos ante ejus mortem annos, cum domum ad eum veniſſem, magnum cornuum acervum, unum in locum conctum, inveni; cumque eum rogaſſem, unde ea illi merces advenisſet, ac, num fortaſſe pectines & calceatoria eſſet effecturus, oſtendit mihi ex altera parte alios lapidum tumulos, in quibus auri quædam ſcintillæ emicabant; atque: Horum, ait, cornuum cineres, ad extrahendum ex his lapidibus ſine multa opera ſumtuque aurum adhibeo; ac, ſi res lepide ſub manus, ut ſpero, ſucceſſerit, Rex fiam. Interdiu igitur his ſe domi exercitationibus oblectabat; veſperaſcente autem cælo, in domum aliquam nobilium mulierum ſive virorum ſe conferebat, ſive eſſet ſudum ſive onuſtum imbribus cælum, ſive nix caderet ſive aquilo flaret; ibique vel ludendo vel fabulando, vel riſum aliis movendo, multas horas traducebat; neque, quamvis decrepitus, antea de diſceſſione cogitabat, quam nox, medium cæli ſpacium emenſa, properaret, ut diei locum jam advenienti concederet. Sed, cum domum ſe recepiſſet, ſi illuc jejunus acceſſerat, eo, quod mane coxerat, famem ſublevabat; eumque, quidquid erat illud, quantumvis pauxillulum, juvabat; ſed illud beabat magis, quod foris ediſſet. Contra inimicorum injurias nullis aliis armis tectus erat, niſi verſibus.

nam, laceſſitus ab aliquo, ſtatim libertate, ſtultis penè conceſſa, ſcriptum in illum carmen vibrabat; atque his telis ſuſceptas ab aliquo ſecum inimicitias perſequebatur. Ac poſtremum ejus carmen, quod quidem ad notitiam meam pervenerit, ſcriptum eſt in eos, qui novis Vrbem munitionibus ſepiendam circundandamque ſuſceperant. quo carmine inepte (non enim, tum imperitia tum mentis vitio, quid publicæ utilitatis ratio poſceret intelligebat,) inepte, inquam, inanem eorum operam reprehendebat, qui, tanquam gloriæ & ambitionis ſtudio abrepti, muris & aggeribus Vrbem illam munire conarentur, quam caritate & benevolentia Chriſtianorum Principum ſeptam oporteat eſſe, non muris, & ad quam tuendam conſervandamque, ob ejus laxitatem, vix ingentes militum copiæ ſufficerent: deinde, multo acrius vehementiuſque, eorundem ſævitiam, immanitatem, crudelitatemque diverberabat, qui, nullo delectu, tot pauperum, tot religioſorum hominum, villas, hortos, ædificia, extirparent, diruerent, ſoloque æquarent; id ab eis factum duriter immiſericorditerque, ajebat. Sed quid ea res, inquies, ad eum pertinebat? Multum: nam D. Balbinæ Ædem, cujus erat ille Canonicus, ſtatuerant demoliri, novaſque per eam munitiones muroſque perducere. atque id, quod cogitaverant, factis perſecuti fuiſſent, ſi Vrbani VIII vita biduo longior fuiſſet. etenim, cum Pontifici, ad extremum fere caſum perducto, mortem inſtare intelligerent, properabant omnia perturbare, quemadmodum à nonnullis accipiebatur, atque pervertere, ut Pontifici, qui ſucceſſurus eſſet, operis proſequendi vim ac neceſſitatem imponerent. atque hoc fortaſſe conſilio, Vrbis muros, ad Portam Tergeminam ſive Oſtienſem, ſubruerant antea, quam novos excitarent. at ſi interea hoſtis ad Vrbem acceſſiſſet, omnes ad eam, muris immunitam, aditus apertos ac patefactos offendiſſet. At, quænam vos, ajebat, intemperiæ tenebant? (quid eſt, quod non audeat inſania?) quænam vos furiæ agitabant, ut Ædem antiquiſſimam & religioſiſſimam, quæ tot ſecula manſit, quæ tot hoſtium immaniſſimorum manus effugit, ubi adhuc Apoſtolorum principis veſtigia cernuntur, vene-

venerantur, adorantur, quam Benedictus Cardinalis Iustinianus tanto sumtu instauraverat, picturis exornaverat, quam undique tectam ac pulcherrime laqueatam reliquerat? quibusnam, ajebat, furiis exagitabamini, ut, cum eam conservare possetis, vel intra munitiones complecti vel extra relinquere, malletis perdere, ac penitus ex hominum memoria delere? quid est hoc, nisi parum religiosi & à veteribus Christianorum monumentis alieni animi signum? Sed extremo vitæ suæ tempore, magis quam antea, insanientem eum, relinquamus, & ad alios properemus.

XLVIII. FLAMINIVS FIGLIVCCIVS.

MAgna profecto vis inest in prima illa puerili institutione, qua pueri apud magistros, si probi & docti sunt, ad virtutem & ad bonas artes erudiuntur. etenim illi eas virtutum exercitationes, quas ab ineunte ætate susceperint, seq; in eis continuerint, tanquam lanæ, primum conchylio tinctæ, nunquam dimittunt, atque, etiam si velint, non possunt agere nisi ex virtute. fit enim ex frequenti ac longa alicujus studii exercitatione consuetudo, deinde natura, quæ vix potest expelli; ac, si aliquando rejiciatur, quadrigis, ut dicitur, albis postea recurrit. Hinc laudatissimus mos ille à majoribus nostris, sapientissimis mortalibus, institutus, pueros, in Collegiis ac domibus, simul educandi edocendique, ut tenera illa ætas ac fluxa, à turba hominum eripiatur, ne, ex illorum consuetudine, damni aliquid moribus contrahant, atque antea vitia discant, quam illa vitia esse intelligant; verum, eo in loco collocentur, ubi, quod primum aspexerint, honestissimum sit, atque ex optima atque sanctissima disciplina, quod primum auribus acceperint, sit ejusmodi, ut doctiores ex eo ac meliores evadant. quid mirum est igitur, si ex ejusmodi scholis multi sæpe prodierint, qui acceptam ab illis morum probitatem, sanctissime, usque ad extremum vitæ spiritum, conservaverint? quid enim prima illa virtutum elementa, tanquam semina, in animum, nondum vitiorum spinis occupatum, ex sese, nisi pulcherri-

mos præstantissimosque pudoris pudicitiæque fructus possunt efferre? Atque in eorum numero, qui in publicis istis domibus, ad probitatis omniumque virtutum laudem à puero educatus, nunquam de recta virtutis via deflexerit, Flaminius Figliuccius Senensis, Seminarii Romani Clericus, collocandus est. de cujus virtute eo confidentius me posse dicere videor, quod, ab ineunte ætate, simul eisdem studiis, tanquam sacris, initiati simus, simul in eodem Philosophiæ ac Theologiæ curriculo fuerimus, simul etiam in aliquot academiarum luce conjunctissime vixerimus, simul Sodalitatem Deiparæ Virginis, in domo professa Soc. Iesu, frequentaverimus; quamquam ille, ut dixi, adolescentulus ex Seminario Romano, ubi publice alebatur, ego ex privatis domi meæ parietibus, prodirem in scholas. Verum hæc laus innocentiæ non tam videtur fuisse ipsius propria, quam familiæ universæ communis. habuit enim, inter ceteros, arcta sibi cognatione conjunctum P. Vincentium Figliuccium, Soc. Iesu, virum doctum ac probum, qui magnum onus, à Superioribus suis traditum, Romæ in Collegio Pœnitentiariæ sustinebat, de jure respondendi iis, qui percontatum veniebant de rebus ad conscientiam suam pettinentibus, quos domum, ex incertis certos, & compotes consilii, dimittebat. Sed nondum studiorum suorum curriculum ille confecerat, cum omnium maximus eum dolor percussit, fratris nimirum mors acerbissima. erat hic, juvenis, forma liberali atque honesta, suavissimis moribus, ad omnes res lepidus, ingenio neq; malo neque improbo, qui operas suas ad domestica negocia locaverat Romæ viro, nobilitate, genere, divitiis, existimatione cum primis civitatis. viro huic nobilissimo locupletissimoque par nobilitate atque opibus uxor obtigerat, quæ jam longius ætate processerat. hæc mulier, viro suo orbata, ob inanes nescio quos nocturnos metus, quibus mulieres sæpe corripiuntur, statuerat, cuipiam se viro conjungere, qui eum sibi ab animo timorem expelleret. neque fuit illi diutius deliberandum, quem potissimum eligeret. nam statim occurrit Flaminii frater, longa ac domestica consuetudine notus, ad quem jam animum adjecerat, ejus

ætate,

ætate, forma ac moribus capta: at unus eam ſcrupulus pungebat, propinquorum videlicet timor; qui ſi, vel leviter ſaltem preſſis veſtigiis, hæc ipſius conſilia odorati eſſent, continuo ad ea ſubvertenda omnes machinas admoviſſent. itaque occultiſſime dedit operam, ut antea cogitata perficeret, quam ad cognatorum notitiam pervenirent; atque omnibus, quæ lex præſcribit, adhibitis, conjugali eum nexu ſibi copulavit atque conſtrinxit. quod, ubi factum eſt palam, tum ejus cognati & affines præ iracundia atque dolore inſanire ac furere cœperunt; neque tam moleſte ferebant, eam inferioris ordinis homini nupſiſſe (quamquam ille honeſto erat loco natus, ſed nihil ad mulierem illam,) quam quod verebantur, ne illa, ob amorem, omnium ſuorum bonorum hæredem eum inſtitueret. quamobrem, exploratis locis, quibus noctu erat illi iter in domum, ibi inſidias collocant, ac multis vulneribus affectum interimunt. At mulieris animus nihilo propterea remiſſior ad novas nuptias conglutinandas eſt factus. namque in alterius juvenis manum brevi convenit, cui, præter rem, omnia inerant. At Flaminium Auguſtini Valerii Card. Veronæ, doctrinæ, eruditionis, ac pietatis fama celeberrimi, domus excepit; qui Cardinalis plurimum ejus ingenio delectabatur; ac, quanti eum faceret, oſtendit in morte Canonici cujuſdam Eccleſiæ S. Marci, in cujus demortui locum, ſufficiendum illum curavit. Cardinale Veronæ vita functo, in Cardinalium Petri & Silveſtri Aldobrandini aulam tranſiit; ubi demum, honeſte ac laudabiliter, datum ſibi à Deo vivendi munus implevit, non ſine amicorum bonorumque omnium mœrore luctuque. Multa variis temporibus edidit poëmatia, quæ, ut quævis occaſio ſe dabat, vel novorum Cardinalium, vel inſignium nuptarum, vel cujuſpiam recens in Sanctorum numerum recepti, ſcribebat. Recitavit etiam poëmata aliquot & ſatyras, non ſine plauſu, in Academia Romana Humoriſtarum. Sed quanti hic vir eſſet, oſtendit Maphæus Card. Barberinus, qui poſtea ſuminus Pont. fuit, Vrbani VIII nomine, qui, inter ſua laudatiſſima carmina, intulit epiſtolam, quæ etiam nunc extat ſemperque extabit, ad Flaminium verſibus ſcriptam. non

enim

enim emunctiſſimæ naris ille vir ſummus, ad hominem ſuis carminibus cohoneſtandum, deſcendiſſet, niſi tanto eum honore dignum judicaſſet.

XLIX. LÆLIVS TOLOMEVS.

INclyta Senarum natio ſemper in primis Italiæ pietati ac religioni dedita fuit. cujus rei teſtes, tum ex omni ſuperioris temporis memoria, tum ex noſtro hoc ſeculo, in quo miſere verſamur, quamplurimos, ſi libeat, nominare poſſimus, quos vita ſancte ac laudabiliter acta, quos rerum geſtarum gloria, multaque ac magna ſupra naturæ vires patrandi, à Deo ſibi conceſſa, facultas vocavit in cælum; nunc etiam non pauci, tum ſua in patria, tum Romæ, videlicet in orbis omnium terrarum luce, vitæ integritate & innocentia, rerum humanarum &, quod rem continet, ſui ipſius contemtu, in corpore terreſtri atque mortali vitam imitantur Angelorum; & quod in magna laude ponendum eſt, cum recta ac laudabili vivendi ratione ſummam eruditionem atque doctrinam habent adjunctam. Sed his omiſſis, de quibus, à propoſito noſtro alienum eſt, dicere; ex iis, quos ætas noſtra vidit atque admirata eſt, quique fato functi ſunt ſuo, ſe mihi offert in præſentia Lælius Tolomæus, cujus & generis claritas, & formæ dignitas, & ingenii magnitudo, atque affinitatis etiam neceſſitas, poſcere à me videntur, ut ejus memoriam ac laudem, jam penè intermortuam, quod iis accidit qui nihil ſcripti reliquerunt, ab oblivione hominum, atque adeo ab interitu, vindicem, eamque immortalem reddam, ſi poſſim. Hic, quem dico, adoleſcentulus, ſummo genere natus, ſummiſque à natura ornamentis inſtructus, à parentibus, qui magnam in eo ſpem dignitatis ſuæ collocaverant, omnibus liberalibus diſciplinis eſt inſtitutus: quæ eo clarius in illo elucebant, quod egregie eidem formæ bonum, quod ſi adſit, non minimum virtuti ſplendorem & gratiam addit, acceſſerat. ſed majore ille vi animi atque ardore, ad juris civilis diſciplinam cognoſcendam percipiendamque, ſe contulit. incitabant eum Fabii Benvoglienti,

ti, Iurisconsulti ea tempestate clarissimi, stimuli, qui egregiæ adolescentem indolis cogitabat, tanquam suæ hæredem gloriæ, relinquere, eoque magis, quod aliqua eundem cognatione contingebat. inflammabat ejus studia, parentum cupiditas, qui jam tum, tantæ spei filium, aulæ atque honorum ambitioni destinaverant. sed illum non tam eorum, de quibus loquimur, cohortationibus, quam sua sponte, ad maximi jurisconsulti laudem, properantem, divina Spiritus sancti aura revocavit è cursu, atque, à rebus vanissimis & incertissimis, ad res certissimas ac solidissimas, iter capere, suavissima quadam vi compulit. Itaque laudatissimæ nominis Iesu Sodalitati nomen dedit, ubi una mecum Philosophiæ, apud P. Mutium Vitellescum, qui postea eidem Societati, præpositi generalis nomine, præfuit, ac Theologiæ apud P. Mutium de Angelis, aliosque disciplinæ ejusdem magistros, operam dedit. sed illud ingenium, quod, quamcunque in partem se dabat, magnam inde laudem referebat, in illis etiam artibus perfectum evasit. sed incredibilis eloquentia, cum maximo oris lepore ac vocis suavitate conjuncta, in eo in parvo quodam sermone perspecta, ab illis eum studiis abduxit, & ad conciones, ad populum habendas, abstraxit. quanquam illud eloquentiæ donum non tam erat ipsius propriuin, quam toti ejusdem familiæ commune. Memini, Germanicum Tolomeum, hujus Lælii fratrem germanum, mecum de domestica re quadam agenti, ex improviso orationem, omnibus suis partibus absolutam atque perfectam, habere, (erat enim sororis meæ vir,) æquabili ac nusquam interrupto verborum cursu. Sed jam ille ad summos concionatores pervenerat, jam in omnibus Italiæ civitatibus celebre suum nomen effecerat, cum eos fructus, qui ab ejus eloquentia percipiebantur, lethalis pituita intercepit; quæ à capite ad pectus atque inde ad pulmones defluens, insanabili eum tabe corripuit; ejusque vi, non ita multos post menses, illud est clarissimum probitatis eloquentiæque lumen exstinctum.

2. IO. BAPTISTA AGVCCIVS.

SI cuipiam præſtantis ingenii viro, præſtantis etiam magiſtri diſciplinam contingat accedere, atque in eam partem ſtudium ſuum dederit, in qua naturam fautricem habeat, quis nam dubitat, quin in ea futurus ſit omnium facile princeps? Id quod Io. Baptiſtæ Aguccio, Bononiæ, nobili loco nato, uſu veniſſe vidimus. hic enim ad omnes res egregias à natura factus, incidit in diſciplinam Philippi Segæ, ſingularis prudentiæ viri, quem poſtea egregia ipſius merita in illud dignitatis faſtigium, in quod venit, evocarunt. nam ab Innocentio IX Cardinalis creatus, dignitatem ejus Collegii mirabiliter auxit. qui Card. cum videret Io. Baptiſtæ indolem, aptam ad res magnas, toto eum pectore eſt amplexus, eoque vehementius, amore ſtudioque in eum exarſit, quod ille arcta ſe cognatione contingebat; erat enim ſororis ſuæ filius. neque Io. Baptiſta avunculi in ſe ſtudiis non reſpondit, ſed mirum in modum ſemper occurrit. nullam ille ætatis ſuæ partem, ſtudiorum labori detraxit, ſed unamquamque habuit in illis extenſam. primum, pueriles annos, non ludis, non æqualium ſtudiis, ſed humaniſſimis politiſſimarum artium literis dedit; è quibus cum exceſſit, ad eos magiſtros venit, qui regulam tradunt, qua vera & falſa judicentur, quæque, quibus propoſitis ſint, quæque non ſint, conſequentia, videlicet Dialecticam. qua arte inſtructus, Philoſophiæ & Iuris civilis eſt curſum ingreſſus. quo confecto, eorum, quibus jus eſt, juris civilis publice interpretandi facultatem dare, votis omnibus declaratus eſt juris ejuſdem interpres atque magiſter. Sed pulcherrima elegantium literarum ſpecies ac forma, ejus ad ſe animum magis attraxit, atque arctius ſibi conjunxit. In primis exactam atque perfectam utriuſque linguæ notitiam tenuit, Latinæ nimirum & Etruſcæ, & in unaquaque earum ſcripſit elegantiſſime. quibus in ſtudiis, cum Cardinalis Sega eos illum progreſſus feciſſe animadverteret, ut multorum, qui in eodem curriculo verſati eſſent, induſtriæ præiret, duxit eum ſecum in Galliam,

quo

quo Legatus Pontificis proficiſcebatur ; ut eſſet arcanorum omnium particeps , & interpres eorum ac nuncius, quæ ad ſummos viros alioſque perferenda eſſent. quam rem Lanfrancus Margotius,quem pariter ab epiſtolis ſecum adduxerat,cum ferret indigne, diſcedendi poteſtatẽ ſibi fieri poſtulavit ; qua impetrata , ſecundis Romam auſpiciis eſt profectus. etenim , vix pedem in Vrbem intulit , cum à Cynthio Cardinali Aldobrandino , Clementis VIII Pont. max. ſororis filio, eſt ad ſcribendarum epiſtolarum munus adhibitus,ejuſque opera adeo æſtimata eſt, ut à Paulo V, qui poſt Leonem XI Clementi ſucceſſerat , dignus ſit habitus , cui honor purpuræ deferretur. At Io. Baptiſta , Cardinali Sega defuncto, à Petro Card. Aldobrandino , ad quem, Clemente ejus patruo adhuc ſuperſtite,rerum omnium ſumma redierat, receptus eſt in ſuorum familiarium numerum , ut ſibi navaret operam ab epiſtolis , iis præſertim , quæ officii gratiæque cauſa ſcribuntur ; in quibus major vis ingenii requiritur. cujus adeo egregia atque præſtanti uſus eſt opera , ut eundem ſecum in nobilem illam ad Henricum IV Galliæ Regem legationem adduxerit. cujus etiam itineris acta omnia lepide eleganterque literis conſignavit ; quæ ſumma omnium cum approbatione leguntur. à qua legatione reverſus Cardinalis, domus illi ſuæ, ſummo cum imperio & auctoritate regendæ , provinciam detulit , quam Hieronymus frater , à Clemente in Collegium Cardinalium cooptatus, adminiſtraverat, eamque, uſque ad Clementis Pont. & Cardinalis Aguccii fratris mortem,obivit;ſed adverſa valetudine,in quam,itinerũ laboribus & aulicæ vitæ incommodis, inciderat, eſt coactus, ab ea diſcedere , & tantiſper otioſam & remotam à negotiis omnibus perſequi vitam, quoad convaluiſſet. verum, recuperata valetudine, noluit amplius moleſtiſſimis aulæ occupationibus ſe tradere , ſed toto ut ajunt pectore, pietatis ac religionis ſtudio (nam ſacris erat eccleſiaſticis initiatus) literiſque ſeſe permiſit , omneſque, qui tum erant in Vrbe, literatos homines amicitia comprehendit , iis utebatur familiariſſime, eorum ſtudiis deditus erat , eos ſibi convivas adhibebat. quod vitæ genus jucundius illi fuiſſet, ſi perpetuam,

petuam, vel ſaltem diuturnam, eſſe licuiſſet. nam poſt aliquot annos, ejus opera, quæ utilis ac fidelis inveniebatur, à Card. Aldobrandino revocata eſt rurſus ad domus ſuæ præfecti provinciam; nec ab ea ſibi fas fuit, niſi Cardinalis ejuſdem morte, recedere. neque ab hac ſolicitudine curaque ſoluto, licuit illi eſſe otioſo, ſed à Gregorio XV, populari ſuo, nuper ad id faſtigium evecto, ex omnibus fuit electus, cujus fidei induſtriæque, jam ſibi cognitæ, Reipub. arcana omnia committeret, eumque in ejuſmodi negotiis, ſcribæ loco, ad manum haberet. ſed celer Pontificis illius è vita diſceſſus (non enim integrum in eo honoris loco triennium explevit) longius illi ſpatium, muneris illius, in quo excellens habebatur, obeundi, ſummamque amplitudinem ſimul ademit. ad quam Vrbanus VIII cum virum, fidei conſtantia & ingenii claritate præſtantem, vellet perducere, Nuncium ad Rempub. Venetam miſit. quod munus dum egregie, atque ex Pontificis animi ſententia, adminiſtrat, ea, quæ hominum ſpes eorumque contentiones in medio fere ſpacio proſternit ac frangit, mors inquam, interceſſit, nec paſſa eſt, Vrbanum ea virtutibus illius, quæ cogitaverat, ornamenta deferre. Magnam in ſcribendis epiſtolis habuit gloriam; œconomus ſummus, ita tamen ut nihil familiaribus, quibus præerat, detraheret, quod dominis adderet, ſed eos ſine dominorum damno, large copioſeque tractabat. Paululum ſeveris moribus videbatur, quamvis in communi amicorum conſuetudine omnem humanitatem amœnitatemque exerceret. erat in omni genere ſermonis & humanitatis penè perfectus, & de quacunque re, quæ in diſputationem caderet, docte copioſeque diſſerebat; de Repub. de Principis officio, de natura, de vitiis hominum, de cupiditatibus, de modo, de continentia, de hiſtoria, de Philoſophia, de Theologia, de ea, inquam, quæ ad mores pertinet, non autem de ea, quæ in diſſerendi ſubtilitate verſatur; nam hanc nunquam attigerat. Vnum in eo vitium deprehendebatur, quod fidem ac benevolentiam ſuam amicis, ad eos ſublevandos adjuvandoſque, non præſtaret. Scripſit quandam, Latino ſermone, hiſtoriam, quam cum neque ediderit, neque

ejus

ejus mihi aſpiciendi poteſtas ab aliquo facta ſit, quid in eo genere potuerit, judicare non licet. Illud dici ab omnibus audio, qui eas legerunt, epiſtolis ſuis nihil eſſe elegantius, nihil pulcrius, nihilque perfectius. Scripſit etiam animadverſiones quaſdam ac monita ad Nuncios Apoſtolicos, quæ, in Pontificum negotiis apud Reges ac Principes gerendis, ſequantur; tum, ſermones de Repub. recte adminiſtranda, eruditionis prudentiæque pleniſſimos. quæ omnia, ſi typis excuſa prodirent in lucem, eruditorum in ſe omnium admirationes & ſtudia converterent.

LI. IVLIVS STROZZA.

SI paululum eas ad laudes atque virtutes convertere animum placeat, quibus cumulata ea urbs eſt, quæ principem inter alias Etruriæ urbes locum ac numerum obtinet, tam multas tamque præclaras eas eſſe reperiemus, ut, eidem merito Florentiæ nomen inditum eſſe, fateri cogamur. adeo rerum omnium pulcherrimarum nitore cultuque florere conſpicitur. Mitto civium ejuſdem parſimoniam, frugalitatem, induſtriam, numerum, qui toto terrarum orbe proſeminati, ſumma earum regionum, quas petierunt, cum utilitate ac commodo negotiantur, ſeque ſuoſque, ſine cujuſquam injuria, divitiis atque opibus augent. mitto homines, quos ad Rempub. capeſſendam, ad imperium orbis terræ ſuſcipiendum natos, in Vrbem omnium aliarum reginam ac principem mittit: quorum tres, noſtra ætate, quamvis non omnes illi Vrbi utiles, ſummi Deoque proximi faſtigii culmen tenere conſpeximus; neque quidquam factum eſt propius, quam ut illis quartus accederet. mitto complures, quos, in omnium bonarum artium ſtudiis egregios atque præſtantes, humaniſſimis atque elegantiſſimis literis præditos peperit. mitto, inquam, hæc atque alia non parum multa, quibus merito floris cujuſdam delibati vocabulo nuncupetur. Quid illud, quantam in ſe habet laudem & gloriam, quod ſermo ille quo nunc utimur, ex barbararum omnium linguarum quaſi colluvione exortus, in ea civitate primum eſt ad humanita-

nitatem deductus, tum excultus ac limatus, postremo, iis ornamentis ac deliciis instructus, ut non solum Latinæ linguæ, verum etiam Græcæ, quæ præ se ceteras alias linguas, ut rudes, ut incultas, ut barbaras, contemnebat, verborum cópia, elegantia, venustate, ac suavitate, ut parce dicam, non cedit. In hac lingua ortus est ille, de quo referre instituí; Iulius nimirum Strozza, ex nobili patre; quamvis non justis nuptiis, sed ex concubina, ut dicitur; quem tamen pater agnovit, atque optimis disciplinis erudiendum instituendumque curavit. neque Iulius apud magistros operam perdidit, sed magnos in iis artibus, in quibus erudiebatur, progressus effecit. Suam Venetiis adolescentiam habuit; ubi parens suus argentariam non ignobilem faciebat; qui non satis sibi propitium habuit Mercurium; cui improbe concessum est ab antiquis, & datum, ut mercimoniis præsit, ac lucris; nam id illi negotium decollavit, ac fortunæ vitio, ea in urbe, tanquam in mari, bonis elavit. hinc factum existimo, ut filius magis Venetias, quam Florentiam, in deliciis habuerit; quod locus ille magis nobis sit cordi, ubi primos illos ætatis annos exegimus; præsertim si ex libidine eos nostra coluimus. quod si uspiam potest contingere, Venetiis sine dubio evenit. qua in urbe, quia multæ ad voluptates apertæ sunt viæ, voluptarii in ea homines habitant maximi. Inerat illi & ingenium satis acre, amœnum, ac poëticum; scribendi ratio non inelegans, ut licet ex eo poëmate judicare, quod edidit; in quo urbis Venetiarum laudes graviter eleganterque prosequitur. In omnibus celebrioribus Italiæ Academiis numerabatur. Romæ etiam, una cum nonnullis, novam in ædibus Io. Baptistæ Cardinalis Deti, Academiam instituit; tum ut Cardinali illi, etiam tum penè adolescenti, cui quidvis aliud magis in amore studioque esse dicebatur quam literæ, aliquam hominis eruditi famam conciliaret. illa etiam ejus Academiæ constituendæ causa fuit, ut Academiæ Humoristarum, cui illi, ob quasdam dissensiones, erant infensi, quæq; tum ingeniorum nobilitate florebat, perniciem, exitium & vastitatem afferrent. libentius enim, atque ambitiosius unumquemque eorum, qui

Aca-

Academias perſequerentur, viri principis in domum eſſe venturum, exiſtimabant, ubi majus atque honeſtius virtutis ſuæ theatrum eſſet habiturus, quam privati hominis, quantumvis nobilis, ædes celebraturum, ubi paucis auditoribus, quæ ingenio multoque labore peperiſſent, exponerent; ut olim, eodem in loco, Hieronymo Aleandro contigiſſe memini, qui tribus neque eo amplius auditoribus, egregiam illam ac doctam, Humoriſtarum impreſæ, quam vocant, interpretationem cœpit legere; neque propterea eſt deterritus, ſed legit nihilominus; nondum enim fuerat in mores inductum, ut Cardinales, honoris gratiæque cauſa, ad ejuſmodi eruditorum hominum conventus accederent; neque quiſquam eos inviſere audebat: verum, quemadmodum ſolſtitialis herba repente oritur, ac repentino occidit; ita etiam, recentis illius Academiæ quaſi viriditas, quæ nimis celeriter ſeſe diffuderat, eodem ferme quo exorta eſt anno exaruit; ac dominus domus, in alia fere omnia diſtractus, oſtendit, non poſſe eſſe diuturnum, quod invita Minerva ſuſcipitur. at contra, illa altera Academia, ad quam funditus evellendam omnes illæ machinæ adhibebantur, altioribus in dies radicibus actis, majorem firmitatem ac robur accepit, quam ut aliqua vi convelli ac labefactari poſſe videretur. ac, dum adverſarii toto in id animo, ut eam evertant, incumbunt, Iulius, honorum curriculum ingreſſus, Protonotariorum ordinem ac numerum mercatus fuerat, eorum, inquam, quos, quoniam in partem lucri, quod ex eo muneris genere, tanquam ex fundo aliquo, capitur, veniunt, parum Latino nomine, Participantes appellant: utrum ſua, an aliena pecunia, cum in re admodum tenui verſaretur, ignoro: ſed poſtea revocavit ſe ab eo curſu, quem ceperat, ac veteri vitæ reſtituit. qua in vita, multa, quæ fecit ac dixit, prætermittimus; partim quia levia ſunt, partim quia non ſatis digna, quæ literis memoriæque prodantur. Vnum omnino reticere non poſſumus, quod ſit nobis documento, quemadmodum principum virorum amicitia utamur, & in omnibus dictis factiſque circumſpiciendum, ne quid offendamus, ne quo irruamus. Iam honorem, quem emerat, produxe-

rat, ac vendiderat, mercedemque coegerat ; tum veſtis, ejus honoris proprias, exuerat, & ad veteres, communeſque redierat ; cum à I. Maria Vrbinatum Duce invitatus eſt in domum ſuam, ut præfecti cubiculi munere fungeretur ; &, quo illi gratior ac jucundior ejus muneris functio videretur, oneravit eum optimis honeſtiſſimiſque conditionibus. venit ille, provinciam accipit, labori induſtriæque ſuæ non parcit ; quid in ſtudiis literarum profeciſſet, oſtendit. etenim vir ille princeps, à publicis privatiſque ſuorum negociis feriatus, cum paululum quieti otioque ſe dabat, non ludicros ſermones, non rerum colloquia leviorum proſequebatur, ſed omnis erat illi ſermo de literis. conſueverat etiam interdum corpus vomitione purgare ; ad quam rem braſſica cucullata uti ſolebat ; qua jurulenta cum ſe impleſſet, continuo, injectis in os digitis, eam evomebat, ac pituita noxiique humores alii conſequebantur ; itaque ſe incolumem vegetumque, ſine aliqua medicorum ope, ſervabat. hinc fiebat, ut braſſicæ ejuſmodi genus, pluribus in locis, ad illud procreandum idoneis, ſerendum colendumque mandaret. accidit igitur, ut, die quodam, Dux una cum Iulio in via quadam, arboribus conſita, inambularet, eaſque arbores nimis lente quereretur excreſcere. Iulius: Tu ne eas, inquit, braſſicæ tuæ cucullatæ eſſe ſimiles, putas? hanc te oportet ſerere, quibus, ad tollendum ſe altius ſuamque ad maturitatem perveniendum, pauci ſatis ſunt menſes. quod Dux ſuam ad contumeliam referens, æquo illum animo non potuit amplius aſpicere. id cum Iulius comperiſſet, ſeque à conſuetis cum Duce colloquiis ſegregari videret, tempore dato, Ducem adiit, ac ſimulatis quibuſdam cauſis, quæ ſe ad diſcedendum compellerent, abeundi poteſtatem ſibi ab eo fieri poſtulavit, atque alio ſe contulit. Poſtremo Venetias venit, quarum ille originis, ædificationis, incrementi, ejuſque amplitudinis, ad quam nunc eſt perducta, ordinem ac rationem, eleganti poëmate, iis, qui non noſſent, aperuit. qua etiam in urbe vitam finivit, neque aliunde certius amoris, quo illam urbem dilexiſſet, argumentum poſſe deſumi exiſtimavit, quam ſi & vivus, quoad licitum fuit, & mortuus, in ea eſſe voluiſſet.

luisset. Audivi etiam, tragœdiam ab eo fuisse compositam, Erotillæ nomine inscriptam, quam esse egregiam, argumento mihi est Antonii Quærenghi carmen, quo illam eximie laudat.

LII. PETRVS ALBERTINVS.

NOn parum sæpe in eos incidi, qui de rerum natura quererentur, quod perpulcris ingeniis turpe, absurdis elegans corpus tribueret; quod longe secus ab ea fieri oportere contenderent; naturæ enim multo convenientius esse, eos, quos suo beneficio egregiis animi dotibus ornaret, præcipuam etiam habere laudem amplissimæ pulcherrimæque corporis formæ, eos vero, quibus nulla dedisset ornamenta ingenii, ab omni quoque venustate figuræ vacuos inanesque relinquere. ita enim, qui essent ingenio aut aliqua alia virtute præstantes, ex oris dignitate ac pulcritudine cogniiri, majore essent apud omnes æstimatione atque honore; neque ignotis, qui deformem eorum faciem intuerentur, essent contemtui atque ludibrio. ut Agesilao Lacedæmonio contigisse narratur; qui cum esset corpore exiguus, & claudus altero pede, atque ad corporis deformitatem vestitus humilis atque obsoletus accederet, à Regis Ægypti, cui ille subsidio venerat, ministris non aliter sit habitus, quam quivis inops atque privatus, ac vix illis fides fieret, eum esse, qui ob virtutem tanta tamque admirabili gloria esset. Quid multa? tantam habet pulcritudo commendationem, ut Aristoteles, in suis de moribus libris, docuerit, non posse felicitatem in eum cadere, cui insignis deformitas esset. atque adolescens, Romæ vidi quendam, amplissimis honoribus præditum, qui omnia posita esse duceret in procera excelsaque statura. itaque quandam domi suæ mensuram habebat, ad cujus mensuræ rationem, eorum corpora, qui in suorum familiarium numerum venire vellent, exigeret. quo fiebat, ut parafrenarios, rhedarios, œconomos, secretorum conscios, cubicularios, adque adeo promos condos, ac cocos, si diis placet, ita magnos haberet, ut, cum cubiculum aliquod ingredi vellent, necesse habe-

rent, caput ad ſuperum oſtii illius limen demittere. atque ſi homines, ex trunco corporis æſtimationem acciperent, nullum Petro Albertino precium ſtatui potuiſſet. nam nemini eorum, qui, in viri illius principis, de cujus memoria commemoravimus, familia numerabantur, eſſet inferior. qui vir princeps, quod gigantea homines forma diligeret, non eſſe mirandum ajebant, cum ipſe quoque, quemadmodum gigantes, terræ filius eſſet. quam matrem agnoſcebat etiam hic Petrus: nam ex imis ejus erat viſceribus ortus, hoc eſt, patre obſcuro atque infimo natus; quem, contra pietatis officium, famuli cujuſdam loco habebat. ille enim filio obſonabat, ille cœnam, ille prandium coquebat, ille menſam ornabat, ille lectos ſternebat, ille, ut ædes niterent, faciebat; ille advenientibus ſellas, in quibus ſederent, præbebat, denique, omnia, quæ ſunt famuli, officia perſequebatur. atque ille miſer, quo filium liberalibus diſciplinis erudiendum curaret, quod habuit, omne prodegerat; neque tot ſumtibus aliud, niſi ſibi dominum, comparavit. In Gymnaſio Romano Soc. Ieſu, humaniores primum literas didicit; tum Philoſopho, deinde Theologo operam dedit. & quia eum parens, pro re ſua, ſatis bene veſtitum habebat, & quia minime erat timidus, ſed alacer ac promtus, in nobilium adoleſcentium familiaritates ſe inſinuavit; à quibus, ob opinionem ingenii, eruditionis, ac doctrinæ, quam de ſe faciebat, prope in fratris loco diligebatur. Semper erat in diſputationibus princeps; nemo putabatur acutius vel ſententiam ſuam tueri, vel aliorum refellere. ſed multo majorem opinionem doctrinæ faciebat, & voce qua præſtabat, & lingua ad dicendum reſpondendumque promta atque parata, qua ceteris antecedebat, quam quanta in eo facultas erat. ſed cum videret, nihil ſe ex iis artibus, quas adhuc coluiſſet, niſi inanem quandam popularis auræ aſſenſionem aucupari, nec jam res patris, ejus ſumtus pati poſſe; ſtatuit, ab ea diſciplina auxilium petere, unde maximas pecunias fieri non ignorabat; atque ad jus civile cognoſcendum, animum tranſtulit. cujus facultati, cum paucorum annorum, ſive potius menſium, ſtudium dediſſet, ejus, ut nunc ſunt mores, inter-

terpretandi docendique facultatem coëmit ; ac vix ejus potitus est , cum dux aliis esse cœpit , in eo curriculo , quod ille nimis celeriter percucurrerat ; hoc est , alios pecunia docere instituit. Incredibile memoratu est , quanti ad eum discipulorum concursus fierent , eorum præsertim , qui ex prima illa puerili institutione , in scholis Patrum Soc. Iesu, ad jus civile transibant ; adeo ut mihi, qui eodem , qua ceteti , de illius virtute , opinione imbutus, misere cupiebam in ejus ludo addiscere, nulla ad ejusdem disciplinam perveniendi facultas obtigerit ; quod diceret , se non posse mihi vacare , quod multitudine discipulorum obrueretur. itaque, beneficii cujusdam gratiæque causa transmisit me ad legulejum quendam Picenum , quem aliquot menses audivi. sed cum animadvertissem , me non plus ab eo accepisse doctrinæ, quam si nunquam in ejus ludum venissem , nolui amplius apud ipsum operam perdere ; sed statui , alias scholas, alios magistros persequi ; ac, nulla eidem mercede persoluta , (quid enim fecerám lucri ?) discessi. quo factum puto , ut nunquam ille postea , oculis me potuerit æquis aspicere. erant , in eodem ludo , in quo ego nihil sapere discebam , duo adolescentes nobiles ; quorum alter ex Attavantum familia Romæ vetere atque honesta , judicum sententiis fuerat securi percussus, quod adolescentem, arcta sibi familiaritate conjunctum, interemisset, ejusque ad pedes, molossos aliquot, à quibus voraretur, alligasset. occultum enim suum ille scelus fore putaverat, si ille ex facie à canibus corrosa, non potuisset agnosci, quis esset. hujus etiam tanti facinoris horror, ab ea me schola abalienavit : non enim amplius in ea versari sustinebam , quam ejusmodi hominum genus frequentaret. Edixerat , per id tempus , Clemens VIII , ut, qui Romæ in Collegio Germanico alerentur, præter Philosophiam ac Theologiam, Pontificium jus etiam addiscerent, eo quod, cum Legatus ad Regem Poloniæ proficisceretur , atque iter faceret per Germaniam , ab Episcopis illis , eorumve judicibus , multa perperam judicari vidisset , ob juris Canonici ignorantiam. Hæc provincia statim tradita est Petro Albertino à Patribus Soc. Iesu, ejus Collegii moderatoribus ; ne-

minem enim inveniri posse putabant ad id munus aptiorem, præter eum, qui in ipsorum nutricatu penè educatus esset ; quique opinione, quam de sua virtute fecerat, arcem omnium scientiarum tenere existimabatur. Cœpit igitur traditos sibi discipulos in studio juris Pontificii exercere, eosque in eam opinionem adducere, aut ab eo aut nusquam melius accipi posse præcepta Iuris prudentiæ. sed venit Lepidus Piccolomineus, ex eadem Societate nominis Iesu, mire ea disciplina, quam ille profitebatur, instructus ; qui cornicum, ut dicitur, oculos confixit. nam, cum in publicis quibusdam disputationibus, multa audiret ab eo, tanquam certissima statui, quæ nullis veritatis indicibus niterentur, multa etiam aliena, atque adeo contraria iis quæ proposuisset, afferri, neque posset pati, optimis ac studiosissimis adolescentibus fucum fieri, ac falsa pro veris obtrudi, aggressus est, gravissimis validissimisque rationibus, quæ ille rata ac firma debere esse constituisset, labefactare atque convellere, quoque ipse in errore versaretur, eodemque alios obliniret, ostendere. Qui æstus, qui error, quæ tenebræ obortæ sint, homini minime malo, ut ego non dicam, facile unusquisque conjectura assequi potest, cum ex improviso se in certamen provocatum fuisse videret, ab adversario doctissimo atque ad disserendum paratissimo, quem ne natum quidem esse sciebat. & quoniam audierat, Lepidum illum Piccolomineum perpetuo deinceps in eo Collegio futurum, ut confessiones illorum, qui in eo alebantur, exciperet, causam invenit, quamobrem necesse haberet susceptam docendi provinciam deponere ; eaque se abdicavit ; ne videlicet quotidie cum tam valenti adversario sibi res esset, cui se imparem esse sentiebat. id quod Patres illi, qui eum diligebant, molestè graviterque tulerunt ; ac mecum questi sunt quidam ex illis de nimia P. Piccolominei in disserendo subtilitate, ab eoque factum fuisse duriter, atque adeo inhumaniter, quod ad evertendam probi illius hominis ingenii commendationem, voluisset ea, quæ non constant, ex rebus penitus cognitis atque perspectis, neque ad scientiam ullo modo perveniunt, non vulgari quadam trutina, sed exacta artificis

ſtatera expendere. neque, ea cauſa, qui illi favebant, facti ſunt tardiores ſegnioreſque in eo ornando, ejuſque commodis, quantum in ipſis erat, ſerviendo. nam Cardinali Odoardo Farneſio, jus civile cognoſcendi cupido, doctorem illum ac magiſtrum dederunt, à quo præcepta juris acciperet; quem ſtatim, in ſuorum aulicorum numerum receptum, ſtipendio & quotidiano cibo donavit. ſed breve tempus habuit declarandæ, in eo inſtituendo, induſtriæ: ille enim diſcendi ardor, qui in eo viro principe exarſerat, intra paucos, menſes an dies? non modo refrixit, verum etiam extinctus eſt totus. itaque Petro reſtabat aliud nihil, niſi ut Cardinalem ad publica munera euntem comitaretur, & in procetone, una cum aliis aulicis, officii gratia inambularet, ac fabularetur. Sed alius eum caſus adjuvit, Cinnimirum Campani mors, qui in Gymnaſio Romano principem juris Pontificii docendi cathedram obtinebat: nam Cardinali ſuffragante, homine his temporibus potente, ceteris competitoribus ſuis antelatus eſt, atque in demortui locnm ſuffectus. neque quidquam propius eſt factum, quam ut die quodam incendio conficeretur, cum ædes Farneſianæ, ab ea, in qua ille cubiculum habebat, ignem concepiſſent; & cum flamma cubiculum ipſum comprehendiſſet, bibliotheca amiſſa, vix vivus ex illa flamma incendioque evolavit.

LIII. OCTAVIUS PANCIROLA.

MAgna profecto, à rerum natura, hominum ingeniis tributa vis eſt, quæ ingenia plerunque neque à doctrina neque à cujuſquam præceptis exculta, multa ex ſe efferunt, quæ doctiſſimi homines, literarum ſtudiis & exercitationibus aſſuefacti, aſſequi nequeunt. nonne, ab obſervatione naturæ, ea inventa ars eſt, quæ merito omnium maxima & excellentiſſima exiſtimatur, dicendi nimirum ars? etenim, quæ ſua ſponte homines eloquentes facerent, cum quidam obſervaſſent ac delegiſſent, eadem quibuſdam præceptis & in una inſtitutione formarunt. nonne ii, quibus ſumma eruditionis ac poëticæ facultatis laus, conceſſa ab omnibus eſt, ex

rudibus, ineptis, ac ridiculis ſimplicium virorum poëmatiis, multa ſæpe excerpunt, quibus, tanquam ſtellis, ſua ſcripta illuminentur, quæ ſine illis futura fuiſſent minus elegantia ac minus illuſtria? Speronis Speroni, hoc eſt, qui cum ſemper alite ipſum, apertos haberet Damæ Rovenſæ, Rinaldi ex amore ſe afflictantis Trabiſondæ, alioſque ejuſmodi libros, homo omnium fere ſuæ ætatis doctiſſimus, interrogatus, cur id faceret, reſpondiſſe fertur, ſe furem eſſe literarium, & in primis cupere, ſua furta eſſa occulta, idq; ſibi ex ſententia eventurum eſſe putare, ſi pauperum tuguria perſequeretur, unde ſi quid abſtuliſſet, propter eorum, quos expilaſſet, obſcuritatem, omnibus etiam futurum eſſet incognitum; longe ſecus eventurum eſſe, ſi furtificas, in locupletum & illuſtrium virorum domos, manus vellet afferre, quorum res, propter ipſorum nobilitatem & amplitudinem, omnium jam patent ad oculos; nam ſi quid mihi ex illis arrogare vellem ac proprium facere, quicunque aſpicerent, continuo clamarent, furem manifeſtarium, qui ea pro meis venderem, quæ jamdiu in illius vel illius beatiſſimi hominis ſupellectile numerarentur. Hactenus ſermo eſt de iis, qui furtum facere, atque ex pauperum bonis augere ſuam rem ſtudent. at ſunt inopes aliqui, hoc eſt, quidam, nullis fere literis præditi, nulla eruditione ornati, adeo fortunati atque felices, ut ditiores omnes certatim in eos, quidquid ſibi rei eſt, conferant, neque aliquem eos locupletandi finem faciunt, unde illorum nomen omnis poſteritatis memoriæ conſecratum exiſtat. Id quod Ambroſio Calepino contigiſſe videmus, qui, cum Lexicon quoddam Latinarum vocum, plerarumque fortaſſe non bene intellectarum, edidiſſet, placuit inventum hominibus doctis; & quoniam non eſſet integrum, in illud invadere, quia prior ille occupaſſet, relicto Calepini nomine, tantum unuſquiſque in illud, quantum poterat, contulit. itaque jam liber ille, tanta rerum copia redundat, ut copia ipſa non æque ſit copia, ut liber ille eſt copia, neque quidquam ſit Calepini nomine illuſtrius. Hoc quidem noſtra ætate, ut de aliis taceam, uſu venit Octavio Pancirolæ Regienſi, & Cathedralis ejuſdem Eccleſiæ

Cano-

Canonico; quamquam fuit Calepino aliquanto felicior; ille enim ſuo inventu, hic eſt clarus alieno. Venit hoc in mentem Hippolyto Pancirolæ, fratri ejuſdem germano, qui operæ pretium ſe eſſe facturum exiſtimavit, ſi omnium, quæ ſunt Romæ Eccleſiarum origines, ortus, auctores, nomina, eorumque, quæ illarum cuſtodiis aſſervantur, Sanctorum Reliquias, præterea, Noſocomia, Xenodochia, aliaſque hoſpitales domos, unum in libellum colligeret, quem Theſauros abſconditos vocaret, idque anno Iubilei jam appetente cIↃ IↃ c, ut qui Romam eo anno, religionis ergo, venirent, haberent, unde breviter eorum locorum, quæ ipſi venerarentur, notitiam acciperent, quo majorem pietatis ac religionis ſuæ fructum erga loca illa perciperent, propter quæ patrias ſibi ſedes relinquendas, & ad Vrbem veniendum (nam veniendi nulla alia erat cauſa) honeſtum ac glorioſum putaſſent. Tantum ille aliqua Octavii fratris opera uſus eſt, ad earum Eccleſiarum hoſpitaliumque locorum memorias quoquo modo à rectoribus ac magiſtris eorum excipiendas; neque mea illi opera defuit, quod eſſem Octavii amiciſſimus. verum, ipſe totum librum Italico, neque ita eleganti, ſermone conſcripſit, & conatus eſt etiam edere; idque ſibi facile ob ejus libri novitatem eventurum exiſtimabat. ſed res aliter cecidit, atque opinatus fuerat. nam cum nemini ex Societate Ieſu liceat aliquid typis imprimendū mandare, niſi facta à ſuperioribus poteſtate, illi verò, quibus hæ partes datæ fuerant, ut viderent, num quid ille liber luce dignum afferret, retuliſſent opus illud, luteum ſibi negocium videri, nec ſatis dignum, quod in iis quæ ex Sociis ejuſdem Sodalitatis exiſſent numeraretur, atque idem ſibi videri, Cardinalis Bellarminus, quem ille appellaverat, affirmaſſet; ſententia deſtitit. nunquam enim apud ſuos aliquam ingenii habuit laudem; nulla in re Pancirolæ illi alteri ſimilis, cujus opera, ob eximiam Iuris civilis ſcientiam, magnis ſtipendiis conducta eſt ab omnibus Italiæ Gymnaſiis, in eiſque incredibili auditorum concurſu, facultatem eam aliis tradidit in qua erat princeps; quem etiam à Paulo Manutio laudatum in Epiſtolis ſuis invenio. ſpem igitur immortalitatis nominis,

quam

quam cèperat, coactus abjicere, eam in Octavium fratrem transfudit, ac librum tradidit, ut editum, pro suo aliis obtruderet. quem ille librum, non tam dulcedine gloriæ, quam spe aliqua lucelli quœsticulique commotus, accepit: sperabat enim, magnum emtorum numerum eam sibi mercem conciliaturam; sed spe illa dejectus, ne nummo quidem uno factus est ditior. Iacuit ille liber, fere usq; ad alterũ Iubilei annum cIↃ IↃc xxv. tum viri quidam eruditi susceptum illum, delectati materia & titulo, ita auxerunt ornaruntque, ut, si Octavii Pancirolæ nomen & titulum demas, non agnoscas, eundem esse. atque hodie nihil fere est libro illo celebrius, nihil, quod emtorem magis inveniat.

LIV. ANGELVS MOROSINVS.

SI natura, seu potius rerum omnium parens Deus, in tribuendis animi dotibus, generis cujusque splendorem & claritatem aspiceret, nemo generosissimus non etiam doctissimus inveniretur. sed, cum sæpenumero summo genere nati, ob hebetudinem ac tarditatem ingenii, inscitia rerum omnium laborare, contra, infimæ sortis homines, ingenii bono, ad summam sive eloquentiæ sive Iuris civilis sive Philosophiæ sive aliarum pulcherrimarum artium scientiæ laudem efflorescere; quid habet ea res argumenti, nisi, in nobilitate familiæ, vel in opum magnitudine, quæ homini extrinsecus accidat, in bonis animi comparandis nullam vim esse? quam nam enim in iis partem, quasi suo jure, fortuna sibi vendicet, quæ ad animum, quo præsertim hominis vis & ratio constat, ornandum perficiendumque pertineant? ideo ex iis rebus, quæ nullis adversis casibus subjiciuntur, sed perpetuo nobis inhærent, laudem, gloriam, & famam esse expetendam, ex aliis quæ possunt amitti, quæque ejus sunt partis (corporis videlicet) propria, quod est nobis commune cum brutis, non item nisi ex recto ac laudabili earum usu aliquam nobis existimationem commendationemque quæramus; quod nimirum opes, divitias, nobilitatem, temperantiæ, modestiæ, ac liberalitatis materiem habuerimus, non autem

tem

tem inſtrumenta ſuperbiæ, avaritiæ, atque libidinis. Atque, ut ad rem propius accedam, Angelus Moroſinus, humili tenuique Etruriæ eſt ortus in pago, Prato veteri, nomine, ex obſcuriſſimis ſummaque laborantibus inopia parentibus, qui ruri opus faciendo, parce ac duriter vitam agebant: at ille, quem ſublimis & egregius traditus ſibi à Deo animus, ex paternæ vitæ ſordibus cogebat emergere, & ad honeſtiora tranſire, ſimul ac per ætatem licuit, Florentiam ſe contulit, ut ibi rude ipſius ingenium, ſed literarum gloriæ in primis appetens, diſciplinis omnibus erudiretur, quarum inſtructu ornatuque refertus, inanem eorum, qui divitiis atque opibus abundarent, ac fumoſis majorum imaginibus gloriarentur, faſtum atque ſuperbiam obtereret, ac ſtudiorum ſuorum fructibus, nomen ſuum clarius & illuſtrius, ſpecioſis illorum cognomentis, efficeret, quorum vita ac mors, juxta æſtimanda eſt, quoniam nihil ex ſe relinquunt, unde vixiſſe eos appareat. Florentiæ Thaddæo Ciotino operam dedit; à quo liberalibus diſciplinis, iis præſertim quibus prima illa ætas inſtitui ſolet, eſt eruditus; neque antea ab eo ludo diſceſſit, quam ea, quæ à magiſtro didicerat, poſſet aliis tradere. etenim, cum quid ab illo monſtrabatur, ſtatim intelligentiæ quaſi pedem intro in illud ferebat; neque, ut ceteri condiſcipulorum, in ejus aditu veſtibuloque morabatur nec ſe longius inferebat, ſed celeritate ingenii in intimam ejus rationem penetrabat, atque inde, tanquam è fonte, adeo ejus rei cognitione ſe implebat, ut efflueret: quamobrem facile illi erat, quidquid ab ipſo redundaret, in alios refundere. id quod, rei familiaris anguſtiis oppreſſus, coactus eſt facere; atque Florentiæ cœpit ſe aliis ad docendum dare, & ex multis, qui, à propinquis parentibuſque miſſi, in diſciplinam convenerant, adoleſcentes nobiliſſimi quidam, ex Vecchietorum familia fuerunt; quos etiam, uti illis eſſet additus cuſtos, tanquam pædagogus, comitabatur. cui illi adeo dediti fuerunt, ut non quaſi pædagogo, ſed tanquam parenti alteri, honorem benevolentiamque præſtarent, eundemque eo amoris vinculo ſibi conjungerent, quod nulla vis temporis poſſet abrumpere: erat enim in illo, non ſolum

lum ſanctitas morum atque integritas, verum ſumma etiam comitas, atque, ad promerendos ſibi hominum animos, ſermonis venuſtas atque amœnitas. Sed tantus magiſter majore dignus erat theatro, quam ut paucis hæreret. lucem conventumque honeſtiſſimum ſibi quærebat, non autem ſolitudinem tenebraſque poſcebat. ideo, ereptus ex unius domus anguſtiis, & à paucis erudiendis traductus eſt in ampliſſimum Piſarum urbis Gymnaſium, & in frequentem diſcipulorum celebritatem, ut ibi molliſſima adoleſcentiũ ingenia ad pulcherrimas artes & ad omnem humanitatem informaret. At humaniſſimæ hæ literæ elegantiſſimæque, ſi cui ſit in animo, in illis commorari, & quaſi tabernaculum vitæ conſtituere, neque progredi longius, non tam illum perficiunt quam ornant, non tam augent quam delectant, non tam ad publicam utilitatem quam ad privata commoda formant ac firmunt. ideo ille, qui non ignoraret, hominem non ſibi ſoli ſed multo magis eſſe Reipub. natum, præſtantiſſimum ingenium ad eas diſciplinas contulit, quibus ea adminiſtrari aliquo modo poſſet: atque juris Civilis, Pontificii præſertim, & moralis Theologiæ, ſtudia complexus eſt. in quibus quos fecerit progreſſus, ſi Roberti Card. Vbaldini teſtimonium proferre poſſimus, tanti viri judicio contenti eſſe debeamus. eum enim ex omnibus unum elegit, quem, quamdiu Montis Politiani Eccleſiæ Epiſcopus præfuit, ſui ſibi muneris vicarium haberet. nec vir ille ſapientiſſimus ac ſuis omnibus in rebus mirum in modum certus ac diligens, ſuam ab eo aſſiduitatem, prudentiam, æquitatem, ac juſtitiam deſideravit; ſed, poſtquam Cardinalis grave illius muneris onus à ſe rejecit & in alterum tranſtulit, reverſus eſt Florentiam; ubi Eccleſiam S. Donati, in foro Vecchiettarum, Parocho ſuo, qui mortem obierat, orbatam invenit; & quoniam penes Vecchiettos, quorum majores eam eccleſiam fundaverant, novi rectoris eligendi jus atque poteſtas erat, in veteris Parochi locum illi Angelum, cujus memoria in illorum animis nunquam exoleverat, ſubſtituendum ſubrogandumque curarunt. qui denique in ea provincia rite ac fideliter adminiſtranda vitam amiſit. Quantum autem

autem vir ille Latinis ac Græcis in primis literis præstiterit, præsertim declarat ille ejus verissimis ac justissimis elatus in cælum laudibus liber, quem Flores Italicæ linguæ inscriptum edidit. aliquot etiam, Etrusco sermone, tum soluta oratione, tum versibus, ab eo scripta narrantur; unde liceat intelligere, summum illud ingenium, quamcunque in partem se dedisset, sui semper simile extitisse.

LV. SALVSTIVS SALVIANVS.

CElebratur illa Hippocratis, medicorum longe præstantissimi, sententia, quod natura hominibus, ad rerum artes, quæ sunt longissimæ, intelligentia usuque comprehendendas, vitæ spatium, qua fruerentur, in exiguum gyrum cursumque compulerit. Atqui, hanc Hippocratis de naturæ, in tradenda hominibus vita, tenacitate sententiam si quisquam alius, profecto Salustius Salvianus usurpare cum dolore ac querimonia potest. qui, cum se ad artis medicæ studia contulisset, quæ longam exercitationem usumque requirunt, ingenii augendi declarandique tempus obtinuit: celeriter enim est mortuus. sed quamquam ævi brevis, magnitudine tamen industriæ, qua ceteros superabat, est assecutus, ut diutius vixisse videretur, quam illi, quibus longissimum vitæ curriculum obtigit. ut magis, naturam industriæ, quam industriam naturæ, defuisse, dici verissime possit. Etenim mature in summorum medicorum numerum venit, atque in Gymnasio Romano eam medicinæ partem est interpretatus, quæ morborum naturas & causas acute subtiliterque vestigat. Patrem habuit doctissimum, Tifernatem, qui Romæ, ubi Salustium filium genuit, in principibus medicis numerabatur; fuitque Gasparis illius Salviani frater, qui, in ædibus Pauli Mancini, Humoristarum academiam instituit, eamque, quoad vixit, incredibili labore ac diligentia, summorum ingeniorum nobilitate, atque auditorum frequentia, florentissimam reddidit; qui omnes, quotquot erant Romæ, cujusvis ætatis atque ordinis homines, comprehensos amicitia habebat, obsequio retinebat, cum eis-

que

que ſua omnia communicabat. At Saluſtius ſimultates cum Alexandro Petronio, civitatis Caſtellanæ medicorum nobiliſſimo, geſſit, ob ſententiarum, de quibuſdam præcipuis medicæ facultatis capitibus, diverſitates diſſimilitudineſque, ſuſceptas; ac paratus erat, quemadmodum Gaſpar ejus frater mihi narrabat, niſi mors interceſſiſſet, ea fere omnia confutare atque refellere, quæ Alexander, in libris, de victu Romanorum, ad tuendam ſanitatem, firma ac fixa debere eſſe tradiderat. Diſcipulorum ſuorum hortatu, ac precibus, atque adeo vi, coactus eſt typis impreſſos libros duos edere, de Vrinarum differentiis, cauſis & judiciis, doctiſſime & eruditiſſime ſcriptos; qui libri, cum multa contineant, quæ ille, receptas aliorum ſententias, quod cum experientia, rerum omnium magiſtra pugnent, eſt convellere & labefactare conatus; & quia multa pro experientia, contra vulgarem doctrinam afferant, quæ neque ipſe, ſi maxime velit, neque alii diſſolvere queant; magnam in ſe ſui ævi medicorum invidiam concitavit; quam ille, veritatis præſidio munitus, nihil eſt veritus. ita enim ille, in epiſtola, quam ad Hippolytum Cardinalem Rubeum, cujus nomini dicavit illud opus, ſcripſit, aperte fatetur. ob quarum diſſimilitudines opinionum, quas etiam, tum in publicis tum in privatis diſputationibus, magna vi animi ac vocis tuebatur, omnes fere ſuæ ætatis medicos parum ſibi æquos ac benevolentes habebat. Edidit etiam inſigne volumen, de variis inſaniæ generibus, eorumque curationibus. nam Romanum valetudinarium dementium, aliquot annos, eo uſus eſt medico. His adjecit, Variarum lectionum de re medica libros, non minore doctrina ſcriptos, quam ſuperiores.

LVI. DEMETRIVS CANEVARIVS.

EX omnibus præclaris artibus ac diſciplinis duæ in primis, ſtudioſis hominibus fructuoſæ quæſtuoſæque habentur, Medicina, ac Iuris civilis ſcientia; elegantiſſimæ vero pulcherrimæque literæ, ut poëſis & eloquentia, non modo nihil cultores ſuos quantumvis egregios competant & augent, verum etiam, niſi interea

ea aliquid prospectum illis sit, vel aliquo alio artificio tueri se properent, ad inopiam ac mendicitatem impellunt. itaque illis omnes decedunt, honorem habent, divitias congerunt; hos vero omnes prætereunt, despiciunt, in pannis & inopia sordido victum pane oblectare patiuntur; denique, nemo dignos eos existimat, in quos semel oculorum aciem adjiciant. cujus rei ea in primis ratio potest afferri, quod illi corporum valetudini, vel patrimoniorum incolumitati, quæ prima apud mortales putantur, isti animum, quem plerique negligunt, excolere & ornare dicantur. Quod animadvertens Demetrius Canevarius, Therami filius, cum non solum doctrinæ adipiscendæ, verum etiam pecuniæ in primis faciendæ, cupidus esset, ac videret, medicos quosdam, mediocriter ejus artis instrumento instructos, intra paucos annos ad summas divitias pervenisse, quantumvis Genuæ nobili loco natus, ad medicinæ studia animum appulit, ad eamque, non ut quidam faciunt, nudus venit atque inermis, nulla cognitione rerum, nulla fere scientia ornatus, sed præclare à Latinis literis, ab exquisita rerum multarum eruditione, ac præsertim à Philosophia, in qua fere sunt omnia, instructus accessit; cujus præsidio ad intima medicæ artis cubilia penetravit, ac brevi in ea perfectus evasit. nam primum Genuæ, in medicorum, nobilissimæ illius urbis, collegium cooptatus est; ad quod nemini adspirare licet, nisi, ad medicinæ scientiam, multarum etiam bonarum artium virtutumque societatem adjunxerit. Et quamvis urbs Genuæ, satis illi amplus atque honestus, gloriæ, quam sibi pepererat, alendæ augendæque, & pecuniæ sitis, qua æstuabat, explendæ, campus esse potuisset; tamen, sive quia audierat, quidquid ubique terrarum esset laudabile & honestum, quidquid ubique divitiarum contineretur, Romam, tanquam unum in locum, confluere, sive quia existimabat, minus eam laudem esse illustrem, quam non aulæ Romanæ judicium, quasi lumen accenderet, statuit arcem orbis omnium terrarum, uni illius parti, coactum ex omnibus omnium divitiarum quasi fluminibus mare, unius illarū flumini, denique Romam Genuæ, anteponere. Itaque eò se contulit, & in urbe

Leonina, quæ, ponte, Romanæ adjungitur, apud Apostolorum Principis Ædem domicilium sibi constituit, in eoque annis quadraginta, hoc est, quoad vita suppeditavit, perpetuo mansit. At Romæ hominis ingenium simul aspectum & probatum est; itaque ille statim ad difficilium morborum curationes cœptus est adhiberi; in quibus fuit felix: nam plures, quorum salutis spes nulla supererat, penè ab orco reduxit. quapropter multis summis Pont. multis Cardinalibus, carus extitit; sed Hieronymo de Ruere, Philippo Spinulæ, & Euangelistæ Pallottæ longe cariſſimus; qui Cardinales non alteri medico, quam illi, salutem suam tutius se credere posse existimabant. Secutus est deinde populi totius consensus; à quo certatim opera ipsius expetebatur. unde magna illi dabatur faciendæ cogendæque pecuniæ facultas. quam non ociosam domi habebat, sed statim fœnori locabat; neque id, quod ex fœnore collegerat, in usibus domesticis consumebat: sed rursus fœnori dabat; atque ita deinceps perpetuo faciebat. & ad hanc tam exactam conficiendæ pecuniæ rationem, adjungebat incredibilem in omni victu parsimoniam. vix enim tantum cibi adhibebat, quantum esset ad reficiendas vires satis. sed cibus erat talis, ut intra anguſtiſſimos frugalitatis & abstinentiæ fines contineretur. nullus apud eum erat cupedinariis, nullus aucupibus, nullus piscatoribus quæstus; nullum ejus mensam extruebat obsonium paulo unctius aut nitidius; nihil in eam inferebatur, quod lex Orchia vel Fannia, vel quævis alia sumtuaria posset reprehendere aut in crimen vocare; sed tantum quotidie ab anicula quadam, quæ habitabat ibi viciniæ, in prandium ac cœnam, panis ex jure & frustulum carnis illi parabatur; quæ canistro impositа, ipse per fenestram sursum subducebat corbulis. cum erat illi opus vestibus, eas ex tabernа aliqua vestiaria novas petebat, sed parvo sumtu; ab Hebræis, obsoletas & attritas emebat. Cum igitur ad lucrum illud, quod quotidie ab ægris curandis referebat, illud etiam, quod ex quotidiano victu, suum defraudans genium, comparserat, influeret, eam vim pecuniarum conflavit, ut medicorum omnium, qui erant Romæ, longe ditissimus ac locupletissimus

tissimus haberetur. Verum hujus tam parce parci parsimonia passa est se vinci ab ingenti quadam gloriæ cupiditate ac nominis; quod se adepturum existimabat, si nobilem Genuæ bibliothecam instituisset, omni librorum optimorum copia refertam, quæ generi esset monumentum ac sibi. Rem miram; cum pumex non æque sit aridus, atque ille erat, ut nullam, nisi in res oppido necessarias, argenti guttam expueret, in libris tamen comparandis, quibus bibliothecam, quam excitarat, extrueret, non parcissimus ut in ceteris rebus, sed effusissimus inveniebatur; non tamen, ut nummos, libros carius emendo, profunderet, immo eos sæpe multo minoris quam essent, bibliopolis querentibus, & injuriam sibi fieri clamantibus, auferret. qui bibliopolæ, quamvis inviti, ideo ad ejus pactiones conditionesque veniebant, quia ille non credita sed præsenti pecunia, qua illis erat opus, emebat. in qua bibliotheca tantum sibi, apud posteros, decoris ornamentique fore existimabat, ut ducentena illi scuta quotannis testamento legaverit, qui summam daret operam in ea custodienda expoliendaque, ne videlicet libri mures aut blattas pascerent, neve ab aranearum telis, vel à pulvere, detrimenti quidquam acciperent. cujus testamentum, ob numerum legatorum, ac rerum multitudinem quas post suam mortem fieri mandabat, tam multas paginas complectebatur, ut voluminis cujusdam instar habere videretur. Secundissima semper fuit valetudine; nihil enim in eo erat, nisi siccum & sanum; nam, quæ, in tam tenui parcoque victu, vitiosi cujuspiam humoris exuperantia poterat, ad creandos alendosque morbos, oriri? tamen ajunt (si vera est fama neque id illi, falsò, ridiculi jocique causa, ut mihi videtur, affingitur) valetudinem illum suam, quasi navem, ad morbum nescio quem, tanquam ad aliquem scopulum offendisse. at ego, ut dixi, falso ad illud dedecus injectum eum fuisse existimo, idque, vel ab urbano facetoque aliquo homine excogitatum, ut risum moveret, si ea, quæ in ea illius parsimonia & in iis moribus incredibilia essent, falsè ridiculeque narrasset, vel ab invido malevoloque quopiam effictum ac divulgatum, cui insignis illius virtus & industria esset

odio atque moleſtiæ. Multa ſcripſit ediditque, in quibus manifeſto appareat, quantum vir ille ingenio, eruditione, doctrinaque præſtiterit: ut ſunt, de rerum naturalium ortu atque interitu, ad Octavianum fratrem; de primis rerum à natura factarum principiis; de hominis procreatione; ars medica, ſeu methodus curandorum morborum, affectuumque præter naturam, qui corpus humanum affligunt; agnoſcendarum, præſagiendarum curandarumque febrium omnium methodus rationalis, artis medicæ præceptis inſtituta; de ligno ſancto, adverſus pſeudolignum ſanctum, nuper in Italiam delatum; quam diſputationem tum ab eo inſtitutam fuiſſe ajunt ii, qui ejus laudibus detrahere quoquo modo conantur, cum eo implicitus, quem diximus, morbo decubuit. quod, quam alienum ſit, ſuperfluum eſt ac non neceſſarium, exponere; neque hujus tam manifeſtæ calumniæ aliqua à nobis mentio facta eſſet, niſi nobis propoſitum ab initio fuiſſet, omnia perſequi, quæ ad veram cujuſque ingenii formam exprimendam pertinerent, eaque refellere, quæ, illi falſo objecta, ejus pulcritudinem deturparent. Non fuit in illo Latine ſcribendi accurata ac diligens elegantia; ſed neque eſt admodum inquinate locutus. at mirum fuit in diſſerendo acumen, in re explicanda perſpicuitas, in judicando prudentia. Longa ac lenta demum eſt febri Romæ conſumtus. Illud etiam memoratur admirandum ejuſdem parſimoniæ exemplum, quod, biduo antequam animam efflaret, quum vetula quædam, quæ ipſi ægrotanti operam dabat, ovum recens exſorbendum præbebat, novam ex armario mappam expromſiſſet, qua os abſtergeret, hoc ille animadvertens, continuo, Quænam, inquit, te mala crux agitat, ut mappam, nullius adhuc uſu deteriorem factam, mihi contaminandam præbeas? numne aliæ veteres & obtritæ deerant? abi hinc in malam rem, peſſima.

LVII. FVLVIVS TESTA.

STyli novitas, tum in ſoluto ſermone tum in verſibus, ſi adſit ratio judiciumque, quemadmodum hominum ſibi favorem ſtudiumque conciliet, & quam magnam imitatorum familiam ſecum adducat, Fulvius Teſta Mutinenſis oſtendit. hic enim, quod ante ipſum pauci tentare ſunt auſi, ex Græcis ac Latinis poëtis, Odas, ad Etruſci ſermonis elegantiam, eſt transferre conatus: & res illi bene ac feliciter cecidit. Ac mihi videtur Statium in primis imitatus, orationis gravitate, verborum ſplendore, & ornata ſententiarum concinnitate. Eum igitur, ad ſummam poëticæ facultatis gloriam properantem, incredibilis quædam, ac prope divina, vis ingenii, à communi atque omnium fere contrita itineribus via abreptum, eo abſtraxit, ubi nemo, ante ipſum, veſtigium impreſſerat, ac novam, & in primis laudabilem, ſibi ſcribendi rationem invenit. quod ubi ex ejus ſcriptis palam eſt factum, rei novitate, non minus omnium in ſe oculos atque ora convertit, veluti lumen aliquod, quod, quamvis ex vaporibus & exhalationibus terræ conflatum, in cælo novum apparet: ita ut in Gymnaſiis, in Academiis, in eruditorum conventibus, quidquid emanaſſet ab ipſo, ſi legeretur, continuo clamores & admirationes efficeret, & adoleſcentium præſertim ſtudia, ad illius imitationem incenderet, ut nimirum, ipſo duce, eo venire contenderent, quo ſine duce ille perveniſſet; atque ſibi beatus eſſe videretur, qui quam maxime illum imitando poſſet effingere. Quæ ſcribendi novitas, cum omnibus, quemadmodum dixi, plauſibilis eſſet, tum iis in primis admirabilis viſa eſt, quos eadem, atque illum, cupido ac voluntas inceſſerat. Erant tum quidam, ſummo à natura ingenio, ad omnia præſtantiſſimarum artium ſtudia facti; hi, tanquam fœdere quodam inter ſe icto, in id coierant, ut illud, tum recentiorum tum veterum ſcriptorum, tanquam vulgare, obſoletum, ac vile, repudiarent atque reſpuerent, in quo purus, incorruptus, nullaque inſolentiæ & obſcuritatis fæce inquinatus ſermonis can-

dor ac nitor eluceſceret, illudque tantum probaretur, quod ex ipſorum officinis prodiiſſet. ac principem in eis locum obtinebant, Virginius Cæſarinus, Io. Ciampolus, aliique, qui cum adhuc ſuperſtites ſint, à nobis prætermittuntur. ac Ciampolus, cum die quodam, una cum eruditis quibuſdam, animi cauſa, tota urbe circumferretur, incidiſſetque ſermo de ſcriptoribus Latinis, qui Ciceronis ſeculo floruiſſent, cœpit, joci & amœnitatis gratia, Catullianum illum hendecaſyllabum recitare:

Cui dono lepidum novum libellum,
Arido modo pumice expolitum,
Corneli?

ac, poſtquam effuſiſſimos riſus edidiſſet: Si quempiam, inquit, è triviis & è foro, plebejum arriperetis, poſſetne humilius atque obſoletius loqui? Id cum quidam, qui eadem rheda vehebatur, audiiſſet, uſque adeo elatus eſt ira ſtomachoque, ut ſe præcipitem è rheda in terram ejecerit, ſermonem ſegregaverit, ac domum abierit. Referebant illi, in ſuum ipſorum numerum, Vrbanum VIII; credo, ut ab illo gratiam inirent, non autem quod re vera ita exiſtimarent. etenim nihil in ejus ſcriptis offendi, niſi purum, dilucidum, perſpicuum; nihil, quod à veterum, eruditiſſimi illius Ciceronis ſeculi, ſcriptorum exemplo ac ſanitate abhorreret: immo, cum quidam carmen, neſcio quod, ad Virgilii ſimilitudinem ſcriptum, attuliſſet, lectum laudavit, &, Gratiæ ſunt, inquit, Deo habendæ, quod aliquis inveniatur, apud quem vetus illa & ſana ſcribendi ratio non exoleverit. Illi igitur ceteris ſpretis ac repudiatis, novum ſibi ad Parnaſſi verticem iter invenerunt, ſed non eadem felicitate qua Fulvius. hic enim pulcram, facilem, amœnam, jucundam, omni florum herbarumque varietate conſperſam viam ſibi conſtravit; illi verò ſcrupoſam, ſalebroſam, arduo ac difficili aſcenſu ſemitam, in qua vix liceat conſiſtere, aperuerunt. Quocirca iſtorum poëmata, quamvis egregia, paucos amatores & imitatores inveniunt: conſtant enim ex conſtructis abditiſque ſententiis, multorum interpretum operâ eruendis, paucorum approbatione, denique Clarii, Græci illius poëtæ, operis ſimilia, quod illum, opus in magna auditorum

torum corona legentem, omnes deseruerunt, præter Platonem, neque tamen, à corona desertus, deterritus est, legitque nihilominus; quod diceret, Platonem sibi instar omnium esse. At vero Testæ opera ab omnibus amantur, expetuntur, leguntur, ediscuntur; ac beatus sibi videtur, qui, apta ac diligenti imitatione, ad illius scribendi venustatem majestatemque propius possit accedere. Multa scripsit graviter atque severe; ut, virorum principum, & illustrium amicorum laudes, de inconstantia ac varietate fortunæ, de rerum humanarum brevitate fragilitateque; ita tamen ut ad illam severitatem gravitatemque, suavitatis ac leporis multum influeret. Multa etiam jocose & hilariter edidit; ut, mulierum quarundam formosarum laudes, amores, atque alia ejusmodi; à quorum tamen amœnitate jucunditateque gravitas ac majestas omnino non abest. At hic vir summus, quemadmodum in tribuendis sibi animi ingeniique dotibus, naturam habuit, ut ita dicam, prodigam atque profusam, ita etiam ceteris in rebus ea usus est parca, neque ita commoda ac benigna. etenim neque summo nec illustri ortus est genere, sed primus ipse, sua virtute, splendorem ac claritatem in illud intulit. quamvis non adeo humili obscuroque natus sit loco: patrem enim habuit vestiarium, &, ut in ea civitate, ditem. At Fulvium animi, qua præstabat, magnitudo atque nobilitas ex taberna pannaria, atque ex ea parum liberali pecuniæ faciendæ ratione, foras ejecit, & ad literarum studia transtulit. in quibus quos progressus fecerit, sine mea vel alterius cujuspiam oratione, ex scriptis quæ reliquit, & ex fama quam sibi peperit, patet. Ac primo, in aula Ducis Estensis, illi, qui erat Duci à secretis, in exscribendis epistolis operam navavit. itaque eum ille habuit ad manum, scribæ loco. verum ejus virtus clarius explendescebat, quam ut loci illius, quem tenebat, humilitas pateretur. ideo majore habitus est provincia dignus; simulque ejus rei occasio se dedit, ex amanuensi in ejus locum suffectus est, cui arcanorum omnium summa imminet, & imperium in ceteros amanuenses habet. neque hoc Duci visum est satis; nam in concilium eorum consiliariorū, etiam admitti eum placuit,

cuic, ad quos de pace, de bello, deque universa Repub. referetur, ut rogati suam iis de rebus sententiam & consilium exponant. quas ille partes, fide, integritate, prudentia, est egregie tutatus. Regnabat ea tempestate in Ecclesia Romana Vrbanus VIII Pont. max. qui poeta & ipse summus, Fulvii ingenio plurimum delectatus, eum, propter virtutem, in amicorum suorum numerum admiserat; cumque mittendus esset aliquis Romam, qui, Residentis auctoritate ac nomine, Ducis negocia procuraret, nemo visus est magis idoneus ad id munus, quam Fulvius; quod spes erat, ob eum amicitiæ locum, quem apud Pontificem teneret, omnia illi, quæ ageret, ex sententia successura. neque spem, quæ de ipso erat, fefellit. nam ita Romæ se gessit, ut magni ejus opera æstimata sit. Tum, eodem etiam cum honore ac munere, Ducis jussu profectus est in Germaniam ad Ferdinandum Cæsarem, magnis de rebus, in quibus agendis nihilo magis passus est desiderari à se fidem, diligentiam, integritatem, atque prudentiam suam; sed munus sibi delatum, iis quas diximus virtutibus, obeundo, ita se præstitit, ut pulcre Dux ille, quanto sibi ista esset ornamento, sentiret. Sed virtutum earum splendore in Hispania, quo fuerat missus, magis enituit. quem Rex ille ita suscepit, ut vehementer sit admiratus, & honoribus officiisque pluribus prosecutus. Etenim Comitis titulo affecit, & honorariæ, S. Iacobi militiæ insignibus eum cohonestavit, &, quod raro vel nunquam Italis hominibus contigit, Commenda, quam vocant, donavit, unde centena quotannis & plura scuta perciperet. Non minimam etiam Mutinensis Imperii partem, à Duce sibi traditam, prætor obtinuit; eam in primis, quæ Lucensium, aliorumque finitimorum Principum regiones attingit. quam etiam, magna fidelitatis justitiæque cum laude administravit. Denique, ita delatos sibi honores potestatesque, quæ dabantur à Principe, in cujus ille ditione atque imperio erat, gessit, ut suam semper eidem fidem, studium, diligentiamque præstiterit. Sed nescio quo modo, extremis temporibus, ab officio, à fide, à pietate, atque adeo à se ipso discessisse visus est. etenim in suspicionem proditionis venit,

venit, quod nimirum arcem quandam, loci natura munitam, Hiſpanis tradere conſtituiſſet. augebant ſuſpicionem plurima in ipſum Hiſpanorum merita; ſtudium ac diligentia qua illorum amicitiam coluiſſet, à quibus, iis etiam quæ accepiſſet, majora ſperaret. id Romæ Cardinali Eſtenſi, Ducis fratri, primum obo-luit; tum leviter preſſis veſtigiis, ad intima ejus rei cubilia licuit pervenire. at Cardinalis tale periculum haud occultum habuit, ſed citatis equis Mutinam ſe contulit, atque de arce Hiſpanis à Fulvio tradenda, quæ & quomodo audierat, fratri narravit. qui, quemadmodum æquum erat, eum, cujus conſilia incertum utrum falſa an vera prodita eſſent, in cuſtodiam dari mandavit; ubi de eo habita quæſtio dicitur. quem autem res eventum habuerit, nobis ea res, pro magnitudine, parum comperta eſt. illud quidem pro certo traditur, hominem in vinculis finem vitæ feciſſe; non item vero, proclamatum ipſum proditionis reum.

LVIII. BERNARDVS DE AVANZATIS.

MAximum atque firmiſſimum eloquentiæ fundamentum illud ſemper eſt habitum, quod in verborum optimorum electione conſtitueretur. itaque illi melius ceteris loqui ac ſcribere dicuntur, qui verbis quam lectiſſimis utantur. verba autem omnia, quibus formatur oratio, in quadruplici ratione verſari, docent ii qui recte loquendi ſcribendique præcepta literis conſignata mandarunt. nam quædam ſunt uſitata, ea nimirum, quibus conſuetudo noſtra utitur; quædam priſca & vetuſta, & ab uſu quotidiani ſermonis jam diu intermiſſa; quædam novat, quæ à nobis ipſis gignuntur ac fiunt; poſtremo tranſlata, quæ inopiæ primum cauſa, cum verbum alicujus rei proprium non ſit, tum delectationis jucunditatiſque gratia, aliunde ſumuntur. Atque, omiſſis ceteris, verba inuſitata, tanquam obſoleta, atque à communi uſu remota, ab oratione noſtra rejicienda eſſe docemur, neque iis uti, niſi in longo carmine. nam ſunt licentiæ poëtarum liberiores quam oratorum; ac raro habet in ſoluta oratione priſcum ali-

quod verbum dignitatem. Atque ab his ſapientibus Rhetorum præceptis inſtitutiſque non minimum mihi aberraſſe videtur Bernardus de Avanzatis Florentinus, magno vir ingenio, exquiſitaque eruditione, qui Cornelium Tacitum, ſummum hiſtoricum, ex Latino in vernaculum ſermonem convertit. ita enim eſt frequens in verbis jam pridem à communi uſu loquendi relictis atque ſepoſitis uſurpandis, ut facilius ab iis, qui Latinis literis vel leviter ſint imbuti, Cornelius intelligatur, quam ipſe Bernardus. Etenim in Cornelio, præter inſignem quandam brevitatem, quæ interdum orationi tenebras affert, nullum verbum invenias, niſi uſitatum, niſi Ciceronis ætate, in qua Latine ſcribendi maturitas extitit, celebratum, nullum, niſi longe remotum ab iis verſibus, quos olim Fauni vateſque canebant. ut ſapienter mihi factum videatur ab iis, qui Bernardi opus poſt ejus è vita diſceſſum, imprimendum curarunt, ut Latina Cornelii verba cum Etruſca illius interpretatione conjungerent. funguntur enim interpretis cujuſdam vice illis, quibus Bernardi verba minus ſunt nota. & in his non Italos ſolum, cujuſvis illi ſint civitatis, ſed Florentinos etiam enumero. Audivi ego Franciſcum Nicolinum, Florentiæ ſummo genere natum, qui multos annos hic Romæ, magni Ducis, oratoris functus eſt munere, à quo etiam Avanzati librum dono mihi datum accepi; audivi, inquam, cum diceret, ſe, quoties in aliquo illius auctoris verbo, quod nunquam ipſius aures accepiſſent, hæreret, quod ſæpiſſime contingeret, continuo ad Latinam ipſius Taciti hiſtoriam confugere, ejuſque auxilio, ſaltem ſuſpicione, aſſequi, quid verbum illud ſignificaret. Quod ego duabus, ni fallor, de cauſis ab Avanzato factum exiſtimo: primum, ut Taciti in ſcribendo brevitatem imitaretur; exiſtimavit enim, ſe eam aptius expreſſurum priſcis & obſcuris verbis, quam uſitatis & illuſtribus: deinde, quod arbitraretur, ſermonem Etruſcum, non eadem, qua ceteræ ſunt res mortales, conditione præditum eſſe; quarum ea natura eſt, ut ex iis mors aliquid quotidie decerpat, vel ſaltem ſenectus quodam eas ſitu obducat, ac deteriorem earum uſum efficiat; itaque quæcunque ab ejuſdem exorientis

quaſi

quasi incunabulis peperit usus, integra, inviolata, incorrupta manere, nullum ab ea verbum, tanquam ab arbore folium, suo destitutum ab humore, decidisse, nullum mortis, omnia intercipientis, imperio datum orco fuisse, nullum vetustate saltem obsoleviſse. Quorum neutrum mihi probari aliquo modo potest. primum, cur non potuisset Taciti sententias, ea qua ille usus est brevitate, usitatis verbis, quemadmodum ille fecit, amplecti? ac tum fuisset, Tacitum imitari, vel, ut ejusdem Bernardi laudatores asserunt, vincere. tum, si Tacitus honestum & glorioſum sibi putasset, nullum Latinum verbum, jam inde ab ejus linguæ ortu usque ad sua tempora natum, à se rejicere, vel potius, studioſe ex vetustatis quasi ruderibus erutum, suis scriptis inserere, nullum profecto verbum reliquisset ex iis, quæ in duodecim tabulis reperiebantur, vel quibus M. Valerius Dictator plebem prope ripam Anienis, ad tertium miliarium considentem, sedavit, vel quibus Appius Claudius senatum jam inclinatum, à Pyrrhi pace revocavit: quamobrem, non ad Italos, non ad Romanos, sui temporis, à quorum intelligentia verba illa penitus aberant, sed ad pastores Romuli, sed ad Aborigines scripsisset, atque Bernardum, ejus in Etruscum sermonem vertendi, labore levasset, cum verbum prorsus in eo nullum intelligeret. qui similiter mihi videtur, cum tantopere antiquitatem imitari studeat, suam Cornelii Etruscam interpretationem, non Italis, non Etruscis, non Florentinis, qui aperte, eam se linguam non nosse, fatentur, concinnasse, sed iis, qui longo intervallo, ante Dantis Aldigherii ætatem vixissent, commendare voluisse. at Io. Boccatius & Franciscus Petrarcha, quorum præstantissimis ac prope divinis ingeniis sermo Etruscus, ea verborum elegantia, iis ornamentis auctus ac locupletatus est, ut supra addi nihil possit, propius ab antiquitate aberant; annis enim plus quam trecentis ante nos fuerunt; & tamen nulla major ab eis opera data fuisse videtur, quam ut omnem priscorum verborum fæcem à suis scriptis removerent, ne purum ac limpidum ipsorum orationis flumen aliqua ex parte infuscarent. quibus præsertim ob hanc causam arbitror primas ab omnibus

bus ſine controverſia deferri. Inferunt ſe quidem interdum in ipſorum ſermonem verba aliqua paulo antiquiora ; ſed ea miram habent venuſtatem ; &, quia loco ſunt poſita , adeo omnium intelligentiæ ſunt obvia atque aperta , ut nulla fere interpretis cujuſquam ope auxilioque indigeant. ideo nulla eſt in Italia civitas , quæ ita barbare, ita inquinate loquatur , quin eos legat , intelligat , admiretur , ediſcat. ideo , qui poſt iſtos venuſtiſſimos politiſſimoſque ſcriptores , ſe ad ſcribendum contulerunt , tum id elegantius & laudabilius ſe eſſe facturos exiſtimarunt , ſi proxime ad illorum imitationem accederent. Ex hoc numero fuerunt , Petrus Bembus, & is quem Florentini ipſi ſummis in cælum laudibus efferunt, Io. Caſa, quod ſit præclare locutus & pluſquam ceteri , Franciſcus Guicciardinus , ſcriptor hiſtoriarum eximius , & cum Thucydide & Herodoto conferendus, qui à ſuis annalibus, gravitate prudentiaq; pleniſſimis, omnem vetuſtatis rubiginem ſitumque procul eſſe quam longiſſime voluit, neq; verbum ad eos quodpiam accedere , quod putridam illam ac rancidam antiquitatem redoleret. cui etiam illi , qui eidem ſunt iniquiſſimi , in primis quinque libris , quos eruditi cujuſpiam viri lima perpolitæ fuiſſe contendunt, omnem Florentini ſermonis elegantiam , concinnitatemque concedunt; in ceteris libris non item, quos, nullius cenſuræ, ut priores quinque, ſubjecerat. verè, an ſecus , nihil ad hoc tempus. atque illius potiſſimum ſcribendi rationem , utpote prudentem , ſeveram , gravem, & ab ineptiis in primis abhorrentem , mihi videntur , in Italia, omnium virorum principum aulæ fuiſſe ſecutæ, tum in literis dandis , tum in rebus maximis atque graviſſimis explicandis. Sed per Deum immortalem, quænam hæc eſt ratio, quod conſilium , ut , quæ tantò cum labore ad pubertatem , vel potius maturitatem perfectionemque perduximus , ea rurſus velimus ad infantiæ annos , ſuaque ad initia rudia atque inpolita , reducere ? vel quænam eſt tanta, ut Tullius inquit , in hominibus perverſitas , ut , inventis frugibus , glande veſcantur ? At Bern rdum alioſque video, qui in hac eadem qua ille ſunt hæreſi, ſtudio ac caritate patriæ adductos , extincta jam voca-

vocabula ab orco reducere, ut linguam ſuam locupletiorem efficiant; ut ejuſdem, ut ita dicam, ærarium nummis, hoc eſt, vocibus quam plurimis, impleant. laudo pietatem; ſed habet ea quoque res rationem modumque. etenim, ii primum nummi ſunt cogendi, quos communis uſus in emtionibus ac venditionibus admittat; videlicet, ut vocabula ſint ejuſmodi, quibus noſtra vendere valeamus, neque rejiciantur, eo quod non ſint præſenti, ut inquit Horatius, nota ſignata. deinde cavendum eſt, ne videamur nummulos plumbeos, quibuſque nullum eſt pretium, velle pro aureis ac pretioſis obtrudere.

LIX. TRAIANVS BOCCALINVS.

EA Philoſophia, quæ eſt de moribus, variis elegantiſſimiſque rationibus ab ejus magiſtris & inventoribus introducta eſt in hominum cœtus, quibus maxime erat neceſſaria. nam cum antea ii, quibus præſtantiſſimum à natura ingenium tributum fuerat, illud à communi hominum vita, & à recta vivendi ratione, cui in primis hærere æquum fuerat, abductum, in cœlum traduxiſſent, toti in variis aſtrorum atque orbium cæleſtium motibus obſervandis contemplandiſque verſabantur; quæ res nihil plane ad extrahendum è vitiorum ſordibus animum, atque ad virtutis ſtudium traducendum, in quo ſunt omnia, pertinet. quo fiebat, ut, cum in iis rebus, quæ ſupra ipſos erant, defixos oculos & intentam cogitationem haberent, non aſpicerent ea quæ ante pedes eſſent, ac fœdè turpiterque prolabentes, variis ſe erroribus inquinarent inficerentque. Princeps ex omnibus Socrates, Philoſophiam è cœlo deduxit, & variis doctiſſimiſque ſermonibus, in civitatibus collocavit. quos ſermones Plato, ea qua præditus erat eloquentia, literis conſignatos, omnium ſeculorum poſteritati mandavit. etenim cum ſe fingeret eum eſſe qui non erat, videlicet rerum omnium ignarum ac rudem, omneinque iis ſapientiam, qui eam ſibi arrogabant, attribueret atque concederet, hac ironia, multa percontando interrogandoque, quanto illi in errore verſarentur,

tur, aperiebat, &, quid in unoquoque veriſſimum eſſet, eliciebat. Conſecutus deinde eſt Ariſtoteles, qui, quo ingenii acumine rerum naturalium cauſas naturaſque perſpexerat, eodem, quæ ad mores hominum ſpectant, aſpexit, totamque hanc de moribus diſciplinam, methodo ac ratione diſpoſuit. Inventi ſunt etiam ii, qui rudibus fabularum corticibus magnam ſapientiæ vim includerent; quibus corticibus (ut in juglandibus & avellanis nucibus accidit) quaſi fractis remotiſque, nucleum eſſent, hoc eſt, quaſi per ludum jocumque, quod ipſis eſſet ex uſu, perciperent. principem in ejuſmodi philoſophantium genere locum obtinuit Æſopus Phrygius. hic quum animantibus, ratione carentibus, fandi differendique facultatem attribuit, ex iis, quæ inter ipſos acta finguntur, aliorum exemplo, homines docti, paratiores ad ſibi cavendum evadunt, & inprimis cavent, ne quid à rationis imperio diſcedentes admittant, cujus eos poſtea pœniteat. At temporibus iſtis, in quibus verſamur, ortus eſt alius non inelegans neque invenuſtus vitæ morumque magiſter Trajanus Boccalinus, vir acri ingenio, ad jocandum cum aliquo maledicto facetus, omni elegantia doctrinæ excultus. hic librum ſcripſit, in quem omnia in monte Parnaſſo acta, ac Romam perlata, referuntur; nempe ſententiæ ab Apolline, poëtarum ac literatorum principe latæ, decreta interpoſita, præmia viris bene de Repub. meritis decreta, pœnæ in improbos conſtitutæ, aliaque varii generis multa, quibus vitia deſignabantur, quorum invidia tum civitas flagrabat, iniqua judicia, quibus inſontes circumveniebantur, aperiri conſtabat, ſupplicia, quibus hominum fraus & improbitas ad perniciem, virtus vero ac probitas ad laudem & præmia, vocanda eſſent, oſtendebatur; denique, multorum contumacia, ſuperbia, avaritia, luxuria, atque alii peſſimi mores in odium contemtionemque adducebantur. Sed, quemadmodum Terentio malevoli objiciebant, ipſum, in fabulis faciendis, Scipionis Africani, Lælii qui dictus eſt ſapiens, & Furii Pii, opera uti, aſſidueque cum illis una ſcribere; ita etiam de Trajano fama diſtulerat, in his actis referendis homines nobiliſſimos ſocios & adjutores habere. verum id ſibi non minus

minus laudi ducebat, quam Terentius, qui glorioſum ſibi putabat, id quod malevoli quaſi maledictum vehemens exiſtimabant; ac fit veriſimile, hæc cum illis eum communicaſſe, quibus, ad notanda & animadvertenda aliorum vitia, eadem eſſet voluntas atque propenſio. Sed eatenus hæc ejus in notandis animadvertendiſque hominum moribus libertas ferri tolerarique potuit, quoad ille in iis tecte ac leviter ſub illis ambagibus perſtringendis ſeſe continuit, neque certorum hominum conditionem & ſtatum expreſſit: verum, ubi acumen ſtyli, ad verberandam violendamque Regum maximorum majeſtatem, aperte convertit, dignus viſus eſt habitus, cujus audacia atque temeritas gravioribus pœnis coërceretur. Scripſerat enim librum, cui Lydii lapidis nomen indiderat; ubi conabatur oſtendere, Regis tum omnium maximi ac potentiſſimi opes ac vires non eſſe ita magnas, ut hominum ferret opinio, ſed facile deleri poſſe, ſi quis alius Rex ad eas infringendas ac labefactandas accederet; & ſimul rationem, quamobrem id fieri poſſet, aperiebat. Itaque die quodam, Venetiis, ubi ſe maxime tutum fore ſperabat, à quatuor vel ſex militibus, ut ajunt, circumventus, ad pulſandos verberandoſque homines validiſſimis, & adeo ab illis, ſaccu-lis plenis arena, contuſus commitigatuſque eſt, ut ex ea verberatione ſupremum vitæ diem obierit, nec Apollo potuerit, cui ſummum rerum omnium arbitrium tribuebat, ab eo infortunio incolumem eum præſtare, nec perficere, quin ſtyli pœnas daret: ac fortaſſe eam ab illius capite peſtem avertiſſet, ſi res acta fuiſſet in monte Parnaſſo, ubi ille regnum obtinere dicitur. Sed quia Venetiis, quo Apollinis imperii fines non pertinebant, ea ille affectus contumelia fuerat, ideo nullam ab eo opem auxiliumque potuit accipere.

LX. ALEXIVS DE ALEXIIS.

ADmodum raro, vel nunquam, ut Petronius ait, præclara ingenia ab aliqua ſtultitiæ admiſtione ſejuncta cernuntur. ſtultitiæ autem nomine, non ſolum hominum ineptias, eorumque omnia dicta vel facta

quæ

quæ ob deformitatem aliquam rideantur, intelligo, verum etiam vitia atque peccata complector. nam ſapiens, qui opponitur ſtulto, nunquam à recta rationis via deflectit; quod faciunt ii, qui vitiis poſſidendos ſe tradunt. quem nam enim præſtanti ingenio virum invenias, ex poëtis præſertim, in quibus ingenii vis major elucet, qui turpiſſimis plerunq; vitiis obligatus conſtrictuſque non detineatur? ut, non immerito Ludovicus Areoſtus in quadam ſatyra, deplorans miſeram temporum ſuorum conditionem, dixerit, raro virtutem à vitiorum flagitiorumque ſocietate diſtractam inveniri. verum hæc querela non magis ſuorum erat temporum, quam noſtrorum, atque ætatum fere omnium. Hac véro ætate, in qua verſamur, haud ſcio an quiſquam ex iis, qui ab ingenii præſtantia commendantur, vel cerebroſior extiterit, vel ad majores ineptias ſtultitiaſque deſcenderit, quam Alexius de Alexiis, Romanus. Hic, ab ineunte ætate, elegantibus literis excultus, Philoſophis ac Medicis inſtituendum erudiendumque ſe dedit, atque à Marſilio Cagnato, doctore eximio, medendi artem accepit; tum, in eadem ſe exercendi, à Collegio Medicorum, poteſtatem obtinuit; jamque medici partes, ægrotis curandis & ad ſanitatem perducendis, exequebatur; cum ab equite quodam levis armaturæ, ex prætoriana Pauli V Pont. max. militia, gravi eſt affectus injuria; qua vehementer offenſus, medici habitum, una cum ægris medendi exercitatione, abjecit, &, quo injuriam ſibi factam perſequeretur, lactus ferro præcinxit, ac militari propemodum ornatu incedens, perditiſſimis adoleſcentes moribus arcta ſibi familiaritate devinxit; quorum conſuetudine aſſuefactus, eatenus progreſſus eſt, ut congerronum illorum quaſi grege coacto, quorum erat ille princeps, utpote nugator in primis, Roma diſcederet, ac totam Sabinam ac Latium, circulatoris more, luſtraret; &, ſimul ac urbem aliquam ingrediebatur, continuo populum ad coronam vocabat, atque ea, qua valebat, eloquentia, quam vulgus in verborum curſu nuſquam inſiſtente, tanquam amne præcipitante, poſitam eſſe putat, tantam ejuſdem ad ſe multitudinem attrahebat, ut eam forum, in quo nugabatur, non caperet;

ret ; tum, ridiculis atque facetiis, quibus abundabat, ita hominum cœtus, qui convenerant, detinebat, ut nemo, nisi ipso abeunte, discederet. ac ridiculam in primis Neapolitani ex plebe personam agebat, quam vel Pascharellum vel Coviellum appellaret ; quam ita scite, ita venuste, ita ad similitudinem veri, repræsentabat, ut Thronum ac Cucumerum, qui tum in circulatoribus primi numerabantur, & sermonis proprietate & facetiis, & ridiculorum copia dictorum, superaret. memoria verò erat tanta, ut in hac parte animi, quæ custos est ceterarum ingenii partium, adeo studiosis hominibus necessaria, neminem ejusdem ætatis cum illo conferendum putem ; quo fiebat, ut, cum concionatorem aliquem attentius audisset, statim cunctas ejus orationis non modo sententias, verum etiam verba, ad unum omnia repeteret. id quod die quodam ostendit in cœnobio Fratrum Capuccinorum, quorum ille ægrotantium morbis medebatur. conciones, eo anno Romæ ad populum habebat F. Capuccinus quidam Aquitanus, magno hominum omnis ætatis atque ordinis concursu ; quem concursum & dicendi ridiculum genus, & gestus ab scena & histrionibus, faciebat. hujus cum insignem quandam concionem auribus accepisset, paulo post, joci & hilaritatis causa, eandem Patribus illis habuit; in qua referenda non solum rerum ordinem ac numerum, iisdem plane verbis quibus ille, servavit, verum etiam ita Aquilanum ipsum, oculis, voce, gestu, imitando effinxit, atque ita expressit, ut memoriam admirarentur omnes, ingenium agnoscerent. Sed cum jam ille ab eo ætatis ludo & ab improborum hominum familiaritatibus discessisset, seque ad ingenium bonum recepisset, eo animi ardore & alacritate, ad intermissa medicinæ artis studia rediit, ut, quantum eidem penitus cognoscendæ detraxerat temporis ludus ætatis, tantundem etiam laboris industriæque tribuerit discendi studium, ut doctissimus atque in Hippocratis disciplina perfectus evaserit, ex ejusque quasi ludo plures egregii in hoc artis genere exirent discipuli, vel summi potius artifices atque magistri ; quorum ego singulorum laudes libenter exponerem, nisi vellem mihi constare ; ut

de iis, qui nunc ſunt, nihil, niſi coactus propemodum, dicam; quemadmodum nunc mihi uſu venit in Petro Servio Spoletino, cujus laudem ſummam & vicinitatis ratio, & amicitiæ neceſſitudo, ejuſdemque ſumma erga me merita, cogunt me, breviter ac ſtrictim attingere. Hic medendi artem ab illo didicit, ſed quæ ab illo didiciſſet, ad uſum, qui omnium magiſtrorum præcepta ſuperat, transferendi, in noſocomio S. Spiritus in Saxia, ubi, multis abhinc annis, ægrotos curat, quotidianis exercitationibus ſummoque ſtudio & diligentia eſt conſecutus; præſtat judicio, quod fere continet omnia. nam cum genera morborum, cauſas, eorumque remedia, pulcre noverit, curationes, ſingulis morborum generibus opportunas, loco ac tempore adhibet. ejus eruditio non exiguis facultatis unius terminis definitur, ſed longe lateque excurrens, varias artium pulcherrimarum quaſi regiones amplectitur. itaque ejus oratio, quamcunque in oram diſputationis delata eſt, in ea docte ſcienterque verſatur. plures, variis temporibus, libros edidit, in quibus, præter exquiſitam elegantemque doctrinam, puri atque incorrupti Latini ſermonis cultus ac nitor elucet: utinam ſecunda uti valetudine poſſit (nam cum adverſa eum ſæpius conflictari contingit,) profecto multa, quæ egregie habet inchoata, perficeret; unde liceret intelligere, quantum ille pluribus ſui ævi, ingenio, doctrina, prudentia, ac rerum experientia, uſuque, anteierit. Sed redeamus ad Alexium, qui, poſtquam rediit ad ſeſe, ſplendido atque eleganti vitæ uſus eſt genere. Etenim nihil unquam de eo, quod ſua induſtria pepererat, comparſit, ſuum defraudans genium, ſed totum, ad ſe nitide lepideque curandum, large fundebat; contra vulgarem atque uſitatum medicorum morem, qui naturæ ac neceſſitati fere omnia denegantes, præterquam eorum dignitas conditioque patiatur, parſimoniæ ſtudent, ut amplum hæredibus patrimonium relinquant, qui, longe diverſo ab ipſis animo, ſuis ſumtibus, illorum alant expleantque luxuriem. Diſcipulorum gregem ducebat ſecum, ut artis, quam ab ipſo didicerant, præcepta, ægrotantium cubilibus obeundis, ad uſum exercitationemque conferrent, & tanquam

ex

ex umbra in pulverem ſolemque perducerent. Etenim multos annos valetudinarium familiæ Fratrum Ioannis Dei, in inſula Tiberina, ſuæ ſolicitudini curæque commiſſum habuit, ex cujus exercitationis quaſi palæſtra, complures egregii ac præſtantes medici prodierunt. in his Benedictus Aquilanus. Erat comis, benignus, humanus, liberalis, in communi amicorum vita, hilaris, feſtivus, jucundus, & amœnitatem omnem exercens. Narrat vir quidam, genere, opibus, divitiis, ac præſtantia dignitatis, longe multis excellens, nocte quadam, domum ſuam, multas mulieres nobiles, ac præſtantes dignitate viros, animi ſcilicet cauſa, conveniſſe, adfuiſſe etiam Alexium, qui aliquandiu; credo, ob eorum, qui aderant, dignitatem; non erat auſus ſermones cum illis miſcere, neque ullam partem orationis perſequi ea libertate, qua ſolitus erat; ſed tandem, provocatum illum, vel potius coactum, ex tempore, ea facundia, ea venuſtate atque lepore, cœpiſſe dicere, ut omnium, qui audierant, admiratio conſequeretur, ac nobiliſſimus ille conventus, redundaret hilaritate & joco. Omnes Hippocratis ſententias intelligentia perceptas & memoria comprehenſas habebat, neque, in curandis corporum morbis, ab illius diſciplina, ne minimum quidem, aberrabat, ut vix alter inveniretur, in quem melius Hippocratici nomen conveniret. Habebat etiam hoc, ſive à natura ſive ab arte, ut nunquam ingraveſcentem morbum, ſine ratione provideret, neque, ſine aliqua probabili conjectura, de illius eventu præſentiret atque prædiceret. quamquam adeo erat felix, ut neminem fere ægrum curandum ſuſceperit, quem non etiam à periculo tutum ſua curatione reddiderit. Vixit annos quadraginta duos, quibus expletis, in morbum incidit; quem non potuit ea felicitate à ſe depellere, qua in aliis facere conſueverat. itaque neceſſario illi ſuccubuit.

LXI. ANGELVS COLI.

VIdi ego ſæpenumero duos, qui altercarent inter ſe litigarentque, num alter alteri eſſet in ea, de qua lis erat, arte ſuperior; & utrumque conſtantiſſime in ea ſibi principatum arrogare. Magna eſt, ingenii præſertim, pulcritudo laudis & gloriæ, ideo unuſquiſque eandem avidiſſime expetit; &, quamquam aliis in rebus, æquo animo ſe à ceteris vinci patiatur, tamen, ut inquit ille, *qui velit ingenio cedere, rarus erit*. Verum, cui, omnium, qui ejuſdem ſunt artificii, conceſſu, primæ ſint delatæ dum vixit, plane neminem, cujus quidem meminerim, ſcio, præter Angelum Coli, Senenſem, longe clariſſimum, ſua ætate, medicinæ artis antiſtitem. hujus virtuti ingenioque tantum, quidquid Romæ eſſet medicorum, tribuebat, ut nemo inveniretur, quantumvis doctus, quantumvis, ſua ipſius opinione, excellens, qui auderet ſe illi anteferre, quique non eidem cederet faſtigiumque ſummitteret. Hic in noſocomio S. Spiritus in Saxia, quatuordecim annis, Aſſiſtentis, quem vocant, functus eſt munere; ubi tantam doctrinæ atque experientiæ vim ſibi paravit, tum in ea facultate, & remediis quæ morbis, tum in ea quæ vulneribus manet, medetur; quam facultatem, mortuorum hominum alvum & præcordia ſæpius incidendo tractandoque, fuerat adeptus, ut in magnam totius Vrbis exiſtimationem honoremque perveniret, atque à Petro Card. Aldobrandino accitus ſit medicus; nemini enim tutius ſalutem ſuam poſſe committi exiſtimavit, quam ſi eam Angeli ſolicitudini curæque permitteret. Hujus tam excellentis tamque præſtantis in eo facultatis cauſa erat, abſoluta atque perfecta Hippocratis doctrinæ notitia; ad cujus intima penetralia, ingenii lumine, ac ſtudio diligentiaque, pervenerat, ut nihil in ea eſſet ita reconditum, quod ingenii ipſius acumen effugeret. tanta in illius auctoritate vis ineſt, ad medicos præ ceteris conſtituendos. Sed, quemadmodum Romanæ Vrbis medici Hippocratis intelligentia ſtudioque Europæos omnes medicos anteeunt, ita etiam ipſe Romanos, in indaganda

ganda ac ſubtiliter perſcrutanda illius auctoris ſententia, infra ſe longo intervallo reliquit. Hoſpitali inſanabilium domui, complures annos, egregiam ac laudabilem operam præſtitit. Erat illi palatium, ut ita dicam, cordis faſtidioſiſſimum, adeo ut multa, quamvis egregia, reſpueret, multaque improbaret, quæ præceptis medicinæ traduntur. Erat frigidus ac parcus in laudando, acer ac multus in reprehendendo, ac cenſor planè metuendus; ſed in communi vitæ conſuetudine jucundus ac lepidus ad res omnes; liberæ erant ejus ædes, & amicis tum literatis tum facetis hominibus apertæ; amabat enim ipſe multum facetias, tum eas quæ re, tum illæ quæ dicto tractantur; neque, in jaciendo mittendoque ridiculo, eum quiſquam argutiis ac ſale vincebat. Adeo animi ſui motus habebat in poteſtate, ut Petrus Servius, de quo antea commemoravimus, affirmare non dubitet, totos quinque & viginti annos, quibus eo uſus eſt familiariſſime, nunquam eum vidiſſe vel iracundia elatum vel ægritudine, vel metu, vel inani alacritate, hoc eſt, lætitia geſtiente, cominotum, ſed ſemper eandem in vultu animi æquitatem conſtantiamque ſervaſſe; quæ conſtantia, non modo in retinendis animi perturbationibus, ne longius evagarentur, eluxit, verum etiam in ſtatu, inceſſu, ſeſſione, ac ceteris aliis in rebus: & ad inceſſum quod attinet, jam inde ab ineunte ætate tarditatibus uſus eſt ingreſſu molliſſimis, ut non minus dici poſſet, movere formicinum gradum, quam dictus eſt olim medicus ille, in Monæchmis, à ſocero ad generum curandum adductus. neque unquam, quamvis ægri cujuſquam neceſſitate, qui præſentem ab eo operam auxiliumque poſcebat, potuit adduci, ut feſtinationes ingreſſu majores exciperet. Quid multa? etiam in vultu, conſtanter quendam quaſi florem ætatis retinere videbatur. nam ſi ex oris habitu exiſtimare de hominum ætatibus liceat, vix quinquaginta eum annos natum, auſus eſſes affirmare, cum ad quatuor & ſeptuaginta perveniſſet; quo anno eſt mortuus.

LXII. BALDVS BALDVS.

NOn minor medicinæ uſus, nec minor ejus artis notitia, in Baldo fuit, quam apud eos de quibus antea commemoravimus. Etenim ingenium in eo vigebat acutum & acre, in reperiendis inveſtigandiſque latentium morborum cauſis ſagax, in adhibendis remediis, quibus illis poſſit occurri, promtum ac celer, mira in conſultationibus & in diſſerendo facundia; quamquam in hoc genere multos habuit ſuperiores; qui tamen doctrina uſuque, longo intervallo, infra ipſum invenirentur, eo quod morbi, non eloquentia, ſed remediis, ab ægris corporibus propulſentur; quorum perfectam notitiam ſi quis elinguis obtineat, longe præſtantior medicus eſt futurus quam ille, qui ſine ea, lingua celeri & incitata utatur. Sed Baldo felicitas infortunio, rerum copia exitio fuit. nam, cum ad id honoris & commodi perveniſſet, quo non altius vota medicorum aſcendunt, nimirum ut ſummi Pont. medicus fieret, non ita multos poſt menſes eſt mortuus, morbi cujuſdam malignitate, cui non potuit obſiſti, ex eo, ut tum erat fama, contracti, quod nova illi vitæ ratio fuerat ineunda, & vetus, cui aſſueverat, relinquenda. neceſſe enim erat ei, qui certum vitæ genus ſequebatur, quotidie ad medias noctes evigilare & cænare, & interdiu, veſpere jam appetente, prandere, atque alia inſuper incommoda, quæ fert aula, ſubire. Magna erat apud medicos, ſuos æquales, doctrinæ & ingenii exiſtimatione ac laude, & eximie ab omnibus laudabatur; quibus ego laudibus impulſus ante annos ferme duodecim, gravi implicitus morbo, medicum mihi accivi; ſed nihil propius eſt factum, quam ut ejus medendi ratio, quæ ceteris ſalutaris eſſe conſueverat, mihi exitium ac peſtem afferret. etenim, cum pituita, quæ pectori acriter adhæſerat, laborarem, quæ pituita, quantum poterat, extrahenda ex pectore erat; ille eam curationem adhibebat, qua ea pectori altius ac pertinacius adhæreſceret, & ſane me ad interitum dediſſet, niſi Ludovici Mannucii opera ſubveniſſet; qui, mutata curatione, me,

omnium

omnium opinione celerius, ſanitati reſtituit. quam ego rem, cum, in Mannucii laudem & gloriam, medico cuidam non in poſtremis exponerem, ille quaſi ſtomachans, ſatius mihi fuiſſe ait, Baldo perperam curante interire, quam ſecunda Mannucii curantis opera convaleſcere; idque pluribus verbis conabatur oſtendere. cui ego ita me reſpondiſſe memini, nunquam ſe tam commode dicturum, ut id mihi, vel cuipiam alteri (niſi ſi illi vita odio eſſet) perſuaderet; nemo enim, niſi ſtultus, longe multumque præſtare non videat, imperita ac temeraria inſcitiſſimi cujuſquam manu ad ſanitatem perduci, quam docta atque induſtria alterius vel ſapientiſſimi opera ad interitum tradi; immo, ad ſalutis meæ rationem quod attinet, multo ille major, quam hic, apud me futurus eſt medicus.

LXIII. IO. FRANCISCVS GROPALVS.

NEmo adeo diſertus, adeo eloquens, invenietur, qui potis ſit verbis explicare, quibus gaudiis quibuſque oblectationibus afficiatur mens hominis, vitiis exuti, (nam voluptati obſequentibus virtus non facile ſe committit,) qui totus in ſtudiis verſetur, & cognitione rerum pulcherrimarum, quæ paſtus ſuaviſſimus eſt animorum, alatur. etenim tanta tamque admirabilis ex iis oblectatio ſuavitaſque percipitur, ut animus penè à ſocietate corporis avocetur, atque in iis rebus peregrinetur, ad quarum ſe cognitionem intelligentiamque converterit. Nonne eos ſæpenumero videmus, qui ſint in acerrima attentiſſimaque rei cujuſpiam meditatione defixi, ita à ſe ipſis abeſſe, ut vocem ac ſonitum prætereuntium non audiant, ut ea, quæ ſunt ante oculos, plane non videant? Notum eſt illud de Archimede, quem neque armorum ſtrepitus, qui totam Siciliam concuſſerat, neque captæ à M. Marcello Syracuſæ, ex qua urbe humilis erat homunculus, neque civium captorum clamor, gemitus, ſtridor, neque militum, à quibus interfectus eſt, gladii, à pulvere ac radio, quibus erat omni mente ac cogitatione intentus, potuerunt avertere. Ex hoc genere fuit ille, de quo dicere inſtituimus, Io. Franciſcus

ciſcus Gropalus, patricius Genuenſis, qui, ab ineunte ætate, ea virtutis indole fuit, ut omnem vitæ ſuæ curſum in ſtudiis literarum confecerit; atque adeo perpetuo in hac ratione vitæ habitavit, ut ab ea nunquam, neque ludis neque conviviis, neque æqualium ſtudiis, abſtraheretur; omnino voluptatibus omnibus bellum habuit indictum; vias adoleſcentiæ lubricas, quibus illa inſiſtere ſine caſu ac prolapſione vix poteſt, nunquam eſt ingreſſus; ſed ſemper directum illud ad virtutem iter incredibili animi robore tenuit; nulla rerum jucundiſſimarum varietate, qua ætas etiam corroborata capitur, eſt abductus à ſtudiis, ſaltem brevi aliquo tempore; videlicet ad quietem ac remiſſionem ſibi quampiam comparandam nulli ab eo ſumtus in re minus honeſta facti reperiuntur; immo, quos à parente nummulos accipiebat, ut ex libidine ſua conſumeret, non alibi niſi in libris coëmendis collocabat. itaque paulatim bibliothecam extruxit, in qua mille, & eo amplius, omnium elegantiſſimarum artium volumina numerabantur; ac ſtudium in primis ſuum mathematicis diſciplinis deditum habuit, quæ nemo ignorat quanta in obſcuritate rerum, & quam recondita in arte, & multiplici ſubtilique verſentur; atque adeo in ſtudio metiendi cæli & terræ continebatur, ut ſua etiam manu aſtrolabia, ſphæras, aliaque ejuſmodi mathematica inſtrumenta fabricaretur, ea elegantia ac venuſtate, ut artificum quorumcumque induſtriam ſuperaret. neque minor ejus erat in illis cuſtodiendis ſolicitudo ac diligentia; etenim iis ea cuſtodiis ſepta atque munita habebat, ut nemini ad ea fas eſſet accedere; quod ſi quis forte interdum, cum non ſatis cautus ad ea tuenda eſſe poſſet, eadem indigentius tractando, fregiſſet, vel deteriora in uſum reddidiſſet, vel ſaltem digitulo uno contigiſſet, adeo iracundia, cum ceteroqui eſſet mitiſſimus ac placidiſſimus, efferebatur, ut inſanire eum ac furere prope dixiſſes. Nullarum fere erat linguarum expers, quibus aliquis in Europa honor habetur. Latina primum lingua ita eleganter accurateque loquebatur atque ſcribebat, ut non à libris neque à magiſtris eam accepiſſe, ſed una cum nutricis lacte ſuxiſſe videretur: Hiſpanica ve-

ro

ro ita, cum erat opus, utebatur, ut, si ortus, altus, educatusque in ea esset. Gallicus sermo supererat, cujus illi facultas nondum addiscendi suppeditaverat. itaque, ejus cognoscendi, præter modum, cupidus erat. sed hanc etiam sitim, uno minus mense, explevit. cumque nullus illi nomenclator, seu vocabularium, ut ajunt, satisfaceret, scripsit Antuerpiam, ut aliquod inde sibi, ad id, quod cupierat, aptum mitteretur. sed interea dum, donec illud afferatur, expectat, unum sibi ipse confecerat, in quo difficillima vocabula, & paulo reconditiores voces, suis interpretationibus explicatæ inveniebantur. Continebat se in suis perennibus studiis, ut cum maxime, tum Io. Franciscus, cum acerbum quoddam in Genuenses odium, Carolum Emanuelem Sabaudiæ ducem ad evertendam Rempub. illorum impulit, instruxit, armavit; suas enim copias, cum iis conjunctas quibus Aldigherius, magnus Galliarum Regis copiarum Præfectus imperabat, Genuam versus adduxit, ubi perterritis civium animis, qui, ex longa sæculi unius pace, non alia arma tractare consueverant, nisi calamum, atramentum, & chartam, plena erant omnia solicitudinis, formidinis, atque tumultus; & tum cives illi, si salvam esse patriam vellent, arma cogebantur arripere, quorum aliqua ne quo nomine quidem appellarentur, agnoverant, atque hostem à portis & à mœnibus urbis propulsare atque repellere. Verum hæc res tam insolita, tam improvisa, tam nova, eatenus Io. Franciscum, qui, ab initio ætatis usque ad id tempus, suis in studiis, tanquam in hortulis, recubans molliter ac delicate, quieverat, percussit, prostravit, afflixit, ut propinqui illius, quibus, ob morum ejusdem sanctitatem & egregiam eruditionem ac doctrinam, erat eximie carus, veriti sint, ne ex ægritudine, cui totum possidendum se dederat, mortem obiret; eoque magis, quod venerat illi nuncius ab eo, cui exercitus totius ordinandi munus incũbebat, ut proxima nocte, in quandam urbis partem, in armis, hora quinta veniret, ut inde hostem, si auderet illuc accedere, fortiter feriret, & interficeret. cui, cum non posset bilem continere, respondisse dicitur, se quidem, ex præscripto, eo quo imperabatur, esse venturum, sed non

cum aliis armis, quam cum libro ; eo enim se armorum genere uti didicisse, non alio. Verum, cum ejus ægritudo, una cum periculis Reipub. fiebat in dies amplior, ceperunt propinqui consilium, ut eum extra urbis mœnia, atque adeo extra Genuensium imperii fines educerent. quod non sine aliquo periculo factum ab illis est. Sed jam Respub. ex iis malis, quibus fluctuabat, ac penè obruebatur, emerserat, cum rediit in patriam, revocatus à suis, ubi mense Iulio anni cIↃ IↃc xxv, lethali consumtus est morbo, tum ex ægritudine, tum ex varia cæli, quod mutaverat, temperatione contracto. Illud autem animadversione dignum est, quod ejus tum natalis tum emortualis dies, in difficillima & calamitosissima Reipub. Genuensis tempora incidit. Etenim natus est anno cIↃ IↃ lxxx, qui annus, pestilentia insignis, orco septuaginta & eo amplius hominum millia dedit ; anno autem cIↃ IↃc xxv decessit, qui itidem annus inprimis est memorabilis, ejus de qua diximus belli periculo, quo nullo fortasse major illa est perfuncta Respublica.

LXIV. MARTHA MARCHINA.

MAgnum ingenium atque amœnum, singularis eruditio, omnisque elegantia doctrinæ, in muliere si adsit, magnam sibi omnium admirationem benevolentiamque conciliat ; quæ etiam eo admirabilior videatur, quo literarum laus ab eo sexu non expectatur, qui, ob ejus imbecillitatem, à studiis avocetur, atque, communi omnium sententia, ad acum, ad colum, ad lanam impellatur, & tanquam in pistrinum aliquod dedatur ac detrudatur. verum, hac ætate, ea vis ingenii, ea magnitudo poëticæ facultatis, ea omnium bonarum artium scientia, in una virgine, Martha Marchina nomine, enituit, ut, si in viro aliquo reperiretur, maximas admirationes & plausus excitaret. Hoc ornamentum, hoc decus, tam egregium, tam admirabile, urbs Neapolis Romam, quo fere confluit quidquid est ubique bellissimum, misit. Infans tum etiam erat ea, cum parentum in gremio est delata in Vrbem. erat quidem ex parentibus,

tibus, optimis ac ſanctiſſimis moribus præditis, orta, ſed humili obſcuroque loco, nec ulla generis nobilitate conſpicua. ſed quid ab externæ & adventiciæ claritatis lumine, ad ſe illuſtrandam, opis auxiliique egeret ea, quæ, ſua ipſius luce, à propriæ virtutis ſplendore profecta, illuminaretur? illi genus & majorum decora jactent, in quibus præter fumoſas imagines nihil inveniatur, niſi ſuperbia, arrogantia, & maxima vitia atque peccata. una eſt atque communis omnium natura; ſed ille generoſiſſimus, qui ſit virtutum ornamentis refertiſſimus. At parens, cui non magis nobilitas generis, quam omnia ad vitam neceſſaria deerant, quo ſibi familiæque ſuæ illa ſuppeditaret, haud procul ab Æde Deiparæ Virginis de pace, quam vocant, officinam orbiculorum ex odorato ſapone, & ſcopularum, inſtituit, eoque artificio ſe ſuoſque tuebatur. Verum puella, annos vix ſeptem nata, incredibili diſcendi cupiditate ſtudioque flagrare cœpit; quam cupiditatem, ut poſſet explere, matris mors fecit. ea enim defuncta, omnis ad ipſam, fratrum regendorum, cura ſolicitudoque redierat. ibant illi quotidie, diſciplinæ cauſa, in Gymnaſium Soc. Ieſu, à quo redeuntes, tum mane, tum veſperi, cogebat eos repetere, quæ à magiſtris didiciſſent. qua neceſſitate compulſi, attentius, quæ tradebantur, accipiebant, ac diligentius memoria cuſtodiebant. ea vero, quo erat ingenii acumine, ex hac illorum repetitione, multo plus intelligebat, quam quantum monſtraretur; adeo ut magiſtros ipſos, eadem illa, poſſe docere videretur. Erat etiam tum parvula, cum ab eo, qui ſibi erat à confeſſionibus, ſumma vi petere cœpit, ut liceret Latinos neſcio quos libros perlegere. at ille, irato ſimilis, id illius poſtulatum, inclementi oratione, rejecit; &: Quidnam tibi, inquit, rei eſt cum literis? abi, atque ea perfice, quæ ſunt propria mulierum; quæ autem viris ſunt apta, relinque; mulierum autem ſunt munia, ſubtegmen tenue nere, telas texere, opus aliquod Phrygium vel ſimile quidpiam efficere. Cui illa, non ſine animi dolore, dicto audiens fuit, atque aliquandiu à libris abſtinuit. Sed non ſine ratione id tum puellæ interdictum ab illo fuiſſe exiſtimo. nihil enim eſt,

quod

quod minus mulieri expediat, nihil, quod magis inutile ad tutandam pudicitiam ſit, quam poſſe unum ex his tribus facere, aut pingere vel fingere, aut verſus facere, aut citharizare, & cantare ad chordarum ſonum, plus quam neceſſe ſit probæ: his enim illecebris, ſpectandi audiendique cupidos ad ſe viros alliciunt atque attrahunt; à quibus deinde eæ pugnæ dantur, quibus vix poſſit obſiſti, atque (ut illæ ſalvam ſuam pudicitiam ſervent) ſermones tamen hominum non poſſunt effugere. quamquam nihil horum metuendum erat ab ea, quæ nihil æque ſtuderet, quam ut ejus virtus ab omnibus ignoraretur, nihilque tam laboraret, quam ut non ſolum virorum, verum etiam mulierum, ſermones conventuſq; vitaret. Verum ille, qui nondum probe eam noſſet, quique, quantum ſit in literarum ſtudiis vitii, ſi ad mulieres transferantur, intelligeret, ideo hanc illi interdictionem habebat. Sed, ab hoc ejus ſermone, anni jam ſex interceſſerant, & eo amplius, cum virginis parenti fuit ille auctor, ut liberis, virilis ſexus, magiſtrum aliquem mercede conduceret, qui eos doceret ſcribere, hoc eſt, literarum notas ſcite & eleganter effingere; cui parens: Eſt, inquit, domi Martha, quæ id præſtare ſine aliquo ſumtu poſſit. cui ille: Quid audio? ait; Martha ſcit ſcribere? Quidni? reſpondit parens; ac poſtridie attulit illi epigramma, Marthæ manu conſcriptum. quod cum legiſſet, quæſivit, ex quonam libro illud exceptum deſcripſiſſet. qui: A nullo, reſpondit; ſed ſuo marte confecit. Quo audito, tum demum intellexit, id quod minus antea cognoverat, eam eſſe Latinis literis eruditam, ac poſſe verſus, vel quam optimos, facere; oblituſque id, quod illi ante ſex annos denegaverat, plura quam ipſa vellet epigrammatum ſcribendorum argumenta præbebat, neque, quoſcunque libros poſceret, lectitandi poteſtatem, ut antea, eripiebat. Erant ea epigrammata adeo eleganti ſtylo confecta, adeo venuſtis argutiſque concluſa ſententiis, ut Antonio Quærengo, qui ea legerat, fides fieri non poſſet, fuiſſe ab ipſa elaborata atque perfecta. etenim vir ille doctiſſimus, & carminum in primis conficiendorum artifex ſummus, non putabat, eſſe veriſimilem, tantam tam-

tamque egregiam in una mulierecula facultatem atque induſtriam. quamobrem petiit à Iacobo Volpono, Congreg. Oratorii Presbytero, qui in Æde D. Mariæ in Vallicella adeuntium confeſſiones excipiebat, ut traderet illi argumentum aliquod, ipſo præſente, verſibus explicandum; quod eſt factum ab ipſo diligenter; nam, die quodam, tranſeuntem illam, ante ſellam ubi peccata confitentes ſua audiebat, accerſivit, juſſitque, in chartula quam ei dedit, lapideo ſtylo, Iacobi atque Angeli luctam, unico epigrammate, lepida ac vibranti ſententiola concluſo, ante ſe complecti. paruit illa, & confeſtim commiſſum ſibi epigramma eleganter atque ex argumento confecit. quod, ita ut erat rudi penicillo exaratum, miſſum eſt ad Quærengum. qui, virginis ingenio ac ſcribendi celeritate compulſus, dicitur, ad incredibilem admirationem fuiſſe traductus. Omnino erat illa ingenio magno, memoria ſumma, judicio peracri; verum is, cui animæ ſuæ regendæ tanquam habenas crediderat, quamvis in Deum pietate ac religione præſtaret, ad humanam prudentiam quod attinet, parum à natura adjumenti habebat, ſed adeo ſui erat juris ſententiæque, ut ab eo, quod decreviſſet, dimoveri vix poſſet, immo illud alacriter exequeretur; præterea, vitio ſenectutis, memoriam ferme perdiderat. hic, cum exiſtimaret, virginem Romæ fruſtra tempus conterere, nullique rei uſui eſſe, perſuaſit illi, vel potius præcepit, ut ſanctam Sophiam, quod eſt Oppidum in Alpibus, Æmiliam inter atque Etruriam, illius patriam, peteret, ibique linguæ Latinæ ludum aperiret. Infelix mulier, quamvis intelligeret, quam ſibi acerbe ac duriter ab illo imperaretur, ejus tamen imperio præſto fuit, ac pedibus ducentorum & eo amplius millium iter, una cum fratre natu minore, ſuſcepit; qui frater itineris incommodum ferre non potuit, ac Fulginæ gravi morbo cœpit urgeri: itaque coacta eſt ibi ſubſiſtere. ſed cum non ita celeriter à fratre morbus abſcederet, ſed longum ſpatium ac moram poſcere videretur, ne ipſa ab obedientia diſcederet, ac fructus, qui ab ea percipiuntur, amitteret, fratris ſalute, alterius ſolicitudini curæque relicta, voluit cœptum iter perſequi: ſed Laureti redditæ

ditæ ſunt ei literæ ab eo, cujus juſſu viæ illi ſe dederat; quibus admonebatur, ut regrederetur, Vrbemque repeteret. quæ ſtatim venit ad eum, qui, duris acerbiſque juſſis & imperiis ſuis, pluribus ipſam annis miſeram habuit. debachabatur, per id tempus, tota ferme Italia, peſtilentiæ vis maxima, Bononiæ præſertim, ubi Legati jure ac nomine imperabat Bernardinus Spada Cardinalis. hic, quo animum à curis avocaret, nocte quadam epiſtolam ad P. Virginium Spadam, fratrem ſuum, & Congregationis Oratorii ſacerdotem, una cum epigrammate, de eadem peſtilentia, ſcripſit. quod ille poſtea Patribus omnibus legit, ea hora qua à continuis totius diei laboribus feriati, feſtivis ac jucundis inter ſe colloquiis paululum hilaritati ſe tradunt; & converſus ad P. Ludovicum Santolinum, qui omnium ejus Congregationis, ac Marthæ etiam, confeſſiones excipiebat: A te, inquit, huic Epigrammati reſpondendi partes, poëtriæ illi tuæ ſunt demandandæ; nam ego alienus à Muſis, nunquam didici verſus facere. cui P. Ludovicus poſtridie epiſtolam Latinam alteram, & epigramma alterum, retulit, ejus nomine, Cardinali ab ipſa reſcriptum; in quibus duobus omnes de peſtilentia ſententias, in eum, qui ſcripſerat, retortas, ita apte ſciteque illigabat concludebatque, ut Cardinalis, à fratre de illa, quæ in ſcribendo ipſius vices impleſſet, edoctus, ad incredibilem admirationem ſit elatus, fratrique reſcripſerit, indignum ſibi videri, in media ejus Vrbis luce, tantum ingenii lumen, omnium ignoratione, tanquam tenebris, opprimi, ne radios ſuos late diffunderet; in qua Vrbe cantrices ac fidicinæ tam magnis præmiis afficerentur; proinde daret operam (quoad magnus aliquis Princeps ex ſuis eam virtutibus ornaret,) ut diaria, quemadmodum ceteri ſui familiares, ſi dignaretur, acciperet. quæ primo illa conſtanter recuſavit, ſed poſtea ejus, cui ut diximus, peccata confitebatur, juſſu coacta, de ſententia deceſſit, & Cardinalis beneficio decem annis contenta fuit. quibus elapſis, cum fratres ad id ætatis perveniſſent, ut alterius auxilio non indigerent, ſed ſua poſſent induſtria ſibi conſulere, eo uti amplius noluit. Ardebat cupiditate incredibili, nomen ut ſuum religio-

ligioſæ cuipiam ſacrarum Virginum familiæ daret; nec quidquam propius eſt factum, quam ut Brexighellæ, in Cœnobium, juris patronatus familiæ Spadæ, reciperetur; ubi ſeveriſſima vitæ diſciplina vigebat; poſtremo ut Romæ in illud alterum admitteretur, in quo Cardinalis Barberini ſorores continebantur. ſumma Cardinalis illius voluntate, ſed divino conſilio factum eſt, ne res eum, quem illa optabat, eventum haberet; quo videlicet oſtenderetur, poſſe etiam virgines in media urbium, omnium maximarum, frequentia ſibi ſecretum facere, atque ad ſummum ſanctitatis faſtigium aſcendere. Erat illi ingenium verſatile, & ad quaſcunque res, quibus illa ſe daret, obeundas aptiſſimum. Habebat, domi ſuæ, contubernales pnerulos duos, Cardinalis Spadæ fratris filios, quos ipſi idemmet Cardinalis in diſciplinam tradiderat, quo, à tanta muliere, indolis illius nonnihil arriperent. ad quos accedebat quotidie Symphoniacus quidam, qui eos doceret clavicymbalo canere; at eo diſcedente, adeo, quod illi ab eo acceperant, referebat, ut ſi traditum ſibi ſoli fuiſſet. Quæ autem mulierum propria ſunt munia, ut ſuere, nere, aut acu aliquid pingere, quamquam, generoſa quadam contumacia, à magnitudine animi ducta, contemneret, tamen, ſi uſus veniret, ita præſtabat, ut nemo melius. Audierat, Phrygium quoddam opus, ad uſum Eccleſiæ Congregationis Oratorii, elaborari; voluit ipſa ad illorum, qui in id opus incumbebant, operas ſuas etiam pluribus diebus adjungere, quo una cum illis apud Deum veniret in ſocietatem meritorum atque præmiorum; &, quamvis ejus artificii eſſet propemodum rudis, nemini tamen eſt inventa inferior, qui ætatem ea in arte contriverant. Ex omnibus autem anni menſibus, unum tantum orbiculis ex ſapone conficiendis dabat, quos per eum vendendos curabat, qui ante domi ſuæ fores, totos dies, ſpiras venales habebat; ex quorum precio tantum illi nummorum conveniebat, quantum eſſet ad vitam, uno anno commode agendam, ſatis. neque emtorum turba derat: quamvis multi, quo illud domum ſuam lucrum averterent, conarentur orbiculos illos delicatiores & odoratiores efficere. ea erat omnium de illius mercimonii

monii probitate opinio. Sed cum ad vitam parce agendam, rerũ fere omnium expers, extremis vitæ ſuæ temporibus, non aliunde, niſi à propriis manibus auxilium petere voluerit, ſuis Paulum Apoſtolum veſtigiis perſecuta eſſe mihi videtur, cui, ut de ſe ipſe fatetur, nihil habenti, naturæ neceſſaria omnia, ſuæ ipſius manus ſuffecere. Sed, num, quia ad ingenii atque omnis eruditionis laudem tantopere properabat, ad probitatis ac pietatis ſtudia ſegnior aut tardior inveniebatur? at, utroque in genere, eſt progreſſa longiſſime. Hæc vita erat, totum fere diei tempus in aſſidua rerum cæleſtium meditatione conſumere, nec à templo Deiparæ in Vallicella Cong. Oratorii diſcedere, niſi ad D. Petri, aliaque religioſiſſima Dei immortalis & Sanctorum templa adeunda, ubi vel ſtatæ ac ſolemnes feriæ celebrarentur, vel quadraginta horarum preces eſſent indictæ. etenim, in his rebus, ſe Eccleſiæ, divinitus edoctæ, ſpiritu agi & impelli ſinebat. his igitur exceptis, quotidie interdiu, in ea quam diximus Æde, ſe continere, mane, ut rei divinæ, à prandio, ut ſermonibus qui ibi habentur, intereſſet; ibi ter in hebdomade, Chriſti corporis Sacramenta ſuſcipere, Adventus & Quadrageſimæ temporibus; quotidie ibi, quod reliquum erat temporis, ſeorſum ab aliis, horarias Officii D. Virginis preces, Græco ſermone ſcriptas, recitare; quam linguam, ſimul cum Hebræa, ſua ſponte, ac nemine monſtrante, didicerat. Noctu erant illi, pro culcitra molli ac plumea, rudes atque aſperi aſſeres; ad ejus, cui animæ ſuæ maculas aperiebat, exemplum; quem omnibus in rebus imitari ſtudebat, ut etiam, poſt illius mortem, eas tabulas in beneficiò ſibi dari popoſcerit, ubi ille extremum Deo ſpiritum ediderat. Nunquam ſandalia, hoc eſt, grandiores mulierum ſoccos ad tollendam ſe altius, adhibuit, ſed vel calceatis vel ſoleatis pedibus ingrediebatur; nunquam precioſis uſa eſt veſtibus; ſed erat humili ac parabili corporis cultu contenta; adeo ut, qui ignotæ faciem intuerentur, contemnerent, quique veſtitum humilem & obſoletum aſpicerent, nullo eam loco ac numero haberent; qui autem virtutem noverant, non poterant admirari ſatis. Accedebat ad artium

tium elegantissimarum studia, Philosophiæ ac Theologiæ notitia, quarum disciplinarum curricula, mira celeritate, confecerat. Verum, tanta ea vis virtutis, illudque dignum, quod nunquam moreretur, ingenium, mense Aprili, anni cIↃ IↃ c x L VI in morbum incidit, quo cum graviter conflictaretur, quod stomachus, fastidiens, omnia respueret, non ita multos post dies, vitæ finem fecit. Defunctæ corpus P. Virgilius Spada, qui, in ejus confessionibus audiendis, P. Ludovico Santolino successerat, ac fiduciarius ejusdem hæres, in Æde supradicta B. Virginis in Vallicella humandum curavit, in altera ex duabus illius naviculis. qui statim, ex fide quam dederat, bona ejus, quamvis pauxilla, inter pauperes distribuenda mandavit, cum fratres, ad quos illa possent redire, ante ipsam è vita migrassent. Sepulcrum hoc eleganti epitaphio decoravit Gaspar de Simeonibus, Innocentii X Pont.max. ab epistolis Latinis.

D. O. M.

Marthæ Marchinæ, ortu Neapolitanæ Virgini,
educatione Romanæ,
cui, ad insigne pietatis ac pudicitiæ studium,
mirus sapientiæ amor, vel septenni, accessit;
eoque deinceps, pari morum atque ingenii cultu,
humaniores artes, ac Latinam in primis poësin,
ad veterum normam atque æmulationem,
suo ipsa instructu, eximie calluit exercuitque;
Hebraicis Græcisque literis docta,
severiores disciplinas, fastu procul, religiose attigit;
animi quæsito magis ornatu, quam nominis;
cujus gloriam,
sponte latens in Vrbis luce, dum plane abjecit,
in sinum transmisit immortalitatis.

Obiit v Idus Aprilis anno Domini M DC XXXXVI
ætat. xxxxvi.

Patres Congregationis Oratorii,
quos illa vitæ probe accurandæ
habuerat monitores,
curatores post funeris, monumentum bene merenti
pos.

LXV. MITILDA BENTIVOLA.

FOecunda virtutum ſemina, quotieſcunque in animum præparatum, tanquam in agrum novatum iteratumque, contingit incidere, maximos ſemper ex ſe fructus educunt. neque refert, quem illa nacta ſint ſexum, ſive muliebrem ſive virilem. Quam multæ, omnibus fere ſeculis, ſunt inventæ mulieres, quæ, in omnium artium maximarum ſtudiis, multorum illuſtrium virorum induſtriæ præirent! Non repetam veterum memoriam temporum; ſed in his verſabor, in quibus nos ſumus. & in primis occurrit nobis Mitilda Bentivola, Ferrantis Bentivoli filia. Virgo nobiliſſima, planeque ſingularis, auſa eſt, atque etiam nunc audet, (nam adhuc fruitur vita) in aulis ſummorum Principum, caſtitatis gloriam alere, ac Chriſtianis virtutibus omnibus animum exornare; quod alii ut aſſequantur, à conſpectu earum rerum remoti, quibus impelli ad contraria illis virtutibus vitia poſſint, ad ſolitudines & antra confugiunt, atque in ea ſe abdunt. quod factum fuiſſe vidimus ab Alphonſo Mutinæ Duce, cujus illa in aula perpetuo vixit. cui cum eadem Chriſtiani viri perfectio abſolutioque propoſita eſſet, atque virgini illi erat, deſperatus, tam divitem theſaurum ibi reperire ſe poſſe ubi fures vagantur ac volitant; raro exemplo, in ſumma rerum omnium poteſtate, opibus, divitiis, ac regno ſe exuerat, atque una cum illorum inſtituto, humilem, arduum, & abjectum Fratrum Capuccinorum habitum ſuſceperat. non enim quemquam fas eſſe putabat, ibi animi demiſſionem, gloriæ, voluptatum, divitiarumque contemtum adipiſci, ubi elatio animi, divitiarum amor, ambitio, voluptas, regnet ac vigeat; ſed ibi ſpes eſt potius voti eum ſui compotem eſſe futurum, unde vitia hæc exulent, & ubi virtutes illæ regnum obtineant. Et ſane cogitaverat ſæpe Mitilda, atque etiam conata fuerat, in aliquam religioſarum Deo virginum domum, tanquam in arcem, ſe conferre, quo nullus adverſariorum inſidiis & incurſibus aditus pateat; ſed variæ ſemper cauſæ interceſſerant, Deo nimirum operam dante,

te, quamobrem non posset cogitata perficere, ut in una eaque regalis sanguinis atque animi virgine, significaret, posse etiam hominem, opibus, divitiis, voluptatibus, opibus, deliciisque circumfluentibus, ab illis non possideri, sed aspernari oculis pulchritudinem rerum, excludere auribus omnem suavitatem, denique non pati, aliquam earum rerum, quæ illum circunstent, guttam in animum suum illabi. Rem miram, ac seculis omnibus prædicandam! eximia virginem forma, summo genere natam, divitiis ingentibus præditam, eo robore animi, atque ea indole virtutis & continentiæ fuisse, ut amplissimorum virorum, genere, divitiis, atque omni dignitate principum, qui ipsam, ob eximias ejus animi corporisque dotes, sibi uxorem expetebant, connubia refugeret, ut nuptias, quibus ceteræ cujusvis ordinis puellæ, vix à nutricis lacte depulsæ, inhiant, planè vehementer horreret, neque celebres suarum æqualium nuptiæ, nec magnificentissimi ludorum apparatus, nec mira spectacula, nec splendida convivia, nec amœna palatia, nec amplæ sumtuosæque villæ, nec multarum jucundissimarum rerum varietas, eam illexerit, aut paululum inhibuerit, quin omnem vitæ suæ cursum in labore, atque in assidua cælestium rerum meditatione, conficeret. Ita fixum apud virtutem animum, amoris ejus clavo, habebat, ut nulla vi ab ea divelli ac distrahi posset. Equidem arbitror, Deo, quoties oculos in terras dignetur inferre, quo facta hominum, ut ita loquar, inspiciat, Deo, inquam, longe gratius ac jucundius spectaculum esse, adolescentem mulierem cernere, quam nec infirmitas sexus, nec ætatis calor, nec magnitudo pecuniæ, nec splendor nobilitatis, nec dignitas formæ, nec adolescentium, pulcritudinis ipsius spectatorum, elegantia, amores, obtutus, obsequia, preces, possint ad nequitiam adducere, quam, matura jam ætate virum animadvertere, nullis ejusmodi machinis oppugnatum, ingenium rectum ad bonas artes habere. Spectaculum plane, superis dignum. nam, præter Deum, quid est apud eos pulcrius? quid habent magis delectabile, si pascere oculos velint, quam, virginem nobilissimam cernere, in ipso ætatis flore blandimenta omnia, quæ

nobis natura ipſa genuit, conculcantem, omnes vias adoleſcentiæ lubricas, quas illa oſtendit, ſine caſu & prolapſione percurrere? Hoc eſt, quod in cælo clamores & admirationes facit, majores, quam ſi immortales illi, rerum pulcherrimarum ſpectatores, quempiam videant ex iis, qui in Religioſorum clauſtra ſe contulerunt, neque ardnis neque ſcrupoſis neque aliquo imbutis cœno itineribus, celſum, erectum, neque titubantem, celeri ad metam curſu contendere. in hoc nemo illorum valde mirabitur; in illa omnes obſtupeſcent, clamabunt, horrebunt. ad hujus tam admirabilis virginis, & raræ, ut dicitur, avis exemplum, ille hodie formatur ac fingitur, qui in ampliſſimo Cardinalium Collegio, tanquam edito quodam in loco poſitus, ingenii, probitatis, prudentiæ, ac magnitudinis animi lumen, longe lateque diffundit; cujus ſimiles ſi cunctos auguſtiſſimus ille Senatus haberet ſemper, audeo dicere, fore, ut hæreticorum factiones mox dilaberentur, ut multa, quibus clericorum ordo cumulatus eſt, vitia ponerentur. ita eſt ille in omni vita ſplendidus atque magnificus, ut nihil ſplendor de illius animi demiſſionis ac ſanctitatis laude decerpat; ita eſt demiſſus ac probus, ut probitas atque demiſſio nihil ſplendori ac magnificentiæ detrahat.

LXVI. MARIA ISABELLA ACCORAMBONA VBALDINA.

MItildæ, virginis clariſſimæ, commemoratio admonuit me, ut fœminam lectiſſimam ac præſtantiſſimam alteram ipſi ſubjiciam, Mariam nimirum Iſabellam Accorambonam Vbaldinam, quæ etiam nunc vivẽs, eodem, quo illa, propoſito, maluit caſtitatis, prudentiæ, ſanctitatis, multarumq; præterea virtutum laudem, in aperta Roberti Cardinalis Vbaldani aulæ luce, exponere, quam in domeſticorum parietum umbris clauſam & obſtructam habere. Etenim, Octaviano Vbaldino, Roberti Cardinalis fratre, cui nupta fuerat, vita functo, non fuit illi conſilium, novas nuptias atque alia connubia perſequi, ſed in ejuſdem Cardinalis aula fidem, quam viro ſuo vivo dederat, etiam mortuo ſervare con-

conſtituit. Erat tum in Maria Iſabella ætatis flos ipſe, generoſæ ſtirpis ſplendor, dos magna, ſanctitas morum, qui, magis quam cetera alia, mulierem ornant; aderat magnus procorum, genere, divitiis, atque omni dignitate principum, eam ſibi uxorem expetentium, numerus: & tamen his omnibus, Lucretiæ Gherardeſcæ, ſocrus ſuæ, familiaritatẽ & conſuetudinem antepoſuit, ac manere apud eam voluit, ut inde perfectæ viduitatis exemplum expeteret. & quod magis miremur, ſocrus illa decrepita erat ſenectute, quæ ætas inviſa atque moleſta eſſe adoleſcentibus ſolet. Parentibus uſa eſt diligentiſſimis in ipſa erudienda ad optimos mores ſanctiſſimamque diſciplinam, ac præſertim ad pudicitiam tutandam; cujus illa erat adeo ſtudioſa, ut nemini ad eam viro, ac ne germanis quidem fratribus, aditus eſſet. Cum nondum è virginibus exceſſiſſet, ſed adhuc, paternæ domus ſeptis clauſa, ab omnium virorum oculis removeretur, nunquam indulgebat ceſſationi otioque; nullum fere tempus, ab aliquo opere, nobili virgine digno, vacuum præterire ſinebat: ſed in primis lectioni indulgebat; quam illa remiſſionem animi liberaliſſimam honeſtiſſimamque nunquam fere dimiſit; ita tamen, ut omnes ii libri à gynæceo illo exularent, qui eſſent inutiles, neque bonum illud alerent, quod ſibi eſſet vel à natura inſitum, vel parentum diligentia partum. Sic vita erat, dum illa in parentum domo educaretur. ſed, poſtquam ea virtus eſt in clariſſimam ſanctiſſimamque Vbaldinorum familiam traducta, tanquam læta quædam arbuſcula, ex natali ſolo atque aëre in aliud felicius cælum agrumque tranſlata, radicibus actis, fructus ex ſe uberrimos ac præſtantiſſimos edidit. mira in ea gravitas, modeſtia, manſuetudo, prudentia, inerat. quibus rebus fiebat, ut Cardinali Vbaldino, atque univerſis familiaribus, merito eſſet cariſſima. Viri mores perferre; nam nemini unquam ita ſecundus vitæ curſus contigit, ut nulla unquam ægritudine interrumperetur; ſocrum, quam inter & nurum magnæ ſæpe diſcordiarum cauſæ intercedunt, colere, venerari, officiis omnibus proſequi, eidemque ad nutum præſto eſſe; denique totam civitatem in ſui admirationem attrahere: neque

ſolum ſe ipſam ad id exemplum caſtitatis & innocentiæ, de quo diximus, fingere, verum etiam, ut honeſtiſſimam atque ſanctiſſimam matrem familias decet, ſummam dare operam, quo in ceteris, ſive mulieribus ſive virginibus, quas circa ſe habet, eadem, quæ in ipſa elucet, veræ probitatis forma impreſſa & inuſta cernatur. nam plerunque, quæ domi eſt dominarum, eadem etiam eſt ancillarum diſciplina. etenim earum oculos, in oculis habet ſuis, atque eatenus earum unamquamque à cuſtodia ſua non deſerit, ut, ne virum quempiam aſpiciant, vel ſermones cum eo conferant, per ligneam verſatilem rotam cibum illis introferri jubeat; tum, ab illis exigat ſingulis dominicis, aliiſque diebus feſtis atque ſolemnibus, ut eidem ſacerdoti, quem ipſa ad confeſſionem adhibet, peccata confiteantur ſua. Atque hoc loco interponendum videtur, quamvis à re alienum, ne parentes ac dominæ filias ac famulas ſuas cogant, confeſſariis iiſdem uti, quibus ipſæ utantur. nam ſi illarum quæpiam in aliquod flagitium, ſive in effectu, ſive ſine effectu, cogitatione tantum, labatur & cadat, quo nihil eſt facilius, cum ex eadem, qua nos fragili infirmaque natura conflentur, celatos illos habebunt, ac ſacrilegis confeſſionibus animum contaminabunt; quod, licet male, vereantur, ne dominis ac parentibus ſuis prodantur: ſed ad eos ſinant illas abire, apud quos ſua flagitia tecta atque tacita fore exiſtiment. Pergamus ad reliqua. magno ſemper fuit animo ac forti adeo, ut magnitudine animi atque conſtantia longe mihi vulgus aliarum mulierum anteceſſiſſe videatur. quam animi fortitudinem præſertim oſtendit in morte propinquorum, ſibi cariſſimorum, quo tempore mulieres dant ſe querelis, lamentationibus, ejulatibus. Primum, filii interitum, quem unicum pepererat, neque ita multas poſt horas, quam eum accepiſſet, amiſerat, ita tulit, ut magis de ſepultura quam de lacrymarum officio eidem perſolvendo cogitaret. plures vero fratres, ætate, forma, ingenio, doctrinaque præſtantes, quorum interitu multis aureorum millibus amiſſis, omnes fere Accorambonæ familiæ opes conciderunt, eatenus deflevit extinctos, quoad pietatis humanitatiſque ratio depoſceret: non enim

enim ex ſilice nata erat. hoc illis officio naturæ debito perſoluto, animum, ut antea, ab omni perturbatione vacuum reddidit. Sed tum viſa eſt in primis motus animi nimios ac longius evagantes reprimere, atque ratione ſedare, cum ſpecioſiſſimas adoleſcentulas duas, fratris ſui filias, quarum major viro primario nupta erat, inter paucos dies phthiſi conſumptas amiſit; etenim, in iis lugendis, non ſolum nihil ſapientis gravitate dignum admiſit, verum etiam illud animi propemodum imperturbati ſpecimen edidit, quod à Socrate, qui prior, vel magis quam quiſquam alius, docuit, oportere ſapientem omni animi perturbatione carere, vix expectari potuiſſet. Etenim, cum vir ille primarius, cui fratris filia, quam diximus, collocata fuerat, nullum ab ea, neque virilem neque fœmineum, ſexum ſuſcepiſſet, eſſetque liberorum inprimis cupidus, quos educaret, generi monumentum; cum, inquam, vir ille coactus fuiſſet, novis ſe affinitatibus implicare, idque ipſa reſciſſet, neutiquam commota eſt, non revocavit ſibi in memoriam cognatæ calamitatem extinctæ; non ejus, qui illius in locum ſucceſſura eſſet, felicitati invidit; ſed ſtatim ſuperioris uxoris fratres juſſit ad eum accedere, eidemque nobiliſſimi viri, cui ſe devinxiſſet, affinitatem gratulari: ipſa autem adeo novæ nuptæ aſpectum non reformidavit, neque exhorruit, ut nihil habuerit prius, quam domum ad eam, ſalutandi ejus gratia, venire, & viri, cui illa ſe commendaverat, virtutes ſummis in cælum laudibus efferre; à quo genere officii pleræque facto imbecilloque mulieres animo refugiſſent, nec ſine magno animi dolore ſuſtinuiſſent, eo alteram in loco collocatam aſpicere, unde per ſummam fortunæ injuriam ſuus ſanguis fuiſſet ejectus. Multa præterea ſunt, quæ dici de hac muliere poſſunt; ſed ſatis hoc arbitror, ad id quod voluimus, dictum. non enim propoſitum eſt nobis, hiſtoriam vel vitas hominum, doctrinæ vel morum laude præſtantium, ſcribere, ſed tantum paucis lineis, rudi ſtylo, tamquam penicillo ductis, ita tamen, ut noſci poſſint, eorum ingenii formam exprimere, quibus vel eximia pulcritudo vel notabilis fœditas vultus à natura contigerit.

LXVII. LVCRETIA GHERARDESCA.

MVltas hac noſtra memoria, enumerando, proferre mulieres poſſumus, in quibus matronarum decus, dignitas, ac ſanctitas mire eluxit: ſed in nulla earum, quas quidem noverim, tot virtutum laudes convenire viſæ ſunt, quot, in Lucretia Gherardeſca Florentina, hæc ætas noſtra ſuſpexit & admirata eſt. Ac primum generis claritas, ac familiæ ſplendor, in ea ſe offert; qui ſplendor ſi abſit à nobis, non eſt magnopere dolendum; eſt enim donum, quod extrinſecus accidit; nec in poteſtate noſtra eſt, quales majores habeamus; ſi adſit, non eſt contemnendus, immo plurimi faciendus; nam mirum in modum ea, quæ ipſis nos peperimus, bona ornat ac perficit. Generis, inquam, claritas ejuſmodi in ea refulſit, ut familiæ nobilitatẽ antiquitatemque, non à majoribus cujuſvis dignitatis atq; ordinis repeteret, ſed ab iis referret acceptam, quos regalis faſtigii majeſtas à communi reliquorum hominum cœtu ſejunxerat. etenim ii, à quibus ea ortum duxit, inſulæ Sardiniæ regnum obtinuerunt: tum, urbem Piſarum, ut tum erant tempora, opibus, viris, divitiis armiſque florentem, dominatu regio, ut eſt in hiſtoriis, ſibi ſubjectam habuerunt; multiſque præterea, in Etruria præſertim, oppidis ac vicis imperarunt: ac proximis temporibus ipſa, cum ſummis Pont. quorum poteſtas proxime ad divinam accedit, arctiſſimo fuit cognationis nexu conjuncta; ſiquidem Leonis XII Pont. max. ſororis filia fuit. neque Florentiæ quiſquam eſt veteris generoſæque proſapiæ, qui non ad eam aliquo affinitatis vel cognationis jure pertineat. Virum habuit M. Antonium Vbaldinum, popularem ſuum, familiæ nobilitate cum primis, non ſuæ ſolum civitatis, ſed totius etiam Italiæ, quamquam opibus, non ſuo ſed fortunæ vitio, haud ita magnis, ſed, quod rem continet, moribus honeſtiſſimis ſanctiſſimiſque, ac fide, ut quiſquam alius, optima. Quamvis hæc ſanctitatis laus non tam ipſius propria, quam univerſæ familiæ eſſet. Etenim ex tribus fratribus, Hieronymus, jam Referendarius & Cancellariæ

lariæ Apoſtolicæ Abbreviator, innocentia, doctrina, prudentia, cum ad ampliſſimam dignitatem properaret, in medio honorum ſpacio conſtitit, & curſum alio direxit; nempe in Societatem Ieſu ſe contulit, ibiq; paupertatem divitiis, ſervitutem libertati (ſi ſervitus appellanda eſt, quæ Chriſto præſtatur) humilem & abjectam vitam opibus & honoribus affluenti præpoſuit. quoties ille, qui rheda vectus, circumpedibus ſtipatus, omnes Vrbis vias circuibat, conſpectus eſt in ſordida ac lacera veſte, humero ad ſaccum ire, atque à prætereuntibus ſtipem emendicare! Lælius vero, Franciſcanæ familiæ, arctioris diſciplinæ, ſe legibus addixerat: verum, Aſcanio Card. Columnæ, ingenii præſtantia, doctrinæ varietate, morumque elegantia, adeo conciliatus eſt, ut nemo illi carior exiſteret, adeo ut Sublacii Abbatiam, quam tum poſſidebat, Hugoni, M. Antonii, fratris illius, filio vectigalem fecerit; ut nimirum, penſionis nomine, ducenteña quotannis ex illius fructibus ſcuta perciperet. At M. Antonius, quamvis perfectioris vitæ cupidus, (ad illud enim vitæ genus natura ferebatur, ad quod reliquos fratres Spiritus ſancti aura compulerat) tamen coactus eſt uxorem genere ſummo ducere, ac liberos procreare, in quibus familia, ad paucos redacta, propagaretur. qua in re, Deus immortalis, quali erga illum animo eſſet, oſtendit. nam eam illi mulierem, qua cum ætatem ageret, obtulit, quam nuſquam gentium deductam fuiſſe quidam ajebat, hoc eſt, probam. Erat in Lucretia Gherardeſca inſignis quædam probitas ac modeſtia, quæ ſæpe virtus abeſt ab iis, qui nobili genere nati ſunt, plurimum; quibus commune illud nobilitatis vitium ineſt, contemtor nimirum animus & ſuperbia. eam enim, ab aliarum mulierum ſimilitudine, tum natura tum virtus abſtraxerat. non illa famulis ſuperbe ac crudeliter imperare; non viri ſui ſtudiis adverſari; non eum, prius quam galli cantent, à ſomno excitatum rogare, ut ſibi aurum, gemmas, ac veſtes coëmeret; quod bono ingenio ſe eſſe ornatam mallet quam auro multo; non illo, quæ rem familiarem indiligenter tutando perditum iret, ſed quæ conſervaret; non multiloqua, oblatratrix, ſumtuoſa, ſed quæ pauca

loqueretur, quæ humaniter cum ſuis ageret, quæ viro obſequeretur, quæ non majores faceret ſumtus quam res ipſorum perpeti poſſet; denique, quæ non anxie, non turbate, ſed ita placide totam domum adminiſtraret, ut vix intelligeres, id agere, cum ageret tamen. Cujus probitatis exſuperantia quanta eſſet, ex liberis, in quos illa redundabat, licet agnoſcere; qui omnes fuerunt ejuſmodi, ut, ſi tibi ejus rei optio data eſſet, neſcires, cujus te potiſſimum eſſe ſimilem velles. nam primum Lælius, cum, Alexandro Card. Mediceo, majori avunculo, ad ſummum Pontificatum evecto, in ſpem magnam honorum ac divitiarum vocaretur, ſi ad id, unde ille flatus oſtendebatur, vela dare voluiſſet, incredibili quadam animi magnitudine, luculenta illa velificatione relicta, ad inopem, humilem, & abjectam, Carmelitanæ familiæ, Fratrum diſcalceatorum vitam, qui tum, ut ſunt rerum omnium initia, ad ſummam caſtitatis, animi demiſſionis, paupertatis, omniumque virtutum laudem efloreſcebant, omnibus, ut ajunt, velis remiſque contendit, atque ad ipſorum ſe numerum admittendum adſcribendumque curavit. qua in familia, cum, annis viginti & eo amplius, ſumma cum ſanctitatis opinione, infirmiſſima ſemper valetudine, vitam egiſſet, denique, cum nullam ferme valetudinis ſuæ rationem haberet, cum vigiliis, jejuniis, precibus, aliiſque pœnis ultro ſuſceptis, in ſe nimium ſæviret, eſt mortuus. Robertus vero, ſingulari vir ingenio, eruditione, eloquentia, judicio, primum à Paulo V, qui hominis erat indolem odoratus, cubiculi ſui Præfectus eſt creatus; tum ad Henricum IV Galliarum Regem Nuncius miſſus; poſtremo, cum munus illud, per annos novem, fideliter adminiſtraſſet, in Cardinalium collegium cooptatus: eoque mortuo, Gregorius XV, cui, ad Pontificatum max. adipiſcendum, ejus opera maxime opportuna fuerat, Bononienſem illi legationem detulit: quo munere egregiæ functus, Romam rediit, ibique, cum ad ſummam amplitudinem properaſſet, eſt calculi morbo conſumtus. Octavianus autem, equitum levis armaturæ, qui Pontificis egiam tuentur, præfectus, cum familiæ propagandæ artes ſuſcepiſſet, fœminam primariam, Mariam Iſabellam

bellam Accorambonam, ſumma cum dote, uxorem accepit; à cujus amplexu, cum nullam ex ſe prolem reliquiſſet, eſt immatura morte diremtus. Denique Hugo, cum etiam nunc vivat, ad extremum reſervatus, quadraginta annis, Baſilicæ Apoſtolorum principis Canonicus, ac nunc etiam ejuſdem Decanus, adeo aſſiduam ac diligentem operam navat, ut ſit omnibus exemplo, quibus morati eſſe moribus debeant ii, qui in ſortem Domini ſunt vocati; tum jam inde ab ineunte ætate, eam in opinione hominum, adeptus laudem ſanctitatis, ut, quemadmodum olim Athenis Ariſtides ac Phocion, juſti ac boni cognominibus appelletur: nec mirum; in ea domo ortus erat, unde vitia omnia exulabant, ubique, ut de Appii cæci domo narratur, vigebat mos patrius & diſciplina. Erat igitur in Lucretia, ejus matre, ſumma probitas, erat incredibilis magnitudo animi & conſtantia; quæ pluribus in rebus adverſis, quibus conflictata eſt, ita eluxit, ut vix paucos, tum ex veteri tum ex recenti memoria, referre poſſimus, ſive virilis ſexus ſint ſive muliebris, qui cum ea conferri æquarique poſſe videantur. Cujus rei, ne defatigemus lectorem, unum aut alterum exemplum proferemus. Primum, Leonis XI Pont. max. avunculi ſui, à quo illa mirifice diligebatur, & apud quem, ſi diuturnior illi lucis uſura contigiſſet, plurimum auctoritate & gratia præſtitiſſet, ita celerem è vita diſceſſum tulit, ut vix aliquod commoti animi ſignum oſtenderit; ita in morte trium liberorum ſe geſſit, ut proxime ad illam indolentiam acceſſiſſe viſa ſit, quam Stoici in ſapiente requirunt. at quorum liberorum? nempe eorum, quibus, ſi ipſa fingere voluiſſet, neque meliores neque præſtantiores conſequi potuiſſet. Etenim neque gemitus, neque, ut mos eſt mulierum, ejulatus edidit, neque aliquam vocem, ſapientis gravitate indignam, emiſit. Prudentia fuit tanta, quantam capere muliebris animus poteſt. Fulgebant quidam in ea ingenii, nec abſurdi nec inelegantis, igniculi, & quædam, non ſine aculeo, in reſpondendo celeritas. nam cum, Leone XI Pont. max. creato, omnium fere ad eam gratulandi cauſa concurſus fierent, venit ob eandem cauſam vir quidam in primis nobilis ac dives, qui

eam

eam antea non agnoverat, ſed tum fatebatur, ſe arcta ipſam cognatione contingere. at illa: Plurimum me æquum eſt debere avunculi mei Pontificatui, qui cognationes, oblivionis tenebris abditas, aperit, & in lucem profert; i igitur, & ſi quid mea tibi opera prodeſſe poterit, utere, ut tua. Nihil ejus ex ore exibat, niſi accuratum ac prudens, nihil niſi honeſtum atque ex ſanctiſſima diſciplina; nullum ex ea factum prodibat, quod magnopere reprehenderes, vel quod ſaltem muliebris ingenii imbecillitatis excuſatione defenderes, aut vetus illud de ea proverbium uſurpares: Mulier eſt. nihil poterat in ejus moribus deprehendi, ſive ſtaret ſive incederet, ſive ad menſam ſederet, ſive ſola ſive cum alio eſſet, quod non eam maxime deceret, quod non cum ejus generis nobilitate, qua præſtabat, & cum ea probitatis opinione, quæ de ipſa erat, mire congrueret. Memoria erat tanta, ut totum fere Petrarcham & Dantem, quos illa poetas ab ineunte ætate didicerat, ita memoria comprehenſos haberet, ut decrepita jam ætate, mihi, cui ob arctam, cum Hugone ejus filio familiaritatem ſæpe ad eam aditus patebat, plurimos ex illorum carminibus verſus, nihil hæſitans, recitaret. Maximo legendi ſtudio flagrabat; ſed cum illis præſertim libris ſibi res erat, cum iis ſe oblectabat, quorum lectione ſe vehementius ad amorem in Deum inflammari, & ad pietatis opera impelli ſentiret. Vixit uſque ad extremam ſenectutem. nam ad ſeptimum & octuageſimum pervenit annum. ſed, quamvis ætate confecta, nunquam tamen minus animo valuit, verum ſemper mente integra fuit. Magnam ejus mortis cauſam ſuſtinuit ædium mutatio. nam cum ex ædibus, neque ita lucidis neque ita aëri expoſitis, in alias, ſoli aërique apertiſſimas, commeaſſet, &, qua erat in rebus familiaribus ſolertia ac diligentia, majorem, quam illa ætas poſceret, ſolicitudinem ad veteres ædes exhauriendas, ac novas inſtruendas & exornandas, afferret, inſuper operis vehementius inſtaret, morbum contraxit, eidemque cum plures dies reſtitiſſet, tandem ſuperior eſſe non potuit, ſed neceſſe fuit cedere. Animam agenti Aloyſius Card. Capponius, Ravennæ Archiepiſcopus, affuit, eidemque, extremo

tremo illo tempore, omnibus officiis pietatis caritatisque non defuit.

LXVIII. TERESA COMITISSA EX PERSIA.

PAulo ante, in exprimendis nonnullarum nobiliſſimarum mulierum formis, quas nobis Italici cæli felicitas dedit, noſtra deſudavit induſtria: in quibus quam maxime ad ſimilitudinem veri delineandis quamquam tantum ſtudii poſuerimus, quantum ingenii vires noſtri tulerunt, non tamen id, quod voluimus, nos aſſecutos eſſe confidimus; major enim eſt earum dignitas pulcritudoque formarum, quam ut eam cujuſquam ſcribentis facultas poſſit comprehendere; nam, quidquid dixerit, minus erit. Nunc viciſſim meam ad ſe operam attrahit alia, quam, rerum geſtarum gloria clariſſimam, remotiſſimæ orbis terræ regiones pepererunt, jam vero, Vrbs Roma poſſidet; quo, quidquid eſt ubique locorum in ſuo genere ſummum ac ſingulare, confluere ſolet. Hanc Perſarum natio, vel potius Catai regio penitiſſima, genuit. quam formæ dignitas, parentum ſplendor, viri, cui erat in matrimonio conjuncta, nobilitas, regale genus, perpetua, pro Chriſto, mortis contemtio, immortalitati commendat; tum, magnus animus, nulliſque adverſis rebus infractus, ad ſuperos effert. Hæc, Tereſa nomine, patrem habuit, lingua eorum Samphut nomine, noſtra Sanſonem, ſuperioris Catai partis Principem, religione Chriſtianum. quam, etiam tum quadrimam, amita, quæ Regi Perſarum in matrimonium collocanda erat, comitem ſecum duxit in Perſiam, atque in Regis ejuſdem aula, annos quatuordecim, in filiæ loco detinuit, tum omnibus iis artibus erudiendam curavit, quæ in regiam virginem conveniunt; in quibus nihil illa fuit excellentius, nec magis omnibus, quæ una eſſent ætate, generoſa progenie ac formæ bono præſtitit, quam ingenii docilitate, amœnitate, & ad omnes res optimas aptitudine; liberalis, ſplendida, affabilis, blanda, omnium in ſe ſtudia conciliabat: verum annos quatuordecim natam duxit eam uxorem domum Comes

mes Robertus Sirlæus Anglus Catholicus, Regi in primis carus, adeo ut, per illum legationes omnes, quæ eſſent illuſtriores, adminiſtrarentur; nempe ad ſummos Pont. Paulum V, Gregorium XV, ad Cæſarem auguſtum, ad reges Galliæ, Hiſpaniæ, Angliæ, omneſque alios Aſiæ Europæque Principes ſummos. quas ille fideliter obeundo, fiebat, ut magnam Regis benevolentiam conſequeretur. ſed in illis omnibus legationibus ſuo ſemper lateri hærentem habuit uxorem. nec minimum ex ea commodum cepit. etenim, in multis ac maximis, quibus conflictatus eſt, morbis, aliiſque vitæ periculis, plurimi ejus ſibi eſſe operam, ſenſit, tum præſertim, cum in varias orbis terræ regiones, moribus ac linguis inter ſe diſſidentes, ingrederetur. nam, præter ſermonem regionis, in qua illa nata erat, alias complures linguas noverat, Perſicam, Indicam, Turcicam, Moſcoviticam, Polonam, Anglicam, Hiſpanicam, Gallicam, Italicam. unde vir, ipſa præſente, à nemine circumveniri ac decipi, propter linguarum inſcitiam, poterat. ſæpe etiam manu ex inimicorum inſidiis, in quas devenerat, illum eripuit. Cujus egregia virilis animi audaciæque facinora multa enumerantur; ſed duo illa majorem mihi admirationem & laudem habere videntur. Primum, cum virum, inimicorum armis circumventum, &, comitibus ejus interfectis, in poteſtatẽ illorum redactum, vindicavit in libertatem. namque, in medios illos irruens, ac fortiter dimicans, virum, quem vinctum ſecum ducebant, dimittere, ſuæque eos vitæ timere coëgit. Deinde, cum in magni Mogoris Regno, Amazonia ſecuri in manus ſumta, ac ſex famulis comitata, eorum qui cum ignibus manu elaboratis venerant, ut virum domi ſuæ vivum comburerent, conatus repreſſit, audaciam fregit, impetumque cohibuit, quorum alios vita privavit, alios, vulneribus affectos, in fugam avertit. Sed, quoniam Regum in aulis, magnum ſæpe aulicorum odium in ſe convertunt ii, quos illi pluris à Regibus, quam ipſos, fieri vident, ideo omnes, quibus moleſtum erat, Comitem Robertum tanta apud Regem auctoritate & gratia florere, ad illum opprimendum conſenſerunt, atque, cum ipſum non poſſent, uxorem

capitis

capitis arcesserunt; quod, Mahometi transfuga, in Christianorum castra se contulisset. non enim illam eam esse ajebant, quæ olim Comiti Roberto nuptui data fuisset, sed Mahometanam quandam, quæ, veteri religione relicta, per summum nefas, Christianorum baptismatis fonti caput suum polluendum contaminandumque tradidisset. & ad hunc finem, pecunia corrumpendum quendam susceperunt, quem tum Rex maxime diligebat. Quamobrem, ut Mahometi sunt leges, Regis sententia fuit, ut, nisi infecta facta feciisset, & cum Mahometo rediisset in gratiam, ignibus tradita, vitam incendio finiret. Quod ubi ad Comitis Roberti aures pervenit, vix abfuit, quin ex ægritudine animam amitteret. sed tacitus rem intra se cohibebat. verum, cum dolorem animi, oculis vultuque, præferret, mulier, ejus rei ignara, rogavit, quidnam esset, cur tam ab eo omnis hilaritudo abhorreret. Quia, inquit, tibi esse pereundum, video, nisi Christum deseras, & ad Mahometum transeas; ac vereor, ut contra adversariorum tuorum vim satis firmo esse animo possis. Cui illa: Istudne tibi ita ægre est? ait; omitte vero solicitudinem istam, quæ ita te macerat, & pristinam hilaritatem sume; nam tibi exploratum sit velim, me millies antea vitam meam prodituram, quam Christi fidem. Atque hoc loco non est prætermittenda Regis gravitas, qui, ne temere cuivis credidisse videretur, mandat eunucho cuidam suo, ut in mulieris domum se conferat, rem totam diligenter investiget atque cognoscat, &, inquisitam exploratamque, sibi denunciet. Eunuchus, Regis imperium exequens, abit, domum mulieris intrat, causam, cur venerit, narrat. illa, nihil exterrita, sed, aurea veste & gemmis, quibus abundabat, induta, (statuerat enim, eo ornatu ad mortis supplicium, tanquam ad epulas, ire:) Ecce me, ait; vide, percontare, ut lubet; vera ex me audies. At eunuchus, cum in omnes ejus corporis partes aciem intendisset, statim, eam esse quæ erat, agnovit, & amantissimis verbis prosecutus, bono esse animo jussit, omnemque ab eo solicitudinem, id quod minime erat opus, ejicere; nam nullam antea in se admiserat. tum recta est profectus ad Regem, eiq; fideliter, quem-

admodum

admodum ſe res haberet, expoſuit. Sed neque Rex ejus quidem indicio eſt impulſus, ut crederet rem ita eſſe ut ille narrabat; voluit ſuis magis oculis atque auribus, quam alienis, fidem habere. Quod ſi ſemper viri principes facerent, vel ſaltem ſimularent ſe facere, non tam iniqua ſæpenumero à ſuis magiſtratibus judicia fierent. Eam igitur Rex imperavit ad ſe adduci; quam, perinde ut eunuchus fecerat, ſimul aſpexit & agnovit; ac primum humaniſſime complexus eſt; tum ad colloquium admiſit, ac varios cum ea ſermones, Italiæ præſertim de rebus, inſtituit; deinde rogavit, quid nam vir ſuus commeruiſſet, cur in maximum quorundam odium perveniret. Quæ reſpondit, non poſſe ſibi perſuaderi, virum ſuum cuiquam mortalium odio eſſe; ſed magis veriſimile fieri, in omnium eum amore benevolentiaque verſari. Cur igitur, Rex ait, tam multi capitali eum odio proſequuntur? cur tantopere extinctum eſſe cupiunt? Cui: Id mihi ignotum eſt, inquit, ſed poſſe fieri arbitror, ut meo, quod quæris, compertum ſit viro. Tum Rex admiratus eſt mulieris ingenium, ad manſuetudinem & ad omnes bonas artes rectum, iiſque etiam æquum, quorum crudelitas ejus ſanguine expleri vix poterat. & converſus ad Reginam: Vide, inquit, obſecro, ſanctos & probos horum hominum (Chriſtianos intelligens) mores; contra, improbos immaneſque illorum (Mahometanos ſignificans) animos. Eademque opera, ad quandam regiæ domus feneſtram, illam adduxit, ac digito demonſtravit ingentem lignorum ſtruem, in medio foro conſtructam; atque: Hic tibi rogus parabatur, ait, ſi à Mahomete, ut adverſarii calumniabantur tui, defeciſſes, neque, facti pœnitens, ad ejus cultum revertiſſes. Cui illa: Si mea tibi, dixit, cordi mors eſt, jube me quam primum ad illam adduci; nihil hoc mihi poterit gratius accidere. Contra Rex: Cave, inquit, iſtuc dixeris; nam, ſi id, quod conatus fueram, perfeciſſem, in quot me ſcelera ingurgitaſſem? primum inſignitam, atque adeo immortalem patri tuo, viro Principi, injuriam & contumeliam impoſuiſſem, qui, tam multis in bellis, magna mihi auxilia, nullo meo ſumtu, ſuppeditavit; tum peſſimam Comiti Roberto, viro tuo,

de

de me optime merito, gratiam retuliſſem, cujus operam, multis graviſſimis difficillimiſque in rebus, ſum opportunam atque fidelem expertus; poſtremo, quod magis æſtimari debet, contra jus æquitatemque feciſſem. ſi mulierem innocentem, ignis ſupplicio mactari juſſiſſem. verum ego centum antea viros internecioni dedere, quam mulierem unam, eamque innoxiam, occidi mandabo. Ac, ne longum faciam, Regis ſententia judicatum eſt, non videri Mahometis legibus fraudem aliquam feciſſe eam, quæ, ſtatim ut nata eſſet, Chriſtianis ſacris fuiſſet imbuta. Qua ſententia adeo percuſſa eſt Mahometanæ ſuperſtitionis miniſtrorum immanitas, ut magnam in populo ſeditionem excitaverit, adeo ut Regi fuerit neceſſe, quoad illa quieſceret, Tereſam, tuto in loco conſtructam atque reconditam, concitatæ multitudinis furori ſurripere; ipſe autem, ſuæ ſaluti metuens, per quindecim dies, non ſit auſus in publicum prodire, ac vulgo ſe credere. Hac igitur ſeditione ſedata, & à Rege ſententia, ſecundum ipſam, dicta, non illa propterea omnibus periculis perfuncta eſt, ſed cum adverſa fortuna acrius vehementiuſque conflictavit. primum, eodem fere tempore, gravem in morbum incidit; quo ægrotavit vir etiam ſuus. ſed ille ejus vim morbi ferre non potuit; verum ipſa convaluit, ac virum, Aſpani, ubi tum Rex agebat, in Æde Fratrum Diſcalceatorum ſepeliendum curavit. deinde, vix quatuor, ab ejus exceſſu, menſes interceſſerant, cum Sciabar Rex diem obiit ſupremum. Hæc illi mors initium eorum malorum attulit, quæ poſtea ſunt conſecuta. etenim, tanto præſidio, tanquam armis, exuta, continuo, adverſariorum furori, qui Regis metu paululum repreſſus fuerat, patuit. quamobrem illi, publicatis ejus bonis, mulieris ſibi poteſtatem fieri poſtulabant, ut de ea, ipſorum moribus, ſupplicium ſumerent, quod à Mahomete defeciſſet. quamobrem Fratres Diſcalceati, de quibus diximus, quorum conſiliis omnes ejus vitæ rationes regebantur, erant illi auctores, quo ſe ab adverſariorum oculis, quantum poteſt, removeret, ut Regnum illud relinqueret, atque alias regiones, alias gentes, perſequeretur. ſed, quoniam Regni illius legibus cautum erat, ne quiſquam auderet

pedem ab eo foras efferre, nisi per literas publicas facta ab iis potestate, qui summum imperium omnium Regni civitatum tenerent, impetrarunt à Duce Scirach, cujus nutu omnia administrabantur, ut tuto eidem liceret abire, si vellet. Sed interea, dum literæ conscribuntur obsignanturque, adversarii, multo quam antea ferociores, adsunt, instant, urgent, ut ea quam primum igni tradatur; neque enim fas esse, ajebant, ex ipsorum manibus impune evolare eam, quæ, Mahomete relicto, ad ejus se hostes contulisset. quorum importunis clamoribus Dux ille compulsus, non potuit recusare, quin rem illam in judicium disceptationemque deduceret. Itaque causæ cognitionem demandavit judici cuidam, qui mulieris bonis jam diu inhiaverat, eaque, spe & cogitatione, devoraverat. qui continuo, de sacerdotum consilio, scripsit illi dicam, qua denunciabat, ut in æde Mahometana, quam sua lingua Moscheam vocant, vitæ rationem suæ redditura, se sisteret. At illa, verens, ne, si pedem intro in sacrilegum illud fanum intulisset, animum inde contaminatum ac pollutum referret, primo, ne iret, excusavit valetudinem, qua tum minus prospere utebatur; neque enim, infirmis præsertim viribus, posse se tantum iter pedibus conficere; deinde opere eum maximo rogavit, ne gravaretur, ad Ædem Fratrum Discalceatorum accedere; ibi se esse paratam, ad ea omnia respondere, quæ causam illam crimenque conflarent, ac facere illi satis. Ad id postulatum noluit ille descendere, quod, non convenire, ajebat, Mahometi sacrorum antistites, ejus Ædis limen attingere, ubi statuis & imaginibus divinus honor haberetur. Ac, ne longum faciam, post multas contentiones disceptationesque, tum mulier tum judex in eo manserunt, ut de tota ea re, in ædibus viri cujusdam apprime nobilis, judicaretur; qui vir summo erat Scirach amore conjunctus, & Discalceatis Fratribus amicissimus. Ad constitutum igitur tempus ac diem adsunt, tum quæsitor tum mulier. sed mulieri venerunt auxilio Fratres Discalceati, ut fortasse accusatorum insidiis circumventæ opem afferrent, aut, ex metu titubanti, subvenirent, aut ex pugna debilitatæ animos adderent. Sed nihil fuit opus his rebus. nam animo imperterri-

territo, liberrime, apud judicem eosque à quibus impugnabatur, est professa, se esse Christianam, ac millies antea, si res ita poscceret, per summos cruciatus vitam amissuram, quam turpiter à Christo discederet, cui se ab ineunte ætate mancipasset, & in quo omnes suos amores, omnes salutis suæ spes, omnes cogitationes, fixas ac locatas haberet. iisque, à quibus luculenta quædam conditio offerebatur si sententia desisteret ac fieret ipsis obnoxia (is enim, cujus illi nuptias pollicebantur, erat vir quidam princeps, summis opibus, divitiis, & honoribus præditus) respondit, ut sua sibi connubia, suas sibi opes, suas sibi divitias, suos sibi honores haberent; non enim habere orbem terrarum auri & argenti & honorum satis, pro quibus datam Christo suo fidem falleret, præ cujus amplitudine atque divitiis, quicunque ubique sunt Reges, quicunque, si vera est fama, aureos incolunt montes, nihil sint, nisi hominum mendicabula, atque quisquiliæ. Itaque cum eam non possent promissis de sententia depellere, conati sunt minis perterrefacere; ac: Nisi, ajunt, properes in Mahometis, unde discesseris, castra redire, scias, acerbissimam tibi subeundam esse mortem in mundo. Has illa minas irrisione, quemadmodum dignæ erant, excepit; ac: Tantone, inquit, odio sum vobis? quæso, isthæc iis minitemini, qui rebus illis ducuntur, quibus à vobis primæ deferuntur, ut, honoribus, divitiis, voluptatibus; mihi si mors accidat, quæ vobis summum omnium malorum videtur esse, læta illi atque gratias agens occurram, quod, ejus opera, levata corporis vinculis, liberum in cælum cursum arripiam. Tanta hæc mulieris in retinenda fide cõstantia, barbaros illos ad ingentem admirationem extulit, atque ipsorum lingua, *Tattzin*, dixerunt, hoc est, mulierem fortem; quam, Sapiens, tanquam raram avem, esse inventu difficilem, ait. Postremo, eo res rediit, ut judex quæstionis abiens, domino domus imperaret, ne abire eam sineret, sed omnibus custodiis subjectam haberet, neve antea quotidiano cibo reficeret, quam ab ipso fieret ejus rei potestas. At ille, nihil, ejus imperata faciens, mulierem, domum suam abire permisit; quo, sudoris plena, pervenit, ex sermonis, cum Iu-

dice & accuſatoribus habiti, contentione, & ex itineris labore contracti ; ex quo, ne cohorreret, multis precibus rogata eſt à familiaribus, ut mundam ſiccamque ſubuculam illa, quam gerebat, ſordida madidaque ex ſudore, mutaret. quod primo recuſavit facere ; ſed ſerio admonita, quid periculi res haberet, ſi ſubito horrore artus rigere cœpiſſent, tandem ſe exorari paſſa eſt. Rem miram ; dum veſtem exuit ; theca, in qua multæ ſanctorum virorum reliquiæ, & in his particula cordis S. Tereſæ, incluſa continebatur, quamque perpetuo ſuo appensã collo geſtabat, conſpecta eſt à mulieribus, quibus ſervandam eam dederat, multis conſperſa ſanguinis guttis. quod primo neglexit, exiſtimans, eas, ex aliquo vulnere, corpori hærente, manaſſe ; ſed, cum poſtea totum corpus diligenter inveſtigaret atque perquireret, neque ullum in eo vulnus deprehenderet cui mederetur, percuſſit illico animum, ac tam eas eſſe Dæmonis technas, ad ſe decipiendam inſtructas, exiſtimavit, quam ſe vivere. qua ſuſpicione vehementer offenſa, accerſiri juſſit Fratres Diſcalceatos, quibus vitæ ſuæ regendæ moderandæque quaſi habenas tradidiſſet. qui, non de nihilo illud eſſe putantes, quod mulier ipſos eſſe conventos expeteret, properarunt progredi ; ac cauſam celeritatis, qua accerſebantur, edocti, ſumunt thecam in manus, aſpiciunt, contemplantur, ac vident, particulæ illi cordis S. Tereſæ ſeptem vulnera ineſſe, quæ ſanguinem mitterent ; &, quamvis eſſent exigua, viſum tamen intuentis admitterent, nec ullum dubitandi vel inficiandi locum relinquerent. quo aſpectu, voluptate illi, quantam animo maximam capere poterant, ſunt affecti. nihil enim aliud cruor ille ſignificare videbatur, niſi, ſanctiſſimam illam Virginem voluiſſe ſuum pro illa ſanguinem fundere. Atque, poſt hanc rem tam novam, tam admirabilem, tam incredibilem, aliquot illi dies contigerunt ab inſidiis & inſectationibus Chriſti hoſtium, vacui. quibus elapſis, die quodam, Ædem Fratrum Diſcalceatorum, quo illa, ut ſacro Miſſæ Sacrificio intereſſet, ſeſe contulerat, magna armatorum manu, illi iidem, qui antea, miniſtri circumdant atque obſident, &, ex Ducis edicto, Fratribus pœnam capitis enunciant,

ant, nisi mulierem statim exhibeant. Illi, pro temporis ratione, capiunt consilium, ut eam furtim in templum Fratrum Augustinianorum traducant, ut, cum ibi totum illum diem delituisset, postea, vesperascente cælo, in quandam sacrarum Deo Virginum Armenarum domum, quæ, ab Vrbe Asporn, mille nec eo amplius passibus abest, immitterent. quod factum ab illis est: eaque, dies aliquot, intra ejus domus claustra se in occulto continuit. Interea ministri, ubi, se duci & à Fratribus haberi ludibrio, vident, neque mulierem tradi, multa in eos maledicta ingerunt, calcibus & pugnis incursant, iisque contusos, ac dedecoris ignominiæque plenos, in Ducis domum attrahunt, & quoddam in stabulum, mox ad supplicium abripiendos, includunt. quod illi supplicium, ingentis cujusdam beneficii loco, numerabant: magna enim eos spes ceperat, fore, ut eo ipso die, Christi in cælum ascensionis memoriæ sacro atque solemni, è corporis custodia emissi, una cum illo evolarent ad superos. Itaque ingens eos alacritas & fiducia incendit, ad mortem pro Christo subeundam. cujus tam insignis iniquitatis nuncius, simul ac mulieris aures tetigit, & quo in loco, fratrum suorum res esset, accepit, magis de illorum periculo quam de sua ipsius salute, solicita, nullum ad celeritatem locum esse relinquendum statuit; ac misit, qui adversariis suis nunciaret, ubi ipsa parvo labore ac nullo errore inveniretur. qui non dimittunt tempus, sed furiis, quibus agitabantur, impulsi, accurrunt, comprehendunt, obtorto collo in jus rapiunt, attrahunt, bacillis, quos in manibus gestabant, verberant, ibique, ubi sacrilegi illi Mahometis ministri aderant, sistunt: in quorum conspectu assistebant etiam Fratres illi male mulcati. qui ministri, magna verborum contumelia, quærunt ex ea, num redire ad officium velit, ac Mahometo, sicut antea fecerat, adhærescere? quod si pertinaciter in sententia maneat, in qua adhuc fuerat, conceptis verbis per Regis salutem vitamque jurant, nunquam ipsam vivam suis è manibus elapsuram. Quæ cum illi maxime loquerentur, Fratres illi, qui aderant, nutu, oculis, voce, mulieri innuebant, ac significabant, ne, terrore mortis, se abripi sineret, neve brevem ac

miſeram vitam æternæ, ac bonis omnibus cumulatæ, præponeret. ſed calcaria currenti addebant, ut dicitur. nam ſumma cum libertate reſpondit, nunquam ſe fore tam ſtultam, ut veram ac germanam Chriſtianorum fidem, pro nefaria illorum ſuperſtitione, deſereret, ut Chriſtum, quem diligeret, pro Mahomete, quem diris omnibus execraretur, omitteret. At illi, exiſtimantes, tantam illi fiduciam atque animos ex Fratrum illorum præſentia & cohortationibus addi, eos inde ejici & in carcerem condi imperarunt; tum mulieri, minaci ſane vultu: Vide, ajunt; aut tibi de pertinacia iſta decedendum eſt, aut, altiſſima de turri dejectæ, ignis ſupplicium ſubeundum. Quibus illa, hilariori, quam antea, vultu: Agite, inquit, ut lubet; mihi certum eſt, mori pro Chriſto. Sed, dum maxime altercantur, ecce nuncius venit à Duce, ut judicio illi diem differrent, verum à muliere caverent, ſe poſtridie ad judicium affuturam. Parent illi; mulier dimittitur. Sed, neſcio quid, accidit, cur cauſa non potuerit agi eo die, in quem fuerat rejecta. Itaque mulieri, tot laboribus ærumniſque defatigatæ, placuit ea ratio, ut tum Reginam tum Ducem per epiſtolam adiret, in qua exponeret, quænam eſſet, unde domo, quibus parentibus orta, ut ſeptuennis, una cum amita, in Regis aulam veniſſet, ut uſque ad decimum quartum annum in ea, regio plane cultu, educata, Rege ita jubente, Comiti Roberto nupſiſſet, ut, inimicorum calumnia, falſo, religionis cauſa, in judicium capitis vocata fuiſſet, & quartum jam menſem iniquiſſimo judicio conflictaretur, neque adhuc aliquis eſſet miſeriarum exitus. itaque demiſſe humiliterque orabat, ut tandem aliquando ejus controverſiæ finis imponeretur; ſe enim eſſe paratam, quodlibet judicium, quamvis iniquiſſimum, ſubire, quodcumque ſupplicium, quamvis atrociſſimum, ferre, quamcumque mortem, quamvis acerbiſſimam, obire; minus enim moleſtam ſibi fore mortem, quæ cuncta mortalium mala diſſolvit, quam mortis dilationem ac moram. His literis lectis, percuſſit illico Ducis animum, Comitis Roberti memoria, quo fuerat uſus familiariſſime, cujuſque nuptias ſua præſentia cohoneſtaverat, ſcripſitque ſtatim judicibus illis,

illis, ut eam è reis eximerent, neque deinceps, ob causam religionis, aliqua molestia afficerent; etenim satis sibi constare, nihil illi unquam cum Mahomete convenisse; statim ut nata esset, Christianam ac Catholicam fidem una cum nutricis lacte suxisse. Ergo, Ducis sententia, absoluta, secum ipsa reputans, quanta esset in barbaris illis, qui negotium ipsi facesserent, iniquitas atque perfidia, statuit, ex Christi sententia, exilium domo illa mutare, atque alias urbes petere. Sed, cum senatum cogitationum suarum advocasset, ut deliberaret, quam nam potissimum urbem caperet, Vrbs illi Roma occurrit, ubi olim, Regis Persarum oratoris uxor, honorificentissime fuisset excepta; eaque in primis placuit; ac Fratribus Discalceatis ad id operam dantibus, mense Septembri anni cIↃ IↃc xxIx, è Persia solvit, ac Constantinopolim delata est. ubi, navium, quibus veheretur, inopia, fuit illi necesse, integrum triennium commorari. sed demum navigandi facultatem adepta, primum in Italiam, postremo Romam, mense Decembri exeunte, die Ioannis Euangelistæ sacro, pervenit.

LXIX. VINCIOLVS VINCIOLVS.

INter eas res, quas, utpote nobilissimas ac præstantissimas, maximis difficultatibus natura munivit ac sepsit, & ad quas perveniendi non facilis cuivis aditus pateat, eam in primis numerandam existimo, quam qui obtineat, Regum ac Principum virorum studium, amorem, benevolentiamque, sibi conciliet, totosque suos efficiat. adeo ut, cum dicit Horatius, principibus placuisse viris, non in minimis neque in postremis laudibus esse ponendum, non satis ille pro rei magnitudine elocutus esse videatur. multo enim melius, & ad rei veritatem aptius, scriptum reliquisset, si illud in primis collocasset, quæ omnium admiratione & laude feruntur in cælum. Neque me præterit, non omnes ad Regum ac principum virorum benevolentiam aditus esse arduos atque difficiles; nam plures ad eam patent, multorumque contritæ itineribus, viæ, quas nimirum Balliones, Phormiones, ac Gnathones aperuerunt, quibusque ad

principum virorum gratiam promerendam itur; videlicet, ſcorta illis adducendo, vel, cauſa veſcendi, exquiſitas terra marique epulas afferendo, ac nova condimenta, quibus condiant, inveniendo; vel animum inducendo, omnia illis aſſentari, &, quemadmodum ait ille apud Terentium, quidquid illi affirmaverint, affirmare, & id rurſus, ſi negaverint, negare. Verum, quia iſti eorum, quos ſe ſimulant diligere, cupiditatibus tantum ſerviunt, famam autem & exiſtimationem perditum eunt, non vera ſed falſa ad illorum amorem ac benevolentiam via graſſantur. itaque, quidquid illud eſt, quod in eorum amicitia ſunt adepti, non poteſt eſſe diuturnum; immo, cum maxime illorum amoris culmen tenere ſe putant, præcipiti ab eodem ruina devolvuntur. nulla enim eſt capitalior amicitiæ peſtis, quam voluptas. atque, ſi velimus replicare memoriam temporum, inveniemus, eos omnes, qui, his artibus, Regum & Imperatorum animos, nempe voluptatum illecebris, tanquam hamo piſces, eſſent conati decipere, cum primo id illis artificium viſum eſſet in bonum exiſſe, demum omnes, fœdos atque infelices exitus habuiſſe. ille ſtabilis ac firmus eſt amor, qui virtutis radicibus nititur atque fundatur; illa vera eſt benevolentia, quam nulla nobis intercipere calamitas poſſit, quam optimarum voluntatum ſtudiorumque ſimilitudo conjunxit. Cujuſmodi ille amor fuit, qui Vinciolum Vinciolum Clementi VIII, optimo ſanctiſſimoque Pontifici, perpetuo & indiſſolubili nexu devinxit. Fuit ille Peruſii, nobili inter ſuos loco, natus; atque cum ceteris naturæ bonis præcipuam habuit laudem ampliſſimæ pulcherrimæque corporis formæ; quam etiam gratiorem reddebant ſuaviſſimi mores, ingenua indoles, atque admirabilis ad res omnes venuſtas ac lepos; quibus rebus aſſequebatur, ut longe omnium auli-corum cariſſimus eſſet Clementi VIII. neque, negotii odium cum illum ceperat, quemquam libentius advocabat, cui res ſuas rerumque ſuarum conſilia impertiret, quam illum, vel, ut Ennius inquit apud Aulum Gellium,

Cui res audacter magnas parvaſque, jocumque,
Eloqueret, quæ tincta malis, ſeu quæ bona dictu,
Evomeret, ſi quid vellet, tutoque locaret;

neque

neque majus loquendi, quæ vellet, libertatis jus alteri tribuebat, quam illi. quod jus, quæ erat hominis dexteritas atque prudentia, ita usurpabat, ut, quæ loqui quæque tacere ipsum oporteret, optime nosset. non enim linguæ frena laxabat, sed eam intra parsimoniam opportunitatemque loquendi cohibebat, neque longius progredi sinebat, quam suæ conditionis modulus, ejusque, quicum illi erat sermo, tanto intervallo, fortuna ac dignitate superioris, majestas pateretur; demum, ut idem ait Ennius,

Scitusque, beatus, secunda loquens in
Tempore,

& verborum vir paucorum; nisi si quando illius jussio imperiumque pluribus eum verbis cogeret uti. quod tum plerunque fiebat, cum sapiens ille Pontifex, ad minuendas molestias, quibus referta est principum virorum vita, vel ad expuendam quampiam ex animo miseriam, ab ejus sermonis suavitate auxilium expeteret. quid mirum est igitur, si iis, quæ diximus, officiorum, inferioris erga superiorem amici, quasi præceptis obtemperans, nunquam de eo, in quem ascenderat, amoris gratiæque loco deciderit, sed in eodem perpetuo, usque ad Pontificis illius exitum vitæ, permanserit? Atque idemmet Vinciolus narrare solitus erat, eatenus Clementem, suam erga ipsum benevolentiam declarasse, ut ultro sit pollicitus, se in Cardinalium Comitiis rationem illius esse habiturum, ipsique amplissimum illum honorem ac muneris dignitatem delaturum. addebatque, Pontificem in eo, quod promiserat, permansurum fuisse, nisi Petrus Cardinalis Aldobrandinus, illius erga ipsum benevolentiæ cursum inhibuisset, & ad alterum, cujus fautor in primis erat, contorsisset. nam Cardinalis ille, qui ceteris potentia anteire, & futuri Pontificis electionem in sua potestate habere studebat, quo eam potentiam stabiliret atque fundaret, ex sua, quam ex Pontificis familia, Cardinales creari malebat. ita enim eos sibi magis obnoxios fore existimabat, si tantum in se beneficium, ipsi potius quam Pontifici, retulissent acceptum. Itaque Erminium Valentem, qui erat ipsi, ni fallor, à secretis, Vinciolo anteferendum curavit. qui

Vinciolus, non ſolum Pontificis, ſed aulæ etiam, atque adeo populi totius, propenſa in ſe ſtudia ac voluntates habebat. nam memini, comitiis Cardinalium quibuſdam à Clemente habitis, cum quidam, minus ad id munus apti, cooptati in illud Collegium eſſe viderentur, palam homines, Vinciolo factam injuriam, queri, quod fuiſſet prætermiſſus, iiſque poſthabitus, qui nullum fere ampliſſimo illi ordini ſplendorem ac decus, ſicut ipſe facere potuiſſet, afferrent. Multæ erant in eo literæ, magna antiquitatis atque hiſtoriarum omnis ætatis notitia, juris civilis intelligentia, linguarum, Etruſcæ præſertim, cognitio, in qua optimos verſus faciebat, & multa etiam præclara carmina edidit. Denique, omnis ejus ambitionis labor, omnes ſpes aulæ, omnes conatus, huc denique reciderunt, ut, Clemente mortuo, Peruſium, corpus annis infirmum referret, unde ætate validum Romam detulerat, poſtremo ibidem illud, ab anima relictum, matris noſtræ, hoc eſt, terræ, unde originem ducimus, gremio comprehendendum & in pulverem reducendum permitteret.

LXX. PETRVS MAGNVS.

PRæclarum ac felix in excogitando inveniendoque ingenium, promta in iis, quæ à magiſtris traduntur, accipiendis alacritas atque celeritas, ſingularis, & cujuſmodi in Themiſtocle fuiſſe narratur, in omnibus, quæ legeris quæque audieris, retinendis cuſtodiendiſque memoria, in admirabilibus & in primis expetendis rebus jure ponuntur. ſed niſi præſto ſit ratio atque judicium, quod, quemadmodum iis oporteat uti, præſcribat, parum eos, à quibus poſſidentur, vel nihil propemodum adjuvant; perinde ut eum, cui ſit ampla ac pretioſa ſupellex, veſte, tabulis, ſignis, auro, argento, atque omnibus magnificis rebus inſtructa atque referta, ſed cum ita illis utendum, cum ædes exornandæ, nullus modus ac ratio ab eo adhibeatur, nihil eorum ſuo loco collocetur, ſed diſſipate atque confuſe omnia conſtituantur, ut ubi, verbi gratia, tabulæ ſint præfigendæ, ibi ſigna ſuſpendantur, ſerica veſti, Attalica periſtromata, multo

auro

auro argentoque distincta, quibus parietes collucere deberent, humi sternantur, præterea, superflua ac non necessaria multa, vel plura relinquendis, tollenda, temere cogantur ac coacerventur; nam si quis in eam domum veniat, dominum quidem esse divitem fateatur, sed ignarum, quisnam esset rerum & ornamentorum, quibus polleret, usus, ac propterea, qui illorum potiretur, indignum. Possumus etiam eum, qui, cum magnam rerum atque verborum copiam, tanquam uno in loco, constructam habeat, nec valeat ex iis, cum est opus, tantum assumere, quantum sit necesse ad orationem vel carmen efficiendum, quod doctis hominibus atque prudentibus, quasi epulas, anteponat, sed omnia confusa ac perturbata afferat, tanta insolentia ac turba verborum, nihil ut sit primum, nihil ut postremum; possumus, inquam, eum esse illius similem dicere, qui domi suæ penum habeat, omnibus rebus ornatum, quæ ad corporis victum fulturamque conducant, ut larido, pernis, summine, salsis muriaticis, ovis, caseo, oleis, allio, cœpis, saccaro, melle, aliisque, quæ in penum eorum conveniunt qui beati putantur: verum, cum prandium vel cœna sit cuipiam danda, non eo sit judicio præditus, ut tantum ex eo penu promat, quantum neque desit neque supersit, vel ut ex iis obsonia componat, quæ naturam & conditionem habent, ut possint simul apte eleganterque componi, sed inepte, & ad stomachum movendum idonee, laridum saccaro, salsa muriatica melle, atque ovis caseum, allia vel cœpas, confusas atque permistas, in mensam apportet. nam, quid aliud hoc convivio assequetur, nisi, ut non minus ab eo is, qui futurus fuerat conviva, refugiat, quam olim sol, solitum, ab Atrei cœna, cursum, ne tantum facinus cerneret, revocasse narratur. Omnino judicii magna vis est, superbissimumque fastidium. quid enim est, quod acerrimo vir judicio, minus velit audire vel legere, quam claudicantem ineptiis orationem vel carmen? Traditum literis, legimus, Hortensio dicente, oratore quidem, vulgi judicio, omnium maximo, cui dulces magis venustæque sententiæ quam interdum utiles necessariæque, clamores admirationesque faciebant; Philippum, magnum & ipsum oratorem,

rem, ſed gravem & à deliciis illis, in quibus Hortenſius excellebat, abhorrentem, ſolitum eſſe non ſolum cachinnos extollere, verum etiam ſtomacho & iracundia vehementer efferri. Sed quorſum hæc ſpectat, tam alte repetita, oratio? eo nimirum, ut laus illa optimi acerrimique judicii, in qua Petrus Magnus fuit excellens, quanta ſit, intelligatur. qua laude omnibus ſuæ ætatis oratoribus ac poëtis anteiſſe mihi videtur. nihil in ejus ſcriptis ineptum, nihil inſulſum, nihil puerile, nihil quod jure ob has cauſas reprehendere poſſis, invenias; in orationibus præſertim, ubi in primis judicii lex vælet, in quibus ea tantum atque in opportunis illarum partibus collocata cernuntur, quæ proficere ac valere plurimum poſſint, reliqua, in quibus minus firmitatis ſit atque præſidii, repudiata atque rejecta. In verſibus autem qui cultus, qui candor, quæ ſuavitas, quæ amœnitas ineſt! ita ſunt nitidi, puri, atque perſpicui, ut nihil humile, nihil vulgare, nihil obſcurum, nihil abjectum, præ ſe ferant; ita alti, exaggerati, ſublimes, ut nihil turbidum, nihil tumidum inflatumque contineant; ut, qui eos legant, ſatis mirari non poſſint: ut olim contigit mihi, cum primum Balneariam veni. nam, cum in porticu amœniſſima earum ædium, quæ, hortis illis proximæ, quondam à Card. Gambara, regali magnificentia, ædificatæ viſuntur, conſediſſem, cœpi me hac illac convertere, ac perluſtrare oculis villas ſummorum virorum atque omni dignitate principum, ibidem pictas, nempe Tiburtinas Eſtenſium, &, quæ in Cimini monte renidet, Farneſiorum, ac Balnearienſes, ubi tum aderam; quarum ſingulis ſui erant verſus ſubjecti, quibus earum amœnitas amplitudoque commendabatur. cum igitur hos primum legerem verſus, qui Tiburtinæ villæ commendationem habent,

Tybur, & Albuneæ nemus, & vernantia rivis
Compita, & effoſſo quæ fluis unda lacu,
Regis opus, regumque animos æquantis & auſa,
Hippolyti, veterum deliciæque Ducum;

incredibili admiratione affectus conſtiti; tum reliquos ſum perſecutus. quibus perlectis, adeo obſtupui, adeo, eos ſæpius legendo, expleri ſatiarique non potui, ut etiam

etiam ediſcerem, atque incredibili cupiditate arderem, ejus ut nomen agnoſcerem, unde tam liquida, tam dulcis, tam profluens vena manaret. ac ſtatim omnium mihi veniebat in mentem, qui tum, cum ædes illæ excitabantur, præ ceteris, ingenii & eruditionis fama valebant: ac præſertim ſubibat animum Muretus; ſed qui ejus omnem ſcribendi rationem pulcre noſſem, ſtatim judicium meum contemſi: ſed affuit, qui fecit me ejus rei certum, cujus eram cognoſcendæ in primis cupidus; nempe, ejus auctorem carminis eſſe Petrum Magnum. tum omnis mihi admiratio conſtitit; erat enim nota hominis virtus; non enim eſſe mirum, ſi nihil tali ab ingenio prodierit, niſi ab omni parte abſolutum atque perfectum. Scripſit Odas, tanta elegantia, ut Ioſepho Caſtalioni, viro eruditiſſimo, dignæ ſint viſæ, quas ſuis notis ac commentariis ornaret. ſcripſit etiam doctiſſime de rebus graviſſimis, & in primis de Conſilio; quo libro nihil, ne excogitari quidem poteſt, neque elegantius neque perfectius. Vixit primum in aula Cardinalis Gambaræ. quo extincto, cupidiſſime exceptus eſt ab Alexandro Card. Farneſio, cujus domus erat literatorum omnium perfugium; quem etiam mortuum, in Æde Soc. nominis Ieſu, elegantiſſima & nunquam interitura laudavit oratione.

LXXI. PROSPER PODIANVS.

TAm multæ ſunt res, tam variæ tamque inter ſe diſſimiles, quibus univerſus hic naturæ ordo conflatur atque componitur, ut, ſi quis eas enumerando perſequi velit, nullum fere ſit exitum inventurus. neque tamen eſt earum aliqua, ſive adeo præſtans ac nobilis, ſive adeo humilis ac ſordida, quin magnam ad eam, hominum generi, vel natura vel Deus propenſionem ac voluntatem indiderit. itaque, in tanta ſtudiorum varietate & copia, alium alia in re elaborare ac niti videmus. ille, in rerum naturalium cauſis perveſtigandis, atque in ſubtiliter differendi ratione perdiſcenda, verſatur; ille, in artium elegantiſſimarum, eloquentiæ nimirum ac poëſis ſtudiis, toto pectore animoque incumbit; ille, medendi

dendi artificio captus, quemadmodum morbis aut vulneribus medeatur, ex medicinæ fontibus haurit; ille, armorum militiæque magis quam pacis otiique cupidus, quam minimo ſtipendio ſanguinem vitamque ſuam divendit, pro qua retinenda ceteri opes, quas habent, divitiaſque profundunt: atque, ut ad leviores artes veniam, ille pingendi, ille fingendi ſtudio delectatur ac ducitur; ille, ut eas, novarum ædium exſtructionibus, formas inveniat, ad quarum illæ præſcriptum paratæ expolitæque, in uſu ſint dominis, & populo in ſpeciem exiſtant, operæ non parcit ſuæ. mitto ea, quæ partim infamia partim humilia atque ab honeſtate remota ponuntur, quæ plures, quam opus ſit Reipub. detinent. quam multi ſunt, qui pecuniæ cupiditate, æſtuante ac ſæviente mari, fragili parvoque navigio ſe fluctibus tempeſtatibuſque committunt! quam multi, qui hyeme ſumma, imbribus maximis, per ſaxa & ſalebras, nocturno itinere non intermiſſo, multorum dierum viam excurrunt, ut ad gentes, in extremis atque ultimis terris poſitas, amicorum aliorumque literas ferant! longum eſt, ſigillatim omnia referre, ad quæ ſinguli, ex ſua quiſque libidine, incitato ſtudio rapiuntur; quæ D. Auguſtinus in ſuis de Civitate Dei libris, ad mundi totius ornatum, vel potius ad ejuſdem abſolutionem perfectionemque, pertinere demonſtrat. At Proſper Podianus Peruſinus animum ad nullam earum, quas diximus, rerum adjunxit, ſed ab ineunte fere ætate, in eo, omni fuit ſtudio & cogitatione intentus, ut eorum, qui opus aliquod edidiſſent, cujuſvis illi eſſent profeſſionis, nomina, libros, eorumque pretia, noſſet, meminiſſet, atque coëmeret. itaque totos dies aliud agebat nihil, niſi ut bibliopolarum tabernas & fora, ubi venales libri proſtarent, obiret, libros, quibus careret, eligeret, atque à venditoribus percontaretur, ut, quantum pro unoquoque dandum eſſet, indicarent, ac facerent pretium. ac ſæpenumero, qua erat in hoc genere mercimonii ſagacitate, libros cariſſimos ac pretioſiſſimos, ab iis qui illorum æſtimationem non noſſent, quam minimo pretio auferebat; nec imitabatur Iuvenalem Ancinam ex Cong. Oratorii, qui poſtea Saluciarum Epiſcopus fuit, & iiſ-

& iiſdem quibus ille temporibus vixit. huic, cum bibliopola quidam imperitus, ex iis qui, in foris, librorum acervos venales ſine ullo delectu habent humi projectos, librum rariſſimum, cui, ob ejus raritatem, vix ullum ſatis dignum conſtitui pretium poſſet, denario addiceret, non æquum viſum eſt, ſuam cuipiam inſcitiam fraudi eſſe. atque: Sanuſne, inquit, es, ut libri, qui ne aureo quidem nummo carus eſſet, pretium, tua æſtimatione, ad denarium redigas? Ac continuo nummum illi aureum exhibuit. Verum, cum Proſper, quidquid haberet nummorum, in libris collocaret, fiebat, ut domi non eſſet quod ederet: ac facile ipſe pane vitam oblectaſſet ſuam; ſed uxori, mulieri indomitæ ac feroci, alia mens erat atque ſententia; ideo, tum mane tum veſperi, paratæ erant homini ab ea lites & jurgia. ſed cum ea clamoribus illis ac maledictis nihilo plus ageret, quam ſi daret operam ut in cribrum aquam inferret, ſtatuit voci parcere, atque alia ratione gutturi ſuo proſpicere; atque identidem unum vel alterum, ex bibliotheca viri, librum ereptum, coquo, piſtori, cauponi, vel lanio cuipiam, pro obſonio quod emerat, pignori objiciebat; quem ille deinde cogebatur, vellet nollet, redimere. Veſtibus utebatur obſoletis, attritis, neque ad corpus aptis, ab Hebræis ſibi divenditis, & quarum uſus apud ſeculum prius vigebat, præſens reſpuebat. ideo ſagis nigris purpureas vel cœruleas manicas habebat adjunctas; pallium, collo alligatum, in ſcapulas totum rejecerat. nunquam fere habuit neceſſe, dum Romæ fuit, domum, habitandi cauſa, mercede conducere; nam ſemper illi ſummorum virorum, qui bibliothecæ ipſius inhiabant, ædes patuerunt. Sed decreverat, ab Vrbe una cum uxore diſcedere, ac Peruſium ire: atque audit, Iuriſconſultum eſſe quendam, amicum & popularem ſuum, qui profectionem eodem adornaret; hominem adit, orat, ut ſe ipſi patiatur itineris comitem adjungere. annuit ille; atque inter eos convenit de die & hora, qua ſe eſſent viæ daturi. Iuriſconſultus, ad præſcriptum tempus, domum ad Proſperum venit; ac primo nullum, ante oſtium, equum, nullam lecticam, quæ illum excipiat, videt; ſcalas conſcendit, nullum item profectionis

ſignum

ſignum animadvertit ; proſequitur , atque eum , non ocreatum, non viatoria ornatum veſte, ſed crepidatum, & urbano , ut ſolitus erat , ornatu indutum , otioſe ad ignem ſedentem offendit : tum admirans : Quidnam agis ? inquit ; quid iſtuc ornati eſt ? eſne iturus, an non ? Cui ille : Quid ni ? ſed paululum , obſecro , antecede , meque ad portam Flaminiam expecta; nam mox adero, neque tibi ero in mora. ille, ſe ab eo illudi, exiſtimavit ; ſed tamen paruit, obtemperavit, abit. at vix inde diſceſſerat , cum adeſt mulio cum mulo , magnas utrinque duas ciſtas habente, in quarum ille unam, Proſperi uxorem , in alteram Proſperum ipſum , impoſuit , & ſupra arcuatæ cratis ligneæ convexum , ciſtis imminentem , linteum, ne aſpicerentur, impoſuit , atque ita tectos, ad portam Flaminiam adduxit. quo cum jam perveniſſent, Proſper , elato paululum linteo , Iuriſconſultum expectantem aſpicit , advocat , atque : En tibi , præſto ſum, ait ; quid eſt moræ in nobis, quin ſtrenue iter aggrediamur ? at Iuriſconſultus , ridens : Tuus iſte mulus nimis tarde gradum movet , & ego propero ; proinde abeo ; tu ocioſe ac placide iter, quod cepiſti, proſequere. Abi, Proſper ait, cum omnibus diis ; ſed oro te, ut, quod vidiſti, tacitum tecum habeas; ac præſertim, ſi in Gymnaſium veneris, ne diſcipulis tale quidquam enuncies ; volo enim, celatum omnibus meum illuc eſſe adventum ; ita mihi opus eſt facto. Promiſit ille , & , calcaribus equo admotis, ſe illius ex oculis cum riſu proripuit. cumque perveniſſet Peruſium , nihil ab eo factum eſt prius , quam ut omnia de mulo , de ciſtis , quibus ille ejuſque uxor vehebantur , de linteo quo obtegebantur , divulgaret, ac diſcipulorum in primis turbæ , id quod minus ille volebat , exponeret. Nihil poteſt adoleſcentibus , qui Gymnaſia, ſtudiorum cauſa , frequentant , accidere jucundius, quam ridiculum ſibi aliquem hominem dari, quem ludos faciant ; ideo nihil illis longius videbatur , quam , dum comicum illum ſenem , muli humeris vectum in ciſta , riderent. itaque mittunt ad portam urbis , qui , ſimul ac ciſtiferum aliquem mulum conſpiciant , id curriculo ad ipſos referant. Nec diu fuit expectandum, etenim non ita multo poſt accurrunt , ac nun-

nunciant, non procul eum abesse. illi continuo, facto agmine, universi se extra portam ejiciunt, advolant, mulum sistunt, linteum allevant, & Prosperum in culcita fusum inveniunt, salutant, advenisse salvum gaudent, ad cœnam invitant. ille miser, deprehensus, ac pudore omnium maximo oppressus, non habebat aliud quod diceret, nisi, se tum primum in itineribus hoc vehiculi genere usum esse, antea non item. atque ad uxorem conversus, pauloque commotus: En, inquit, pessima; quonam tua causa redactus sim, vide; hæc, tundendo atque odio, denique effecit, ut ad has ineptias humilitatemque descenderem. Sed discipuli, omnes læti, medium illum excipiunt, tanquam stipatorum cateruæ circumstant, faustis acclamationibus in urbem introducunt, & domum usque perducunt. At libris, quotidie emendis, ea illorum multitudine bibliothecam suam refersérat, cujus vix numerum quisquam posset inire, aut voluminum, quæ in ea continerentur, indices. tota sua prope dixerim vita perlegere. quamobrem fiebat, ut ea multorum, qui ejus essent cupidi, studia commoveret. itaque blanditiis, ac donis fortasse, inter se certabant, quisnam præsenti donatione vel saltem testamento eam ab illo auferret, ac tanti fieret muneris compos. sed unus tandem vicit, eaque tam insignem bibliothecam donatione obtinuit, quæ revocari pœnitentia non posset; ea tamen conditione, ut ea apud donatorem, quo ad ipse viveret, maneret, qui ea suum ad arbitrium uteretur frueretur, ipso vero mortuo coloniam mutaret, & in ejus domum, cui ea fuerat dono data, transiret. Sed postea, sive facti oblitus, sive ut plures à pluribus gratias iniret, iisdem conditionibus, eadem Patres religiosæ cujusdam familiæ, donavit; qui statim rem totam tabulæ marmoreæ incidendam curarunt, quæ esset & donatoris beneficentiæ & grati ipsorum erga eundem animi monumentum. Moritur Prosper; eunt illi, ut, quod aucupati fuerant, arriperent: sed inveniunt aucupem alterum, qui ante ipsos concinnaverat aram, offuderat cibum, illud præripuisse; itaque abeuntes, nihil domum referunt, nisi plorare; ac statim omnes è tabula marmorea, quam illi locaverant, literas detrahendas

curant, quibus hominis in ipſos liberalitas miris in cælum laudibus efferebatur, præter tres illas primas literas, quæ omnibus fere elogiis & inſcriptionibus, præfigi ſolitæ ſunt, D. O. M. quæ res, facetorum hominum urbanitati, cavillandi materiam maxime præbuit; cum, pro ſuo quiſque ingenio, varias illi interpretationes conaretur afferre, & omnes ridiculas; ſed unus præter ceteros facetiſſime, mea quidem ſententia, dixit, tabulam illam inanem ac vacuam, ejus implendam laudibus eſſe relictam, cujus majus aliquod liberalitatis meritum in ipſos extaret, & ideo tres illas literas, ibi relictas, D. O. M. nihil aliud ſignificare, niſi, Daturis Opes Majores, tabulam illam eſſe dedicandam.

LXXII. CÆSAR CAPORALIS.

QVam miſera & infelix ſit aulicorum conditio, clarius eſt, quam ut explicari oratione cujuſpiam poſſit. etenim quos, Romæ præſertim, in aulis virorum principum, opum, honorum, divitiarumque ſpes alit, niſi eorum domini ad ſummum dignitatis faſtigium evadant, dum, quo illis magis ſint decori ornamentoque, liberalius veſtitui, ventri, aliiſque extraordinariis ſumtibus, quam res ipſorum ferat, indulgent, evertunt ſe fundis, familiis, & ad incitas, ut inquit Plautus, adigunt. quamobrem, exacta jam ætate, infirma valetudine, in pannis & inopia, coguntur, vel domi ſtramentitia in culcita (atque, ea ſi ſit, magnas habent omnibus divis gratias,) vel aliquo in noſocomio diem ſupremum obire. quibus incommodis, ſuperioribus annis, conati ſunt quidam aliqua ex parte mederi, ac ſodalitium, Congregationis Vrbanæ nomine, Vrbano VIII Pont. max. inſtituerunt, cujus opera ſenes, emeritis aulæ ſtipendiis, recto exciperentur. ſed quoniam major eſt illorum neceſſitas, quam ut illi ſuccurri ſolo hoſpitio poſſit, Sodalitium illud eſt jam penè dilapſum. Cum aliis etiam pluribus miſeriis, dum habet eos aula, conflictantur, quas omnes eloquentiſſimo facetiſſimoque carmine perſequitur execraturque Cæſar Caporalis, Peruſinus, de quo referre inſtituimus. quod carmen, ſimul ac emiſſum eſt, argu-

argumenti novitate, adeo omnium fere hominum in se ſtudia commovit, ut nulla eſſet domus paulo locupletior, in qua unum vel alterum illius exemplum non inveniretur, ubi non legeretur, ac, legentibus, clamores admirationeſque non faceret. quid multa? tantam habuit commendationem, ut celebre illius nomen efficeret, adeo ut nihil ferme tota eſſet Italia illuſtrius. & ſane, ut mihi videtur, ſententiarum venuſtate, ac ſale facetiiſque, omnes ſuperiores vicit, qui in eodem ridiculi facetique carminis genere ſunt verſati; ut, Franciſcum Bernam, carminis illius auctorem, ut ajunt; Franciſcum Mariam Molſam, alioſque. Quod carmen, cum inter cetera aulæ vitia referret quamdam nimis parcam, in omni victu, tenuitatem ac parſimoniam, qua aulici à domorum præfectis haberentur, factum eſt, ut, eo lecto, induxerint animum, domini, cœnationes claudere, prandiorum cœnarumque uſum penitus abolere, ac menſtruas pro illis pecunias ſubſtituere, ut tantum ſingulis quiſque menſibus acciperet, quantum eſſet illi in eum menſem ad ſe non illiberaliter alendum ſatis. quo facto, ſublatæ ſunt infinitæ illæ aulicorum querimoniæ, & in domorum præfectos odia, quorum culpa, minus ſe delicate ac laute, immo nimis parce ac tenuiter, tractari, querebantur. Scripſit alia etiam poëmata, ut, Mæcenatis vitam, decem in partes diſtributam; cui, cum eſt edita, extrema nondum manus acceſſerat; quoniam celerius illum, quam putaverat, vita defecerat; quamvis vixit uſque ad extremam ſenectutem: tum Mæcenatis ejuſdem exequias, & Hortos, deinde ſuum, ad Parnaſſi verticem montis, iter, & epiſtolam, qua, in eodem monte acta, ad nos perferuntur; poſtremo poëmation quod Pædagogus inſcribitur. quæ carmina, ſunt quidem lepide arguteque conſcripta, ſed nihil ad ſuperius illud de aula, quod diximus. in quo carmine ita graphice ſe ſuoſque mores & vitam effingit, ut ſupervacaneus noſter in ea exprimenda futurus ſit labor atque conatus. quare ſtudioſos Caporalis, ad illud carmen, quod omnium manibus teritur, delegamus. Fuit, in omni vita, elegans, facetus, feſtivus, jucundus, amicis in primis, quibus ſuos jocos facetiaſque præbebat

cum multa hilaritate, magnaque cum festivitate. Latuit perpetuo in fide amicitiaque Ascanii Marchionis Corniæ, à quo etiam, mortuus, honorifica affectus est sepultura in suo Castilioni oppido; quod illius patrocinium, Cæsar, tanquam hæreditario quodam jure, transmisit ad filium. etenim ille, mortuo patre, Mæcenatis vitam, quasi patrono debitam, Marchioni dicavit. Cardinalis ille, in cujus aulam Caporalis perveniſſe se dicit, eaque in ipsa passum, quæ in suo de aula carmine lepidissime festivissimeque commemorat, fuisse ajunt Cardinalem Carpensem; & pars illius ædium, in urbis Leoninæ via, quæ, quia postrema, ab arce S. Angeli ad ædes Vaticanas directa atque munita est, Suburbium novum appellatur, etiam nunc integra manet, ubi cubiculum etiam illud extare narratur, latrinis proximum, in quod idem Caporalis memorat se fuisse conjectum. Totum fere illud tempus, quod ab aulæ occupationibus & ab ambitionis labore liberum habuit, Perusii, vel in proximis illi villis, una cum mansuetioribus Musis, à quibus nulla unquam fuit senectute sejunctus, in summo otio ac tranquillitate traduxit; ac demum sua in patria, vel potius in proximo illi oppido Castilione, quoniam ibi filius fuisse humatum scribit, extremum vitæ diem morte confecit.

LXXIII. SYLVESTER PETRASANCTA.

MVltos sæpe viros, ingenii, doctrinæ, & eruditionis fama clarissimos, mortuos flevi: sed nullius, quod meminerim, mortem uberioribus prosequutus sum lacrimis, quam Sylvestri Petrasanctæ; viri, omnium virtutum laude celeberrimi notissimique. Et sane multæ me causæ cogebant, cur, talis viri interitu, dolore, quantum maximum animo capere possem, afficerer. primum, amicitia, quæ mihi cum illo intercedebat, annis ab hinc ferme triginta inchoata, quam, non spes aliqua utilitatis, non inconsultus quidam animi impetus, sed virtutis species, sed ratio consiliumque, conciliaverat; quo tempore nimirum in Gymnasio Romano Soc. Iesu, juventutem iis artibus, quibus adolescentium

animi

animi informari ad humanitatem solent, erudiebat. etenim elegantissima Elegia, acerbum & immaturum Francisci Petrasanctæ fratris sui obitum, deflentem illum audivi: qui frater, ipse quoque clarus ingenio, Roberto Card. Vbaldino, acerrimo ingeniorum æstimatori, in legatione Bononiensi, fuerat ad manum, scribæ loco. quid mirum est igitur, si talis inter nos amicitia, religiosa quadam virtutis necessitudine, imbuta, firmissima usque ad exitum vitæ duraverit? Deinde acerbum mihi dolorem inurebat recordatio beneficiorum officiorumque, quibus ab eo sæpe fueram ornatus. nam libros aliquot carissimos, sponte, nec à me oratus, dono dederat; in his P. Edmundi Campiani opuscula, quorum eram cupientissimus, summa ejus cura ac diligentia Antuerpiæ quam nitidissime elegantissimeque impressa. cumque, ab hinc decennium, gravissimo periculosoque, quo penè sublatus sum, morbo implicitus, lecto tenerer, me sæpius invisens, suavissimis sapientissimisque sermonibus suis, quibus omnium ad se animos alliciebat, non solum est cohortatus, ne morbi magnitudine deterrerer, neve animum desponderem, verum etiam theriaca præstantissima, aliisque medicamentis, ex præcipiti est conatus eripere. Quid illud beneficium, quanti æstimandum est, quod in me est ab eo collatum! nam, cum anno cIↃ IↃ c x L, qui erat, ab instituta Societate, centesimus, quasi ludi quidam seculares, dandum à nobis esset drama in honorem S. Ignatii, qui Societatem illam fundaverat, in maximam difficultatem adducta res est, quod, neque choragus esset aliquis, unde instrumentum scenicum conduci posset, neque vir ille princeps, qui omne ex sua supellectile se esse exhibiturum spoponderat, dare quidquam amplius vellet; à priori voluntate, cujusdam opera consilioq; deterritus, qui multum apud ipsum poterat, quemque nominari non est necesse. In tantis igitur rerum angustiis P. Sylvester multas egregiorum ornamentorum, quibus ille etiam invideret qui sua commodare denegaverat, arcas, ex Collegio, cui ipse præerat, Lauretano, avehendas exportandasque curavit. Postremo, ne longum faciam, perpetuo atque inexplicabili amoris vinculo me sibi devinxit anno

cIↃ IↃCXLVI, quando patres Soc. Ieſu, centum & eo amplius numero, ex toto orbe terrarum ſelecti, Romam ad comitia Præpoſiti generalis convenerant. nam, cum illi ſacellum Deiparæ Virginis Aſſumptæ in Domo ſuæ Soc. profeſſa, beneficii gratiæque cauſa, inviſuri eſſent, ſimulque ut leges & inſtituta cognoſcerent, quibus ejus Sodalitatis adminiſtratio contineretur; P. Sylveſter, qui Sodalitati eidem præerat, ex omnibus Sodalibus me unum elegit, qui, perpetua oratione, de eo cujus præſertim cauſa venerant, illis facerem ſatis: quo facto, ampliſſimam mihi honeſtiſſimamque ingenii eloquentiæque, ſi quid horum in me eſt, oſtendendæ declarandæque facultatem & materiam dedit; ſecundo prorſus eventu: nam, magnam à Patribus illis, omnium graviſſimis ſapientiſſimiſque gratiam, inivi, qui partim mihi coram, partim per literas, verſibus in meam laudem ſcriptis, gratias egerunt. Neque, his finibus, P. Sylveſtri in me beneficium ſeſe continuit, ſed progreſſum eſt longius: ſiquidem orationem illam, à me habitam, illico, ſine ullo meo labore ſumtuque, Patribus vehementer poſtulantibus, imprimendam edendamque curavit. Atque hæ privatæ ſunt cauſæ, quæ me ad lugendum ac dolendum impellunt. Sed aliæ ſunt publicæ, quæ magis commovere me debeant. nam, in damnis detrimentiſque ponderandis æſtimandiſque, gravior eſſe apud nos debet communis ratio quam propria, publica quam privata. Etenim, eo ſublato, incredibilis quædam eſt, ac prope divina, Latine loquendi ſcribendique vis ſimul extincta; qua non ſolum ſibi, illuſtriſſimæque familiæ ſuæ, ornamento ac decori, verum etiam Eccleſiæ Catholicæ, ad cujus eam utilitatem uſumque referebat, ſplendori ac commodo eſſet. ita enim, quæ cogitaverat, pura, nitida, mollis, ac pellucens veſtiebat oratio, ut, ſi cogitata illa per ſeſe, ſine aliqua orationis ope, ſuam ſententiam potuiſſent exponere, non profluentius, non liquidius, in hominum animos influxiſſent. Nihil erat tam tenerum, quam illius comprehenſio verborum; nihil tam flexibile, nihil, quod magis ſuo ex arbitrio fingeretur, quam illius erat oratio. atque hæc tam aperte, tam pure, tam dilucide, animi ſui ſenſa explicandi ratio

atque

atque facultas, Patrum Societatis Ieſu, quibus ab ineunte ætate erudiendum ſe dederat, & Famiani in primis Stradæ, oratoris ſummi & magiſtri ſingularis, præceptis inſtitutiſque formata eſt. etenim vir hic longe præſtantiſſimus, Belgicæ hiſtoriæ, quam ſcripſit, laude clariſſimus, ut in ejus ſcriptis apparet, nihil tam propoſitum habere videtur, quam ut bonis, lectis, & illuſtribus verbis utatur, eaque ita componat ac ſtruat, ut neve aſper illorum concurſus neve hiulcus ſit, ut lucem rebus, non tenebras, afferat; denique, totus in eo eſt, ut plane dicat, quod intelligatur: quod, mea quidem ſententia, poni in ſummis orationis laudibus debet. Sed, ut ad propoſitum redeam, hanc Sylveſter Petraſancta, pure, perſpicue, Latine, diligenterque ſcribendi loquendique facultatem ita habebat in poteſtate, ut, ſi quando opus eſſet, ſumto paucarum horarum, ad ſe comparandum, ſpacio, longam, diſertam, copioſam, & in qua omnes admirarentur, orationem haberet. Atque, tam admirabilis ingenii virtutiſque ſuæ declarandæ, tum alias ſæpe, tum bis Romæ illuſtrem nactus eſt occaſionem: primum, in Collegio Germanico, ubi, aliquot annos, adoleſcentium illorum præfuit ſtudiis. nam, rogatus ab Abbate Bonſio, ut Card. Bonſii, patrui ſui, nuper mortui, in Æde S. Ludovici, nationis Gallicanæ, funebrem laudationem haberet, cumque jam poſtrema diei tempeſtas appeteret, ita paucis eam horis compoſuit, ut poſtridie mane, multis S. R. E. Cardinalibus compluribuſque Romanæ Aulæ proceribus audientibus atque admirantibus, recitaverit. rurſus, anno cIↃ IↃc xxxvii, Romæ, cum eſſet in Domo Profeſſa Soc. Ieſu, illuſtre extemporalis ejus facundiæ ſpecimen dedit. nam, cum eſſet ad Vrbanum VIII, Pont. max. allatum, de morte Ferdinandi II Imperatoris, & vellet illi munus exequiarum, de more, perſolvere, in quibus laudari defunctus Imperator ſolet; contigit, ut ab iis, qui Romæ Cæſareæ Majeſtatis negocia gerunt, nihil eſſet cogitatum de oratore, cui hæ partes committerentur: cumque, non ſolum dies, ſed jam propemodum hora exequiarum, inſtaret, tum illis id venit in mentem. itaque, hac illac excurrunt, quærunt, inveſtigant, rogant, cui

oneris illud imponant: ſed nemo occurrit; omnes fugitant eam provinciam, ac ſegnitiem ſeu tarditatem ſuam, temporis anguſtiarum, in quas redacti eſſent, excuſatione defendunt. Cum igitur illi hærerent, nec haberent quid facerent, quoque ſe verterent, ac prope hæc occiſa ſpes eſſet; ad Patres Soc. Ieſu confugiunt; aut enim ibi apud eos, aut nuſquam, reperiri poſſe exiſtimant aliquem, qui tam brevi temporis ſpacio orationem ſcribat, ediſcat, habeat. at Patres, quibus cognita erat Sylveſtri virtus atque præſtantia, eam illi laudationem detulerunt. qui quidem, quod ſibi in auguſtiſſimo illo orbis terræ Senatu, ac Pont. doctiſſimo audiente, dicendum eſſet, quique dubios incertoſq; dicendi eventus pertimeſceret, verecunde ac dubitanter, delatum ſibi munus accepit; ſed, cum nullus recuſandi relictus eſſet locus, ſex horas, neque eo amplius, in conſideranda ea laudatione componendaque collocavit, impulſus incitatuſque frequentibus Magiſtri Sac. Palatii nunciis, ad quem quia ſpectat, orationes, quæ, in Sacello Pontificio ſunt habendæ, antea legere, probare vel improbare, earumque unum apud ſe exemplum, ne à dicente variari poſſint, habere, ſtatuerat, non prius lecto ſeſe committere, quam ejus ſibi orationis copia fieret. Et ſane, videri cuipiam poſſem, rem incredibilem dicere, niſi P. Iacobus Faligattus, ex eadem Societate vir graviſſimus ac veritatis diligentiſſimus, qui tum eadem, qua ille, domo continebatur, perſancte affirmaret, ſe rem ita habere ut dicimus. Quid multa? non aliter res cecidit, atque ii, qui eum noverant, opinabantur. nam ſic illam laudationem, tanta vi tantaque gravitate, expoſuit, ut mirum atque incredibile omnibus videretur, tam brevi eam tempore fuiſſe confectam. Habebat crebras argutaſque ſententias, nec eas pueriles, inanes, ridiculas, atque etiam ſtomachoſas, ut in quibuſdam videmus, qui in ejuſmodi ſententiolarum ineptiis, & inani quadam verborum volubilitate, eloquentiam poſitam eſſe defendunt; ſed graves, utiles, elegantes, ac reconditis ex artibus, atque ex multiplici exquiſitaque doctrina, qua erat excultus, ut ita dixerim, evocatas. Etenim non ſolum puer, antea quam Societati Ieſu ſe man-

manciparet, ab iis magiſtris, quos ſupra commemoravimus, Latine ſcribendi & eloquentiæ præcepta perceperat, verum etiam, tyrocinio in eadem Societate perfunctus, Philoſophiæ ac Theologiæ ſpatia fuerat emenſus, curſu adeo ſecundo, adeo felici, ut ſtatim dux magiſterque præeſſe iis poſſet, qui vellent in earundem diſciplinarum ſtadio curriculoque verſari; atque Senis, humaniores literas docuit; ac miſſus eſt Firmum in Piceno, ut ibi iis, qui Philoſophiæ præcepta haurire vellent, capita & fontes oſtenderet, unde Ariſtotelis Peripateticorumque diſciplinæ flumen erumpit. quem ceteros docendi locum multos deinceps annos tenuiſſet, niſi Petrus Aloyſius Carafa, S. R. E. Cardinalis, qui tum Firmanam civitatem pro prætore adminiſtrabat, interveniſſet. qui eum, à re privata ad publicam, ex umbra in ſolem & pulverem, ex domeſtica exercitatione in aciem certamenque deduxit. Etenim, egregius ille Antiſtes, incredibili morum illius ſuavitate, admirabili in conſiliis dandis prudentia, ſumma rerum maximarum ſcientia, omniſque elegantia doctrinæ, delinitus & captus, eo amoris vinculo ſe illi devinxit, ut, profecturus in Germaniam, ab Vrbano VIII, Pont. max. electus Coloniæ Vbiorum Nuncius, ſuo eum à latere divelli non ſit paſſus, ſed perpetuo eundem lateri eidem hærere curaverit; non ſolum ut ibi eſſet à confeſſionibus, verum etiam in omnibus graviſſimis muneris illius negotiis operam navaret, quam non ignorabat, quanto ſibi ornamento, Sedi Apoſtolicæ decori, Eccleſiæ Catholicæ utilitati, futura eſſet. Id quod re ipſa expertus eſt, in adeundis viſitandiſque religioſorum hominum cœnobiis, in corruptis eorum moribus notandis animadvertendiſque. Sed præſertim mirum quodam in eo Catholicæ Religionis reſtituendæ ſtudium exarſit, in iis regionibus, ubi illius jam diu naufragium eſt factum, ejuſque iis ex ſcopulis, ubi adhæſerat, extrahendi. Qui conatus, ejus nobis morte, præreptus, ob damnum, quod Catholicæ Religionis cauſa fecit, maximam Reipub. Chriſtianæ univerſæ, lugendi dolendique materiam affert. Itaque, quoad eſt in Germania Belgioque verſatus, perpetuum Hæreſi, ejuſque propugnatoribus, bel-

lum habuit indictum : quorum complures, ceteris acriores vehementioresque, in contentionem certamenque vocatos, ingenii acúmine, doctrinæ vi ac pondere, eruditionis copia, tanquam armis, eloquentiæ, quæ in eo erat, lacertis viribusque jactatis atque contortis, ita male habuit, ut semper victor pugnæ discesserit, magnamque illis formidinem sui terroremque reliquerit. neque tamen, superior eventu, curam remittebat, ut, si, victi, certaminis potestatem sibi reddi deposcerent, novo studio & exercitatione corroboratus, acrior ac vehementior in aciem, non autem ocio ac desidia fractus, infirmior debiliorque, descenderet. Neque solum voce, eruditis auribus digna, in disputationum contentione & clamore cominus adversus Inferorum monstra contendit, verum etiam eminus, libris doctissime eruditissimeque scriptis, ea est profligare & ad internecionem dare conatus : in quibus hi enumerantur in primis ; Epistola contra Petrum Molinæum, cujus in eo doctrinam, nostræ adversariam maxime, optimis validissimisque rationibus, tanquam bellicis quibusdam tormentis, labefactat atque convellit ; tum, liber adversus Andream Rivetum, in quo Catholicæ Religionis propugnationem strenue ac viriliter accipit. his accedit opus longe maximum atque pulcherrimum, cujus est titulus, *Thaumasia veræ Religionis, contra perfidiam sectarum*, tribus voluminibus distinctum ; quorum primum, miracula novi ac veteris Testamenti, simul collata, complectitur ; alterum ritus Ecclesiæ Catholicæ, miraculis confirmatos, includit ; postremum, (quod nondum est editum, quod sciam,) perpetua Ecclesiæ nostræ miracula profert, quibus tota Hæreticorum natio caret. atque horum operum nonnulla, infirmissima etiam valetudine, scripsit, quum acerbissimis vesicæ doloribus torqueretur. Et in primis, non solum opportuna, verum etiam utilis, ejus opera existimata est, in traducendo ab Hæreticorum factione ad Catholicorum partes celebri aliquo Principe. quod quamvis clam factum sit, tamen acutissimum quendam hæreticum, vel potius hæreticorum antesignanum, minime fugit ; qui, ut eundem P. Sylvestrum, quod memini mihi eum narrare, amenti

similis, clamabat, vociferabatur, ipsius, Ducem illum, præstigiis atque cantionibus subornatum, captum, ac de mente consilioque deductum. Erat Dux ille nobilissimæ præstantissimæque cujusdam fœminæ in primis cupiens, eamque sibi in matrimonium dari, enixe petebat; sed prohibebant, eam illi nubere, leges Ecclesiæ; tum quia arcta hominem propinquitate contingebat, tum quia Religionis dissimilitudo atque diversitas, quod ipsa Catholica ille esset Hæreticus, nuptiarum rite & ex Ecclesiæ dignitate conjungendarum spem omnem adimebat. At P. Sylvester, cui & virtutis species & morum suavitas, aditum ad Ducis amicitiam aperuerant, hortando, pro sua virili parte, suadendo, monendoque, perfecit, ut ille, satis sua sponte propensus, induceret animum, Catholicam Religionem, pristina altera repudiatâ atque damnatâ, suscipere. sed magna ad eam rem opus erat cautione atque silentio, ne cuipiam ad eam vel odore aliquo, vel leviter pressis vestigiis, penetrare fas esset. itaque actum est inter eos, ut die quodam, hora noctis quarta, Dux una cum Petro Aloysio Carafa, Sedis Apostolicæ Nuntio, ad domum Patrum Soc. Iesu accederet, & in cubiculo Patris Sylvestri, per manus ejusdem Nuncii, hæresin, quasi veterem hominem, exueret, & novum, secundum Deum, Catholicam nimirum fidem, indueret. verum id perfici, sine domus illius Rectore non poterat, apud quem, prima face, claves ostii deponebantur; & clam etiam illum, tanta res erat agenda. quamobrem P. Sylvester, audacter Rectorem adit, orat, obsecrat, ut patiatur, ea nocte, claves domus apud se esse. quod ille admirans: Quamobrem hoc? ait. cui P. Sylvester: Parce, inquit, hujus rei causam quærere; non enim in præsentia opus est prolato; interea ne tibi grave sit, obsecro, clavium mihi copiam facere. cumque id sæpius instaret, oraret, Rector, cui nota erat hominis sanctitas atque perfectio, non id de nihilo esse existimavit, quod ille tantopere claves expeteret: itaque sine mora tradidit. at P. Sylvester, ut erat conventum, hora inter ipsos dicta domum aperit, Ducem & Nuncium excipit, suumque in cubiculum introducit, ubi Dux statim hæresin abjurat, ac deinceps in

Eccle-

Ecclesiæ ac Pontificis Romani potestate se fore promittit. quibus actis, Nuncius illi Breve seu diploma Apostolicum tradidit, quo potestas eidem fiebat, ejus, quam poscebat, uxoris ducendæ, quamvis arcto cognationis nexu sibi devinctæ. Semper igitur P. Sylvester, quod in ipso fuit, studiosissimum se veræ fidei cultorem, & acerrimum propugnatorem, exhibuit: ut etiam in eo libro quem ultimo loco scripsit, cuique, morte præventus, extremam manum non potuit addere, *Roma pia* nomine; etenim in recensendis piis, quæ in ea Vrbe exercentur, operibus, adversariorum nostrorum impetus repelluntur atque franguntur, quos præsertim in eam orbis terrarum arcem, imperii domicilium, veræ ac germanæ religionis sedem stabilem ac firmam, Christi in terris Vicarii Regiam, habent intentos atque conversos. nec minus, in vita Card. Roberti Bellarmini, primum à P. Iacobo Fuligatto, Italico sermone, conscripta, & ab ipso in Latinum translata. è quibus immortalibus ac divinis ejus operibus, magnum nostra vera fides ornamentum & decus, at falsa illorum religio lethale vulnus, accepit. Scripsit etiam, summa eruditione elegantiaque, de illustrium familiarum insignibus, quæ vulgo Arma vocantur. Ne multa; in singulis ejus operibus, ea vis doctrinæ, illud ingenii acumen, ille orationis cultus ac nitor elucet, ut Erycius Puteanus, vir doctissimus eloquentissimusque, in Vindiciis Circuli Vrbaniani, cælestis eum ingenii æternæque eruditionis virum appellet. Atque adeo fuit studiis optimis deditus, ut ea nunquam à morum sanctitate, à summa in Deum pietate ac religione, sejunxerit, sed perpetuo cum eadem adjuncta atque connexa habuerit: quod plerique non faciunt, qui hæc duo, inter se cohærentia atque conjuncta, distrahunt atque divellunt. Et, quo animum ab omni labe purum incorruptumque servaret, annos natus duodevigenti, in Societatem Iesu, tanquam in munitissimam quandam arcem præsidiumque, confugit; ad quam omnis vitiis atque sceleribus obstructus & intercluſus est aditus; quæque, tanquam mare quoddam acerrimum, flagitiorum sordes, quasi corrupta mortuorum cadavera, repellit ac rejicit, quamvis primo parentibus invitis ac repu-

repugnantibus, qui, ob ingenii lumen quod in eo explendescebat, ob morum nobilitatem suavitatemque qua omnium ad se animos alliciebat, magnam in eo familiæ ipsorum dignitatis spem collocatam habebant. ac primo dolorem illi suum conati sunt inanis cujusdam simulatione timoris obtegere, quod nimirum vererentur, ne puerilis cupiditatis flatu abreptus, non autem divina Spiritus sancti aura impulsus, ad aliquod non bene consultum consilium deferretur. itaque antea quam id, quod cogitaverat, perficeret, paulum cohibendum eum censebant esse, eidemque deliberandi spacium, aliquot nimirum menses, dandos esse. deinde, cum, forti ac virili animo, in proposito consisteret, neque spe honoris aliqua, vel quibusvis vanis pollicitationibus, de sententia posset everti, summa illorum cum voluntate, pridie Kal. Ianuarii cIↃ IↃc vIII, Romæ, passi sunt eum in Ædes S. Andreæ, in Quirinali, quam Domum probationis appellant, novitium abire. Factum est etiam periculum, in sua Repub. gerenda quid posset hominis virtus atque præstantia: ac Lauretum, ad Collegium illud administrandum, missus, inventus est sui similis. nam, tanta Patrum suæ familiæ cum approbatione, tanta munus illud cum æquitatis prudentiæque laude gessit, tantam, in excipiendis hospitio principibus ecclesiasticis multis, aliisque præstantibus omni dignitate viris, humanitatem, amorem, comitatem, benevolentiam, & amœnitatem exercuit, ut omnes, cum ab eo discederent, aperte loquerentur, neque, lepidior ad omnes res qui esset, neque cujus mores magis ad venustatem valerent, inveniisse se quemquam. Eandem ille benignitatis, caritatis, suavitatisque vim transtulit Romam, in Sodalitate Deiparæ Virginis Assumptæ, quæ est in domo professa Societatis suæ, regenda. nam, ut cum maxime, tum eo tempore quo eidem illi præfuit, nobilitate ac frequentia Sodalium floruit. idque eo fuit admirabilius, quod ab eo laus excellentis optimique rectoris non admodum expectari debere videbatur, qui juventutem in literarum studiis, ac bonam ætatis suæ partem apud Colonienſem Nuncium, in maximis gravissimisque negotiis, in Germaniæ Belgiique luce, consumserat. Quin-

quen-

quennium ante ejus è vita diſceſſum, veſicæ morbo op-preſſus, eodem laborare vehementer cœpit. At, quænam eſt tanta vis orationis & copia, quæ poſſit verbis exprimere admirabilem ejus animi æquitatem, incredibilem in perferendis doloribus ſæviſſimis acerbiſſimiſque patientiam, in officio boni ac fortis viri tuendo conſtantiam? Nunquam exclamavit ut mulier; nullam vocem à ſapientis gravitate alienam emiſit; nunquam vultum mutavit; nullum tempus, doloris magnitudine, quotidianis ſuis occupationibus, nullam horam perennibus ſuis ſtudiis, paſſus eſt eripi: immo, paucis ante ejus obitum, an diebus an menſibus? inventus eſt totus in eo opere expoliendo perficiendoque occupatus, quod fuerat *Piæ Romæ* titulo inſcribendum divulgandumque. Iam vero, cum de medicorum omnium ſententia pronunciatum eſſet, calculos, in veſica incluſos, tantam illi vim morbi creare, cui non aliter ſuccurri poſſet, niſi ſectione, ex qua ferramentis, ad eum uſum factis, calculi illi extraherentur, ſed in ea curatione magnum vitæ periculum adiri; ille, cui jam ultima experiri ſtatutum fuerat, eam mortis, in qua ceteri fere omnes exhorreſcunt, contemtionem oſtendit, ut, cum ſe chirurgo incidendum daturus eſſet, non ad cruciatum, ſed ad epulas ire videretur. Ac, nullam ſibi in ea curatione ſpem ſalutis ſitam eſſe, præſertim oſtendit ex eo, quod, cum P. Præpoſitus generalis quingenta ipſi Miſſæ Sacrificia detuliſſet, ut ea, vel ad ſanitatem ſibi à Deo impetrandam, vel ad aliquid aliud, ſuo ex arbitratu, conferret, ille ad expiationem earum animarum adhibuit, quæ purgatorio igne cremarentur; ut, ſimul ac vinculis illis expeditæ liberum habuiſſent curſum in cælum, ibi Deum pro ipſo comprecarentur. Ipſo curationis die P. Sylveſter, pro ſua ſalute, immaculatam Deo Filii ſui hoſtiam obtulit, hoc eſt, Miſſæ ſacrificium fecit, ea vi ardoreque animi, qui ſit cuique credibilis in tanto vitæ periculo; in quo Sacrificio quam potuit Deum demiſſiſſime ſubjectiſſimeque exoravit, ut, ſi corporis ſui ſalus & incolumitas ex divinæ ipſius gloriæ, ex animæ ſuæ ſalutis, & ex proximorum utilitatis uſu, futura eſſet, eam ſibi propitius elargiretur; ſin ſecus, eandem à ſe repelleret,

leret, ac procul esse juberet: se enim non alia conditione eam velle, ac poscere ejus sibi gratiam fieri: denique, totum se divinæ ipsius voluntati potestatique permisit. Deinde (ex quo licet hominum in ipsum studium amoremque colligere) quibus horis in potestate medicorum fuit, à quibus ea illi curatio, tam dubia, tam periculosa, tam præceps, adhibebatur, tum Laureti, tum Romæ in Sacello ejus, quam diximus, Sodalitatis, cui ille præerat, sacrosancta Christi Corporis mysteria palam fuerunt exposita, & ante ea deinceps plures, in preces humiliter fusi. Et sane incisio recte sub manus successit, ac sine multo labore sex inde calculi, ovi columbini crassitudine, fuerunt extracti; quæ res chirurgiæ peritis admirabilitatem, atque affirmandi vim attulit, novum id, singulare, nec cujusquam antehac acceptum oculis, extitisse. neque dubium cuiquam erat?, quin ille ex eo morbo esset convaliturus, si vires corporis sufficissent. verum illud, diuturna ex ægritudine, nimis attenuatum infirmumque, vim morbi sustinere non potuit. itaque pridie non. Maii, hora octava & quadrante, tanquam placidissimo quodam somno consopitus, excessit è vita; non sine multis amicorum bonorumque omnium lacrimis atque mœrore; quibus triste doctrinæ, probitatis, eloquentiæ, prudentiæque desiderium suæ, reliquit.

LXXIV. IO. BAPTISTA SALVTIVS.

IAm dudum in eorum descriptione versamur, qui, aliqua doctrinæ vel eruditionis fama conspicui, digni nobis sunt habiti, quorum imagines, tanquam in tabulis pictas, huic tertiæ Pinacothecæ mandaremus: sed, quoniam aliquis jam est illi modus ac finis constituendus; quanam alterius cujusvis imagine ea definiri honestius atque elegantius potest, quam Io. Baptistæ Salutii, Patritii Genuensis, domi forisque, tum ingenii laude, tum rerum ab ipso gestarum gloria, clarissimi? Nam fiet, ut, qui spectatum admissi in eam fuerint, recedentes fateantur, non eam magis in principio quam in fine, egregiis imaginibus, ac spectatu dignis, fuisse refertam.

Sed

Sed illius de virtutibus, dubito, quemadmodum exponam. Nam, si voluero sigillatim eas persequi, quæque de eo dici possint omnia proferre, vereor, ne non tam ejus imaginem ingenii exprimere, quam vitam videar velle conscribere; at, si tantummodo summas rerum conabor attingere, ne iis, qui sunt in Repub. Genuensi rudes & hospites, minus lucide appareat, quantus ille vir fuerit. Sed difficultatis utriusque nexu me, quantum licet, expediam, perficiamque, ut neque multitudo rerum brevitati, neque brevitas ignorantiæ lectorum, officiat. Io. Baptista natus est Genuæ, anno cIↃ IↃ L XXIX, Io. Baptista Salutio, & Margarita Iustiniana, optimis nobilissimisque parentibus; cui pater, tanquam si divinaret, quanto ille sibi patriæque futurus esset ornamento atque splendori, repudiatis omnibus aliis, suum filio nomen indidit, atque Io. Baptistam appellari eum jussit. Puero, præter docilitatem ingenii, incredibilis vis memoriæ suffragabatur; quæ est in paucis ingenii signum vel maximum. Itaque, quidquid illi à magistris edisCendum tradebatur, sive oratio, sive carmen, sive aliud quidvis, ita memoriæ custodiendum mandabat, ut ne syllaba quidem una diffugeret; quod est à pueris, ut oratoriæ institutionis magistri tradunt, obtinendum in primis, atque hæc consuetudo, memoriæ exercitatione, querenda. Cujus rei cum alias sæpe periculum est factum ab eo, tum præsertim, cum annos vix natus novem, insigni oratione, Reipub. Genuensis Ducem, nuper electum, patris sui amicissimum, laudavit, Senatoribus multis, atque omni fere nobilitate audiente; ea alacris promptique ingenii commendatione, ut esset omnibus admirationi, ac vix credibile videretur, posse tantam in id ætatis puerulum cadere vim ingenii atque memoriæ. Vndecimo ætatis anno missus est à parentibus Mediolanum, ut in Braydensi Societatis Iesu Collegio ab artium elegantissimarum magistris humaniores litteras disceret. quæ studia deinde prosequutus est Romæ, in gymnasio Patrum ejusdem Soc. ubi incredibile memoratu est quos progressus effecerit. Ille, inter æquales nobilis, cæteris industria præire, clarius explendescere, classem ut dicitur ducere, præmia discipulis, in lite-

literaria quasi palæstra viribus ingenii decertantibus proposita, in magna virorum principum atque omnium fere civium Romanorum corona, ceteris victor eripere: quod adolescentibus, gloriæ studiosis, non minori prope dixerim voluptati lætitiæque contingit, quam tota olim in Græcia iis, qui victores Olympiæ citabantur: ipse autem tantum in iis sibi laudis esse ducebat, ut, senecta etiam ætate, ea sæpius in manus sumeret, aspiceret, ostenderet: ac veteris plausus recordatione, ad novas laudes, quæ in eam ætatem, qua tum erat, convenirent, se mirabiliter excitari sentiebat. Quod autem ego de illius præmiis ac virtutibus affero, non ex auditu arguo, sed meis ipse oculis, cum spectaculo interessem, accepi. nam, quamvis paucis illi annis essem ætate superior, ac propterea cursum meum jam transcurrissem; tamen ob usum amicitiamque, quæ mihi cum illo intercedebat, in Sodalitate Deiparæ Virginis Annunciatæ in Collegio Romano contractam, quam una cum illo frequentabam, non poterant, quæ de ipso commemoro, notitiam meam effugere. Sed, postquam ætate ex ephebis excessit, & studiis amotus puerilibus est, contulit se ad philosophos, ac triennium in Peripateticorum spatiis summa est cum laude versatus; inde ad Iurisconsultos transiit, quorum facultatis vim prope immensam, Bononiæ primum, tum Pisis, à summis Doctoribus hausit, eaque, quantum esset ad Igerendam Rempubl. satis, pectus implevit. Noluit tamen Iuris utriusque, Cæsarei ac Pontificii, publice interpretandi, ac consulentibus de jure respondendi facultatem, ut est moris, accipere, vel potius mercari; sed statim, ab artium pulcherrimarum studiis ornatus, à Philosophia, à Iuris scientia instructus, ad Rempub. suam accessit. cujus capessendæ initium illud fuit, ut ab ea legatus una cum aliis mitteretur ad Petrum Cardinalem Aldobrandinum, Clementis VIII fratris filium, qui ex Gallia per Genuensium fines Romam iter faciebat, controversiis inter Henricum IV & Carolum Emanuelem, Sabaudiæ Ducem, ex utriusque voluntate compositis, ut nimirum Rex Bressam & regionem illi adnexam, Dux autem Marchionatum Salutiarum, in quem ille Gallis, Henri-

co III è vivis ſublato, in bellis civilibus occupatis, armatus invaſerat, obtineret. verum quia, anni tempore adverſo, perpetui decidentes è cælo imbres Cardinalem non parum ſæpe conſiſtere, ac ſuſceptum iter cogebant abrumpere, frequens Io. Baptiſtæ ſe dabat occaſio, Cardinalis ejuſdem adeundi, cum eoque ſermones in multam diem noctemque producendi: quorum ille ſermonum ſuavitate atque prudentia mirifice delectatus, primum ipſe per ſeſe, tum per inſignes quoſdam, ac primarios Antiſtites, qui in ipſius comitatu erant interpretes, egit, ut eum in ſuam familiam attraheret, maxima propoſita ſpe honorum atque præmiorum; quod tum, Pontificis maximi conceſſu, rerum ad eum omnium ſumma redierat. At ille, qui ſuæ ſe Reipub. jam totum addixerat, non putavit, eſſe tanti ullas opes honoreſque, ut eos patriæ caritati anteponeret; ſed Cardinali, utpote in perſequendis officiis diligentiſſimus, de illa tam egregia in ipſum voluntate gratiis actis, ſimul ac per munus illud publicum, propter quod venerat, licuit, domum ſe recepit. ubi quam diu ſe continuit, maximis ſemper Reipub. in rebus interfuit, atq; honoribus, qui illi mandabantur, eſt functus egregie; adeo ut anno cIↃ IↃ c x I Io. Scagliæ, ſororis ſuæ viro, miſſo ad Regem Hiſpaniarum Legato de quodam caſtro, Saxello nomine, in intimis ditionis Genuenſium quaſi viſceribus ſito, quod olim Reſpub. ab auguſto Cæſare, cui illud vectigal pendebat, ampliſſimo diplomate obtinuerat; Gubernator autem Mediolani ad ſe ſuumq; Regem pertinere defendebat; in hac legatione magna ejus opera Io. Scagliæ, jam natu grandi, uſui fuerit: quod declaravit temporis brevitas, qua totum negotium confectum. nam vix ſex menſes abierant poſtquam domo diſceſſerat, quum eodem, re bene geſta, reverſus eſt; hoc eſt, impetratum id ſuis retulit, cujus gratia profectus in Hiſpaniam fuerat; videlicet ne Mediolani Gubernator, neve alius deinceps, qui regios in Italia exercitus duceret, ea de re moleſtus Reipub. eſſet, in qua Regi Hiſpaniarum nihil juris eſſe conſtaret. quæ res magnam Io. Baptiſtæ ſtrenui, prudentis, accurati, ac diligentis viri famam confecit, ſuoſque cives in eam opinionem adduxit, ut cre-

crederent, nihil in legatione aliqua, quæ Reipub. causa susciperetur, fieri posse fortiter, prudenter, atque ex Reipub. ejusdem dignitate, quod illius consilio & auctoritate non regeretur. qua fama impulsus Iacobus Salutius, qui publice profecturus erat Legatus in Germaniam ad Matthiam Austriacum, ut Imperatoriam illi majestatem, nuper adeptam, gratularetur, è re pub. fore existimavit, si Io. Baptista legationis illius sibi comes accederet. quod cum perfeciſſet, nihil est opinione sua deceptus: nam illius consilio, quo par nemo illi erat, pristinum Reipub. Genuensis Oratoribus apud Cæsarem dignitatis locum recuperavit, quem illi locum Maximiliani Cæsaris injuria, quo tempore Genuenses adversis multarum calamitatum fluctibus agitabantur, amiserant. Reversus ex Germania, vix Genuæ limen attigit, cum advenientem novæ difficilium negotiorum moles exortæ exceperunt, seque quodam modo ejus in humeros, ad quodvis publicum munus excipiendum aptos, rejecerunt; sicuti fuit Lunæ urbis Commissarii, ut vocant, jure ac nomine administrandæ provincia; quæ urbs munitissima, quoniam ex ea in omnia Genuensium ditionis loca aditus patet, cuipiam, nisi fidelissimis hominibus, committi non solet. illi igitur ejus claustra loci, utpote fidelissimo atque ad resistendum fortissimo, sunt delata ac tradita. quod munus totum annum cIↃ IↃ c x i legationibus abstulit: ad quas adeo frequenter adhibebatur, ut vulgo perpetuus Reipub. Legatus appellaretur. neque minus alii quatuor, qui consecuti sunt, anni, quibus ejus domi opera fuerat necessaria, à legationibus abductum retinuerunt. verum, anno cIↃ IↃ c xvi tandem illis est redditus, ac missus in Hispaniam ad Philippum III: qua legatione diligenter ac fideliter ipso obeunte, Rex ille suo functus est fato. Regis morte habuit necesse, diutius quam per leges liceret, in Hispania consistere; nempe quoad pateret, quonam novi regis, Regni administrandi ratio consiliumque spectaret. quo cognito atque perspecto, post integrum quinquennium reversus est in patriam; ubi Prætor Savonæ renunciatus, Iacobo Salutio succesſit, qui jam tempus suum expleverat. id quod illi novo quo-

dam exemplo accidit, propterea quod Reipub. bene gerendæ ratio pati non ſoleat, unum cognatum proximum poſt alterum in urbis cujuſpiam adminiſtratione ſuccedere. deinde ejus opera vocata eſt ad perſequendos bello latrones, qui, in illis regionibus, vitæ boniſque hominum inſidias locantes, ſe cædibus ac rapinis explebant; quos etiam importuniores ferocioreſque reddebat Ducis Sabaudiæ favor, infenſi Genuenſibus, quod Zuccarellum, cui ipſe inhiabat, à Cæſare pecunia redimere ac ſuum facere conarentur; quæ præſertim cauſa Ducem illum anno cIↃ IↃ c x x v ad ſuſcipiendum adverſus Genuenſes bellum impulit, inſtruxit, armavit. At eorum ille latronum conatus retardavit, impetus repreſſit, audaciam fregit, ac partim eorum armis delevit, partim perterritos coëgit fuga ſibi conſulere. Hoc tumultu ſedato,, maximos honeſtiſſimoſque in ſua civitate magiſtratus accepit; unde illi dein anno cIↃ IↃ c x x v ad Senatorium ordinem gradus eſt factus. Tum vero homini in primis egregio latiſſimus apertus eſt campus virtutis animique ſui roboris declarandi. nam, præter innumerabiles labores, quos Senatorius ordo habet adjunctos, utpote à quibus tota Reipub. bene gerendæ ratio dependeat, cæteri collegæ, qui, quantum eſſet in Io. Baptiſta Reipub. præſidii ornamentique, ſentiebant, cum inſtaret à Sabaudis bellum, eum potiſſimum elegerunt, cujus opera ad conducendos undique milites, ad ſubſidia comparanda, uterentur; quæ ille omnia, ex Reipub. utilitate, & ex patriæ dignitate ac ſalute perfecit. cujus in patriam amor in eo præſertim eluxit, quod contradicentibus multis ſumma vi obſtitit, ne Hiſpani, ſubſidio miſſi, urbem ingrederentur, ſed eos intra munitiones tantum ſe continere permiſit: quo facto patriæ libertatem, tum ab hoſtium tum ab amicorum inſidiis periculiſque, defendit, eamque in tuto collocavit. Volitabat tunc temporis circa ea littora cum exercitu Princeps Victorius à Sabaudia, ac magnam omnibus formidinem injiciebat, ne urbem Savonam, præſidiis fere omnibus nudatam, quæ traducta Genuam fuerant, in ſuam poteſtatem redigeret. In tanto igitur metu periculoque Io. Baptiſta, oppidi defenſione in ſe recepta, ſum-

ſummo cum imperio ac poteſtate, una cum Auguſtino Centurione ſocio, ac magna nobilitatis multitudine, illuc eſt profectus. qua re cognita vir ille princeps non eſt auſus oppidum obſidione atque oppugnationibus premere: nam Savonam exercitus duodecim millium, & eo amplius, virorum fortium numero, tum ex auxiliariis Hiſpanorum copiis, tum ex Genuenſium delectibus conflatus, egregie tuebatur: qui exercitus non modo urbem ab hoſtium vi impetuque defendit, verum etiam ſtrenue atque acriter dimicans, amiſſam oram maritimam recuperavit, &, progrediens longius, Ormeam aliaque propinqua oppida expugnavit, ac Genuenſium ditioni ſubjecit: atque ea oppida Reſpub. Genuenſium uſque ad annum cIↃ IↃ c x x x I I ſuis præſidiis munita tenuit, neque antea, quam pace cum Duce Sabaudiæ facta, dimiſit. Quæ omnia Io. Baptiſtæ auctoritate, virtute, conſilioque fere ſunt geſta. Sed Capriata, qui ejus belli res geſtas elegantiſſima proſecutus eſt hiſtoria, nihil de illius laudibus, quas alii in cælum ferunt, enarrat, ſed ſilentio involutas eaſdem in medio relinquit; memor videlicet injuriæ cujuſdam ab Octavio Salutio, Io. Baptiſtæ fratre, quem prior ipſe læſerat, ſibi illatæ; in quo à legibus hiſtoriæ receſſiſſe mihi videtur, quæ, ſcriptores rerum ab amore, ab odio, ab inimicitia, à partibus Reipub. procul eſſe debere, præcipiunt. At nihilominus Io. Baptiſta, bello confecto, ovanti ſimilis rediit in patriam, ibique Senatorium ordinem, in quem jam, ut diximus, venerat, tenuit uſque ad exitum anni cIↃ IↃ c xxv I. Interea cœptum eſt agi in Hiſpania de pace cum Sabaudiæ Duce componenda: &, cum res tanta, tam ardua tamque difficilis, ſumma cum prudentia, atque ex Reipub. dignitate, tractanda eſſet, quemnam potius illa deligeret, cui has partes demandaret quam Io. Baptiſtam, cujus in rebus agendis dexteritatem, in perducendis ad exitum fidem, in dolis, fallaciis, præſtigiiſque detegendis cavendiſque calliditatem atque ſolertiam, tam multis in legationibus ſummæ ſibi utilitati ornamentoque fuiſſe intelligebat? Et ſane non minori opus illi fuit conſilii, cautionis, prudentiæque præſidio, quod Comitis de Olivares machinis, callidis

consiliis ac technis opponeret; qui primo clam ac de insidiis, tum palam, integumentis omnibus dissimulationis ejectis, animum suum, Reipub. Genuensium inimicum, aperuit. Nam ille vigilantia atque solertia, ne in hominis insidias caderet, cavit; tum, magnitudine animi consiliique, ne apertæ illius inimicitiæ, Reipub. suæ quidquam obessent, effecit. At non erat facile invenire alterum, qui animosius (intra prudentiæ tamen fines) principibus viris, non solum inermibus, verum etiam armatis, sicubi res poscceret, Reipub. suæ mandata exponeret. Cujus excelsi imperterritique magnitudo animi tum præsertim enituit, cum sublatis duorum, non ætatis modo nostræ sed omnis fere memoriæ potentissimorum, Galliæ nimirum Hispaniæque, Regum animis, iisque jam non occultis odiis sed aperto inter se Marte bella gerentibus, Marchio Sanctacrucius, Hispanicæ classis summus Imperator, Gallos quosdam, qui prope Genuensium littora navigabant, comprehensos in vincula conjecerat: nam Io. Baptista, qui, reversus ex Hispania, omnibus erat præcipuis Reipub. muneribus functus, nempe iterum ad Savonæ urbis gubernacula admotus, Ærarii sancti Georgii, exteris etiam nationibus celeberrimi, Protector effectus, atque unus ex quinque supremis Syndicis electus, quorum sunt partes, in quadam quasi vigilia manere, omnesque Ducis, Senatorum aliorumque magistratuum acta & consilia animadvertere, notare, eorumque decreta rescindere, pœnisque constringere, si adversus leges facta essent: Io. Baptista, inquam, missus est, qui disertis verbis hanc Marchioni edictionem haberet; vel, ut Gallos, quos habebat in vinculis, missos faceret, vel, ut portu, quem tunc tenebat, excederet, nunc Vado nomine, sed qui antiquitus Vada Sabatra dicebatur; neve ad aliquem alium Genuensium ditionis portum accederet; cum sit usu receptum, ut nullus classibus Hispanorum præcludatur sed omnes peræque illis advenientibus pateant. qua Marchio edictione, summa vi animi orationisque à Io. Baptista habita, commotus, non esse cunctandum statuit, sed continuo Gallos illos è vinculis eximendos dimittendosque curavit. Nonnulla per id tempus profecta sunt ab Hispanis,

in

in quibus Reſpub. Genuenſium offenderetur ; in his, quod naves Batavorum aliquot captæ ab illis eſſent quæ Genuâ ſolverant. hinc Rex Galliarum, fœderis amicitiæque cum Genuenſibus conjungendæ occaſionem ſe fuiſſe nactum exiſtimans, ultro illius Regni ſui opes viresque detulerat, ut iis, ſine aliqua exceptione vel lege, ſuo ex arbitrio ac voluntate uterentur. His tam magnificis tamque liberalibus Regis illius pollicitationibus Genuenſes adducti, non privatim ſed publice Regi agendas eſſe gratias, communi conſilio conſtituerunt. nec fuit illis diutius deliberandum, quem mitterent; nam ſtatim Io. Baptiſta occurrit. Profectus eſt igitur Legatus in Galliam. ſed, dum Pariſiis illud officii munus, cujus cauſa miſſus fuerat, accurate diligenterque proſequitur, accidit ut Hiſpani Genuenſibus, quos offenderant, facerent ſatis, cum eiſque redirent in gratiam. quæ res ubi facta eſt palam, magnam illis offenſionem ad Regem eoſque, quorum arbitrio Regnum adminiſtrabatur, attulit. ac, niſi Io. Baptiſtæ ſtudio diligentia ac ſollicitudine, ea offenſionis illius quaſi fax quædam exſtincta eſſet, magnum adverſus Genuenſes bellorum excitaſſet incendium. neque id Cardinalis Richelieu tacitum habuit; qui cum, Hieronymo Grimaldo, nondum Cardinali, ſed etiam tum, apud Regem Galliæ, Sedis Apoſtolicæ Nuntio, Io. Baptiſtæ laudes in aſtra ferret, id quoque addidit : illius prudentia factum, ut parata adverſus Genuenſes arma, Regis extorquerentur è manibus. In qua legatione, magni etiam æſtimata eſt ejus opera in Principe Io. Caſimiro, nunc S. R. E. Cardinali, reſtituendo, qui Gallorum cuſtodiis vinctus aſſervabatur. Excitabat illum, ad Caſimiri cauſam ſuſcipiendum, Reipub. ſuæ dignitas, in illius injuria non parum offenſa, quod tum ille à Gallis captus vinctuſque fuiſſet, cum Genuenſium triremi vectus navigaret in Hiſpaniam. Quæcunque autem Io. Baptiſta in hoc egit, fuſius exponuntur in libro, impreſſo in Polonia, hac inſcriptione : *Carcer, Gallicus Principis Io. Caſimiri.* Fuit Gallica illa Legatio poſtrema earũ omnium, quas Reipub. ſuæ cauſa obivit. quæ quantum commendationis habuerit, declaravit in primis illa Ludovici XIII Gal-

liæ Regis vox & oratio ; qui Rex , cum ad ipſum Io. Baptiſta, poſt expletum in ea aula quadriennium, officii honoriſque gratia poſtulatum adiiſſet, ut, tranſactis jam ſuis partibus , ſibi faceret abeundi poteſtatem , ceteris officiis beneficiiſque, quibus eum ornavit, id quoque addidit, ut diceret, ſe poſſe liquido affirmare , & ſuam etiam in eo fidem interponere , neminem ex oratoribus , quorum magnus ad ſe numerus veniſſet, ſua ab aula diſcedentem , diuturniorem jucundioremque ſui nominis memoriam reliquiſſe, quam ipſum. Tot igitur graviſſimis pulcherrimiſque muneribus perfuncto , quidnam aliud niſi ſumma in ſua Repub. dignitas amplitudoque deerat ? Ad quam cum feſtinaret , ac prope jam eſſet ut eam aſſequeretur , paulo poſt , quam è Gallia Genuam redierat, feſtis Paſchalibus anni cIↃ IↃ c XLI I, annos natus LXIII , morte ſubverſus cecidit in curſu. Fuit hoc luctuoſum ſuis, acerbum patriæ , grave bonis omnibus. Nam dici veriſſime de illo poteſt, neminẽ ſuæ ætatis in ea Rep. extitiſſe, qui illum antecederet conſilio, auctoritate, prudentia, in patriam amore. Ejus autem pietatis in Deum cum multa poſſint exempla proferri, non vagabitur oratio mea longius , ſed ea alacritate definietur, qua Io. Aloyſium, filium natu majorem, in quo, ob ſingulare ingenium aliaſque ingentes animi dotes, ſpes erat fore ut acceptam à patre gloriam multis , patriæ Reip. beneficio, augeret virtutibus , Chriſto petenti condonavit. Nam cum ille enixe per litteras ab eo poſtularet , ut ipſius voluntate ſibi liceret Societati Ieſu nomen dare, ad quam divini Numinis impulſu ſe attrahi & impelli ſentiret, non ſolum ſanctiſſimis juſtiſſimiſque illius poſtulatis non reſtitit , verum etiam incredibili quadam magnitudine animi, à ſingulari in Deum amore ſtudioque profecta, eſt eundem hortatus, ut vocantem trahentemque ad ſe Deum ſequeretur, eidemq; quam primum morigerus eſſet. tantum illud admonebat , ut caveret , ne , repentino animi puerilis impetu abreptus , ad aliquod non ſatis maturum , nec ſatis bene excoctum conſilium , cujus eum poſtea pæniteret , abſtraheretur. Extant ejus ad filium hac de re litteræ ; ſiccis ab eo oculis ſcriptæ , ſed quæ ſine multis lacrimis legi non poſſint.

Verum

Verum ad has tantasque adeo excellentis ac divini prope hominis virtutes ac laudes, unum vitium est ausum obrepere, eisque se, ut dicemus, inserere: ut in eo præsertim sit comprobatum experientia, quod dicitur, nullam esse hominis gravitatem, nullam sapientiam tantam, quæ non cum aliqua levitatis imprudentiæque admistione jungatur. Hic vir, ita magnus, ita virtutibus omnibus cumulatus, qui posset ceteris consilio prudentiaque præesse, sycophantæ improbissimo nequissimoque illudendum diripiendumque se præbuit. Qui præstigiator Parisiis ad eum accessit, ac dicendi artificio, cui vix posset obsisti, persuadere homini cœpit, auri conficiendi, quam nemo unquam assecutus esset, rationem artemque apud se esse; ac: Si induxeris, inquit, animum mihi fidem habere, id quod verbis polliceor, re ipsa præstabo; sed opus est præsenti pecunia, ad aliqua in hujus artis usum coëmenda; neque id tibi mirum videatur; nam necesse est facere sumtum, qui lucrum quærit; at, si istud à te mihi subsidium nummarium suppeditabitur, perficiam brevi, ut Pichos, qui montes incolunt aureos, divitiis antecedas. Credidit vir rectus ac simplex, qui aliorum animos ex animo spectabat suo; ac non solum illi in præsentia pecuniæ quantum poscebat attribuit, verum etiam, primo Parisiis quoad ibi mansit, tum Genuæ quo eum suo sumtu perduxerat, cibum ad mensam plenam affatim quotidie præbuit. Quid opus est verbis? Non aliud nebulo ille aurum eo ex artificio est visus exprimere, præter illud quo suis sycophantiis præstantissimum hunc virum emunxerat.

LXXV. APPENDIX de IACOBO MARTINO MODONESIO.

BARTOLDO NIHVSIO

IANVS NICIVS ERYTHRÆVS

S. P. D.

TRria profecto ætas hæc noſtra vidit, nova, admirabilia, & quæ omnem fere fidem excedant; ad quæ credenda, niſi ea oculis accepiſſem, mea nunquam duceretur aſſenſio. primum, Martham Marchinam, virginem Neapolitanam, ſed etiam tum infantem, Romam in parentum ſinu delatam. hæc à nemine, niſi fortaſſe divinitus, edocta, egregie, Græcam, Latinam, & Hebraicam linguam noverat; tum, philoſophicis, theologicis, ac liberalibus omnibus diſciplinis, non leviter erat ſed literate perita; deinde, epigrammata Græca, ſed Latina in primis, eleganter arguteque concluſa, fundebat ex tempore. cujus elegantis ingenii formam, inter illuſtrium virorum imagines, qui mea ætate floruerunt obieruntque, referre non diſtuli. Alterum, non minus admirabile, quod ætas noſtra conſpexit, ruſticanus quidam homo eſt, Benedicto Virgilii F. nomine. hic, in obſcuro pago, in aſperrimis Samnitum montibus, natus, ab ineunte ætate, Patribus Collegii Rom. Soc. Ieſu, ad maximas illas arationes, quas habent in Appulia, operas elocavit ſuas; cumque vix ſciret legere ac ſcribere, poſtquam boves domum reduxerat, nulla cujuſquam ope ſed naturali quodam bono adjutus, ad ſcribendos verſus ſe dabat; atque illuſtri poëmate, quod cum omnibus, ab aliis editis, eruditione elegantiaque æquari conferrique poſſe videatur, D. Ignatium Lojolam, qui Societatem Ieſu fundavit, maximis atque veriſſimis proſecutus eſt laudibus. Poſtremo, id quod mortales omnes ad incredibilem admirationem effert, noſtros ad ſe oculos puer, annos natus non amplius ſeptem, attraxit,

xit, cui nomen est Iacobus Martinus Modonesius, ex ignobili agri Mutinensis pago, patre bajulo, ortus; ab eoque in spem ejusdem sive artificii sive exercitationis educatus, eo quod nollet filium, se majorem, habere; ut sæpe etiam cum eo, à quo erudiebatur, jurgio contenderet, ac quereretur, sibi filium eripi, & assidua illa exercitatione studiorum, quæ vires animi augeret, corporis minueret, minus eum aptum ad bajuli munus, cui destinaverat, reddi. Missæ sacrificium faciebat, ac fortasse Parochi partes agebat, in eo pago, Frater quidam Io. Baptista Mezzettus Servita; qui, pueri, ac penè infantis, ingenium odoratus, ex memoria, qua, tradita sibi omnia, tenaciter comprehendebat, & quia suis eum imperiis obsequentem haberet, maximam in spem venit, posse se in illa quamvis infirmissima ætate, quoddam quasi ædificium, ex omnium doctrinarum aggregatione conflatum, excitare: memor fortasse Chrysippi, qui primum ætatis in puero tempus, etiam triennium illud quod nutricibus datur, dixit, aptum ad doctrinarum institutionem, neque verendum esse, ne earum intelligentiam capere, nec discendi laborem ferre posset, vix è gremio parentis egressus. Itaque cœpit, penè infantis mentem, optimis disciplinis informare; &, quod incredibile, ac, nisi experientia, rem ita se habere, doceret, stultum & ineptum aggressu videatur, tantæ molis initium non à rebus minimis, ut mos est, sed ab omnium maximis atque gravissimis, fecit; nimirum à sacris literis & à regina disciplinarum omnium Theologia, ac deinceps ad reliquas progressus est artes; hoc pacto. Docebat illum prius ejus, quam tradebat, artis vim definitione explicare; videlicet, quid sit Theologia, quid Philosophia, quid ars medendi, quid Iuris scientia, quid Rhetorica, quid Grammatica. nam, in omnibus hisce doctrinis, exculissimum eum conatus est reddere. deinde jubebat addiscere, quæ nam sit illis subjecta materia, quam tractent & in qua versentur; tum quanam earum unaquæque ratione ac forma tractetur. postremo docebat, unamquamque artem in partes tribuere, earumque nomina & definitiones assignare: atque inde occasione sumta, præcipua eidem rerum capita, quæ in singulis

disci-

disciplinis in disceptationem disputationemque vocantur, proponebat, suamque de illis sententiam aperiebat; quam ille acceptam, ingenii, quo præstat, acumine, adversus quoscunque, qui vellent eam oppugnare, tuebatur. Sed audi rem miram. tradebantur ea illi omnia, à magistro, Latino sermone, ac penitus in memoria defigebantur. quid ergo? illud etiam assecutus est puer, ut usum consuetudinemque Latini sermonis consequeretur antea, quam præcepta Latine loquendi, quæ puerilis doctrina tradit, acciperet. itaque verba effert, quæ nemo reprehendat, eaque casibus & temporibus, & genere numeroque, conservat. Quid opus ost verbis? vix triennium intercesserat à prima Fratris illius Servitæ institutione, cum tantam vim doctrinæ & eruditionis assecutus esse visus est, ut nihil sit in unaquaque elegantissimarum artium adeo constructum atque reconditum, quod non illius intelligentiæ funditus pateat. nam, quicunque periculum faciunt, in Theologicis, in Philosophicis, aliisque liberalissimis literis, iis se eorum, quæ scire æquum est eum qui eas artes profitetur, solertissimum exhibet; neque quisquam est, in capiendo adversario, ita versutus, qui eundem in aliquos fallacis cujuspiam argumentationis laqueos induat. omnes ille sedes, & tanquam domicilia, quarumcunque argumentationum novit; ille ea verbis definit, ille exemplis illustrat. Sex ab hinc mensibus, venit in Vrbem. continuo fama ejus adventus exivit, ac pervenit ad doctissimos viros. dedit operam unusquisque, ac Pater in primis Sfortia Pallavicinus, ut eum nosset, aspiceret, quidque in literis posset, experiretur. Neque solum inventus est, opinioni, quæ de ipso erat, respondere, sed superior etiam existere. atque, omnium consensu, sic tum est judicatum, monstri ac prodigii cujuspiam simile videri, tantam vim doctrinæ & eruditionis in eam ætatulam convenire. Quod cum ad Quæsitores fidei esset delatum, quod suspicarentur, id quoque Dæmonum præstigiis posse contingere, est ab illis vocatus in jus; sed statim omnibus sententiis absolutus, atque insuper palma, eleganti opere elaborata, donatus. Voluit etiam (cujus causa Romam accesserat) aliquod pecu-

peculiare ſuæ facultatis ſpeçimen dare. quamobrem, propoſitis tota Vrbe edictis, auſus eſt, omnes, qui vellent, & quacunque de re vellent, in contentionem certamenque vocare; ac locum pugnæ, Ædem D. Marcelli, in via lata, ac diem ejuſdem pugnæ feſtum Pentecoſtes, conſtituit. Qui dies cum jam adveniſſet, tum licuit videre populi Romani univerſi, erga puerum illum, ſtudium, qui nihil ſibi eſſe faciendum prius exiſtimavit, quam ut puerum ſeptuennem videret, cum doctiſſimis viris in literario certamine compoſitum, quæ ab ipſis objicerentur, quaſi tela, retundere atque rejicere. ac, ne aliqua conventionis ſuſpicio oriri poſſet, ſimul ac quiſquam ad diſputandum accederet, ex omnibus omnium artium diſciplinis ſortito capiebatur, qua de re eſſet diſſerendum. Itaque tanti ad eum, omnis generis, ætatis, atque ordinis hominum, concurſus facti ſunt, ut iis non modo Ædes D. Marcelli, quæ ſatis ampla eſt, verum etiam viæ, Ædi proximæ, complerentur, neque illi, qui paulo ſerius veniſſet, quidquam eſſet difficilius, quam cubito, humero, ac toto corporis impetu, ſibi aditum in Ædem facere; adeo ut Cardinales non pauci, parafrenariis & aulicis ſuis ſtipati, cum conarentur in confertam turbam ſe immergere nec poſſent, cogerentur conatu deſiſtere, ac domum ſeſe recipere. Hujus diei plauſus fuit puero illi merces laborum ſtudiorumque ſuorum. Etenim, non ita multos poſt dies, circumfluens laudibus, ſed inanis à præmio, (ut ſcias, quantus hîc virtuti ſit honos,) Bononiam verſus, Roma diſceſſit, una cum magiſtro, qui eum, non in ſuam modo gloriam, verum etiam utilitatem, peculiariter fovet. Ajunt, eum, in itinere, Florentiæ paululum conſtitiſſe, & à Mediceis illis Principibus, tum perhumaniter exceptum, tum muneribus ampliſſimis locupletatum. Ac, ſi aves ſcire, quonam genere veſtium utatur, habitu incedit militari, ſerico auroq; diſtincto; lateri enſiculus adhæret, & longa pileo varii coloris pluma adjungitur. Vale. Romæ, v Idus Auguſti cIↃ IↃ c x L v I I.

ADDEN-

ADDENDA.

In Pinacotheca tertia.

PAg. 4, *lin.* 4. *post*, invenerunt. *insere*:

Addunt ad ea, quæ diximus, quidam ex eadem Societate, quibus pulcre ille erat cognitus, incredibili eum lætitia fuisse perfusum, cum audivit, se fuisse receptum in Societatem; à qua plura ipsum repellere videbantur; primum, ætas adhuc mollis, nec satis illi matura, cum vix decimum septimum ejus annum attigisset; tum, humilitas generis, cum in obscuro, Monfort, Mamertinæ diœcesis oppidulo, ex infimæ sortis parentibus ortus esset; tum, aspectus paulo horridior, qui ab se homines abalienaret; tum, mores invenusti, quique rus merum olerent. sed vicit hæc omnia, egregia adolescentis, ac penè pueri, ad virtutem indoles, ingeniique ad omnes res summas nati, qui in eo eminebat, splendor ac dignitas. Receptus in Societatem, totos sedecim annos, in tradendis eloquentiæ præceptis, & instituendis ad omnem humanitatem adolescentibus, contrivit. quo etiam tempore, omnes per se Philosophorum fontes est persecutus; unde tantam doctrinæ & eruditionis vim hausit, tum in sacris tum in prophanis literis, ut omnium sui temporis eruditorum famam æquarit; adeo, ut P. Alphonsus Salmeron, in quo maximum Societati Iesu constituitur ornamentum ac decus, in rebus dubiis ac difficilibus, per literas, sententiæ & opinionis ipsius vellet fieri particeps, eique, tanquam Apollinis oraculo, fidem haberet. Biennium Romæ Theologorum scholas frequens adivit, neque in excipiendis iis, quæ à magistris dictarentur, operam sumebat inanem; neque rivulos, ut plerique faciunt, consectabatur, sed rerum controversarum summis memoriæ mandatis, ad eos, qui doctissimis suis disputationibus diligentissime res illas exagitassent, tanquam ad caput, unde universum flumen erumperet, se conferebat; tantumque ea exercitatione profecit, ut iis, ad quorum nutum omnes vitæ suæ rationes

tiones accommodatas habebat, habitus sit idoneus, qui Patavii, in urbe omnium disciplinarum magistra, Theologorum præcepta doceret, iisque, in illis tradendis, succederet, quorum admirabilis extitisset industria. Neque opinionem, quæ erat de ipso, fefellit. nam, ita munus istud obivit, ut disputatio de Deo trino & uno, ab auditoribus suis excepta, ac literis consignata, typis, inscio ipso, mandaretur. Quod vero ad pœnas attinet, quas in se ultro suscipiebat, præter id quod diximus, insuper ea narrantur: eum, à certo quodam tempore, vestes, quas semel induisset, nunquam deposuisse, nisi cum vellet flagris se cædere; quod singulis noctibus ea acerbitate sævitiaque faciebat, ut flagellum sæpius à scapulis ad pedes, ac rursus à pedibus ad scapulas recurrens, nullum corporis locum, à verberibus vacuum & immunem, relinqueret; thoracem ex cilicio, nunquam, ne febri quidem urgente, abjeciisse; nudis asseribus, vili involutum lodice, noctu somnum capere consuevisse; ad quem conciliandum, quia incœnatus cubitum ibat, sorbitionem ex insuavi olere decocto adhibebat; quam vini haustus sequebatur; præterea somno non plus tribuisse, quam quinas singulis noctibus horas; totidemque, experrectum, precibus, in medio cubiculo nixum genibus, dediisse. Incredibili fertur fuisse patientia, in corporis doloribus perferendis; cujus patientiæ eximium, in ea massa toleranda, specimen edidit, quæ illi circa cervices, ad capitis humani magnitudinem excreverat; quæ ne mole sua caput deorsum attraheret, ligneis ac ferreis fulcris erat sustentanda; ac, ne compressa tetros cieret dolores, nova semper somni capiendi ac quiescendi ratio & status excogitandus; &, quoniam tumore nimio fauces, quas comprehenderat, ita in arctum angustumque deduxerat, ut omnem cibo ac potioni in stomachum aditum intercluderet, ne ille vita deficeret, calidorum panum fumo & coctarum carnium nidore nutriendus.

INDEX

INDEX IMAGINVM

hujus Pinacothecæ tertiæ.

Alexander Cherubinus.	*Cap.* 46
Alexander Glorierius.	14
Alexander Stufa.	19
Alexius de Alexiis.	60
Angelus de Aciaria.	44
Angelus Cæsius.	23
Angelus Coli.	61
Angelus Morosinus.	54
Ansaldus Ceba.	30
Antonius Buccupadulius.	16
Antonius Corinus.	21
Baldus Baldus.	62
Bernardinus Biscia.	33
Bernardus de Avanzatis.	58
Cæsar Caporalis.	72
Cæsar Valentinus.	40
Christophorus Bronzinus.	26
Crescentius Saccardus.	34
Demetrius Canevarius.	56
Evclio Iurisconsultus.	28
Laminius Figliuccius.	48
Franciscus Bracciolinus.	45
Franciscus Herrera.	20
Franciscus Visdominus.	27
Fulvius Testa.	57
Gabriel Cinammus.	8
Genesius Proida.	41
Gregorius Portius.	32

Hippolytus Merenda. 29

Iacobus Cicognimus. 35
Iacobus Crescentius. 11
Iacobus Merlo Horstius. 2
Iacobus Martinus Modonesius. 75
Io. Baptista Agucchius. 50
Io. Baptista Mansus. 13
Io. Baptista Salutius. 34
Io. Baptista Spada. 9
Ioan. Barclajus. 17
Io. Briccius. 37
Io. Franciscus Gropalus. 63
Io. Franciscus Peranda. 31
Io. Villifranceus. 38
Iulius Benignus. 43
Iulius Strozza. 51
Iustus Lipsius. 1

Lælius Finius. 10
Lælius Tolometus. 49
Lælius Vbaldinus. 12
Lucretia Gherardesca. 67
Ludovicus Vignatus. 42

Marcellus Sacchettus. 6
Marcellus Vestrius Barbianus. 29
Maria Isabella Accorambona Vbaldina. 66
Martha Marchina. 64
Martinus Bonacina. 3
Matthæus Salinorus. 47
Mitilda Bentivola. 65

Nicolaus Maria Madaffarus. 25

Octavius Pancirola. 33
Octavius Tronsarellus. 36

Paulus Æmilius Sanctorius. 18
Paulus Palettus. 5
Petrus Albertinus. 52
Petrus Magnus. 70
Petrus Nicolai. 15
Pompejus de Angelis. 24
Prosper Podianus. 71

Robertus Vbaldinus. 4

Salustius Salvianus. 55
Stephanus Tuccius. 7
Sylvester Petrasancta. 73

Teresa Comitissa ex Persia. 68
Tiberius Perasa. 22
Trajanus Boccalinus. 59

Vinciolus Vinciolus. 69

FINIS.

CORRIGENDA.

In Pinacotheca ſecunda.

Pag. 182. *lin.* 18, *& in Indice, pro,* SYRVS, *legendum*, DE SYRIS. *pag. eadem, lin. antepenult. pro* Barra *lege* Baſſa.. *pag.* 185. *l.* 19. *pro* Savonenſem *lege* Sagonenſem.

In Pinacotheca tertia.

Pag. 38, *lin. antepenult. dele*, eſſet. *Si qua fuerint reliqua, lector iis ipſe medeatur.*

11093346

11093346

110933#6